LECTIONES
MORALES


Ex aliquibus locis primi cap. Libri S.Iob depromptæ, & ad methodum,& ordinẽ nostrę tempestatis redactę ac compilatę.

In quibus infrascriptæ materiæ ad concionatores, & lectores perutiles, & necessariæ continentur.

De imperfectione & perfectione hominis.
De virtute perseuerantiæ.
De dilectione Dei circa homines.
De virtute patientiæ.
De Christi doloribus.
De Christiana simplicitate.
De Christiana rectitudine.
De fide.
De bonis à Deo in iustos collatis in hac vita.
De diuitijs, & paupertate.
De fidelium congregatione.
De Dominicæ diei laudibus.
De Dei, Angeli, ac hominis actionum.
Quomodo Deus dæmonem alloquitur, & quomodo Deo dæmon respondit.
De Dei prouidentia.
De malignitate, & iudicio temerario.
De velocitate Dei ad remunerandum, & de tarditate ad puniendum.
De necessitate tribulationis
De blasphemia.
De oratione.
De peccato libidinis.
De tribus peccatis capitalibus.
De pessima morte peccatoris.
De iustorum armis aduersus tribulationes.
De cogitationibus humanis.
De remedijs cõtra prauas cogitationes.
De flabello quinque pennarum ad expellendas prauas cogitationes.
I. penna, De pass. Christi meditatione.
II. De futuri iudicij memoria.
III. De damnatorum pęnis.
IV. De beatorum conditionibus.
V. De recti colloquij conditionibus.

PER FR. IOANNEM BAPTISTAM CAVOTVM DE MELPHIA Ord. Minorum de Obseruantia.

Triplici Indice decoratæ alter materierum; alter rerum notabilium; tertius verò locorum sacræ Scripturæ.



Romæ, Ex Typographia Spadæ, apud Stephanum Paulinum. 1618.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

Fr. Antonius Marſer Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, Pater, & in Romana Prouincia Miniſter, & Seruus.

TEnore præſentium tibi Reuer. Patri Fratri Antonio de Introduco ſacræ Theologiæ in hoc Almo noſtro Aracælitano Conuentu Lectori Generali, committimus, quod præſens opus, inſcriptum, Lectiones in Iob, à Reu. Patre Fr. Io. Baptiſta à Melphia eiuſdem Ordinis, & Prouinciæ Theologo, & Patri, compoſitum, diligenter examines; & an vt prælo demandetur dignum exiſtat, per proprium chyrographum fidem facias. In quorum fidem, &c. Dat. Aracæli, die 11. Iunij 1617.

Fr. Antonius Marſer qui ſupra manu propria.

HAs triginta tres Lectiones, quas P. Ioannes Baptiſta de Melphia Ord. Min. Obſeru. Theologus, & Concionator generalis, ſuper primum caput Iob compoſuit, attentius perlegi, & ex commiſsione Adm. Reu. P. Fr. Antonij Marſer, totius noſtri Ordinis Patris, & Prouinciæ Romanæ Miniſtri, diligenter examinaui, nec in eis quicquam Fidei Catholicæ, dictis ſanctorum Patrum, bonis moribus, alijſq. noui Indicis Regulis repugnans inueni; imò doctrina, pietate, methodo, ac eruditione plurima refertas agnoui, quarè dignas, quæ Typis excudantur, iudico.

Fr. Antonius Antrodoco Min. Obſeru. ſacræ Theologiæ Lector generalis Romæ.

Imprimatur, si placet Reuerendiss. Patri Magistro sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

Ego D. Ioan. Franciscus Palumbus Clericus Regularis, sacræ Theologiæ professor. Iussu Reuerendissimi sacri Apostolici Palatij Magistri, Patris Fratris Hyacinthi Petronij. Vidi librum R. P. Fratris Ioannis Baptistæ Cauoti de Melphia, Ordinis Minorum de Obseruantia, qui inscribitur; *Lectiones in* Iob; nihilque in eo reperi Fidei Catholicæ, vel sanctis moribus repugnans; quare plurimum existimans, tum ad mores, tum ad conciones proficuum, dignum censeo typis mandari. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 17. Septembris 1617.

Ego D. Ioan. Franciscus Palumbus *Cler. Reg.*

Imprimatur.

Fr. Gregorius Donatus Magister, & Reuerendiss. P.F. Hyacinthi Petronij sacri Palatij Apostolici Magistri Socius, Ordinis Prædicatorum.

ILLVSTRISS.^{Mo} ET REV.^{Mo} D.

D. IO. BAPTISTAE COCCINO

SACRAE ROTAE DECANO, necnon ſacræq. Pœnitentiariæ Regenti.

FR. IO. BAPTISTA CAVOTVS DE MELPHIA Ord. Min. de Obſeru. æternam fęlicitatem precatur.

PERSVASVM omnibus, & exploratum eſt, idemq. Seraphicus Patriarcha noſter Franciſcus conſultum reliquit nobis, non nobis ſolos natos, neque nobis ſolis eſſe viuendum; verum ortus noſtri, partem Patriam, Parentes partem, partem autem pios viros, ac ſapientiæ ſtudioſos, ſibi iure optimo vendicare. Hæc mente complectens, mirum in modum inueſtigaui, quid à me, vt pijs animis, bonisq. ſtudioſis inſeruirem, poſſet aliquo pacto præſtari: Conſideraui enim pręſtantiſſimos viros non deeſſe, qui ſuis pijs, ſtudioſisq. laboribus, omnes penè noſtræ ætatis homines illuſtrarint, & ad magnarum, ſacrarumq. rerum cognitionem, notitiamq. euexerint: Hoc me tamen non deterruit, quominus ipſe quoque, eodem perfungerer officio, quocum, animi mei pro-

pensionem, erga pios sacræ sapientiæ cultores, testatam facere possem. Quocirca, cum annis elapsis, in Ecclesia nostra Diuæ Mariæ de Aracæli, Lectiones tres & triginta, in Domini nostri Iesu Christi annorum honorem, & laudem, super primum caput sanctissimi Iob, publice enunciauerim, rogatus ab amicis, vt eas typis demandarem, amicorum consilijs & precibus obtemperaui, verum de ingenioli mei exiguitate, plurimum pertimescens, librorum quantitatem abhorrui, de ipsorum tum qualitate, tum infelici sorte dubitans. At, placuit Altissimo, vt edita volumina, sacrorum arcanorum sanctissimę Scripturæ studiosis, non displicuerint, & vt alia, ab alijs, vt etiam extra Italiæ sinus deferrentur, obnixè sint expetita. Nouis igitur edendis, de eadem materia, voluminibus, nouum volui titulum, inscriptiones nouas, nouumq. Patronum volui & circumscribere, & circumponere. Patronum te elegi Illustrissime & Reuerendissime Domine, libello nouum, at voluntati antiquum; ex quo namque die, cum Illustrissima Tua Dominatione ardua quædam negotia tractaui, tantam doctrinam, tam firmam, tam piam, tantarum scientiarum, studiorumque varietate roboratam, tanta cum facilitate, vrbanitate, affabilitateq. coniunctam inueni, vt non solum admiratus decesserim, verum ex tunc animũ impulerim, vt tantæ Dominationi Tuæ doctissimæ, obseruantiæ & amoris mei munusculum aliquod offerrem. Sit nunc libellus hic, huiuscemodi munusculum, qui quo plus probatus, quominus debebit esse ingratus; & quo plus ex

corde

corde ortus, eo minus dignoſcetur abortus. Neque verò mihi verendum eſt, ne te (qui cauſas laborioſiſſimas totius Orbis, et Vrbis, vt ſacrę Rotę Decanus; qui animarum, & conſcientiarum arces, vt ſacroſanctæ Pœnitentiariæ Præfectus; qui Romanæ Curiæ negotia, vt inter Prælatos, tum auctoritate, tum grauitate, tum antiquitate præcipuo titulo inſignis; qui curas grauiſſimas, vt in continuis & perarduis lucubrationibus inuigilans, & tractas, & agis, & habes) ſanctis, excelſiſque muneribus, meum hoc ſubtrahat officium, quandoquidem, & ipſe luminum Parens, lucidiſſimus ſol, ſuum benignè lumen, ſyderibus impertit, nec tamen ſuum remoratur curſum, aut propria patitur detrimenta lucis. Tibi igitur, Illuſtriſſime Doctor, hoc animi mei, & meæ deuotionis monumentum do, dono, & dico; illud patienter accipe; & quod magna ratione faciendum eſſe putaui, æquiſſimo animo factum accipias. Poſt hunc librum, ſi me tibi gratum eſſe facturum intellexero, ſequentur & alij. Faxit interim Diuinæ Maieſtatis, altiſſima prouidentia, vt dum ego alijs laboribus operam dare curauero, labores laudatiſſimi, præclariſſimæq. tuæ virtutes, illo perueniant, quo merita petunt, quo tui addictiſſimi expetunt, quo ego ipſe propenſius ſemper precabor. Vale.

Romæ die 20. Auguſti 1618.

INDEX MATERIERVM.

PRIMA LECTIO.

De quinque pertinentibus ad historiam sancti Iob.

SECVNDA LECTIO.

De imperfectione, & perfectione hominis.

TERTIA LECTIO.

De virtute perseuerantiæ.

QVAR-

OCTA-

OCTAVA LECTIO.

De Christiana rectitudine.

NONA LECTIO.

De Fide.

DECIMA LECTIO.

De bonis à Deo in iustos collatis in hac vita.

VNDECIMA LECTIO.

De diuitijs, & paupertate.

DVO-

DVODECIMA LECTIO.

De fidelium Congregatione.

TERTIADECIMA LECTIO.

De Dominica die.

QVARTADECIMA LECTIO.

De Dei, Angeli, ac diaboli actionibus.

QVIN-

QVINTADECIMA LECTIO.

De interrogatione Dei ad dæmonem, & de responsione illius ad Deum.

SEXTADECIMA LECTIO.

De Dei prouidentia.

DECIMASEPTIMA LECTIO.

De malignitate, & iudicio temerario.

DECIMAOCTAVA LECTIO.

De velocitate Dei ad remunerandum, & de tarditate ad puniendum.

DECIMANONA LECTIO.

De necessitate tribulationis.

VIGESIMA LECTIO.

De blasphemia.

VIGESIMAPRIMA LECTIO.

De oratione.

F I N I S.

PAVLVS PAPA V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cum, ſicut dilectus filius Stephanus Paulinus in Vrbe noſtra Typographus, nobis nuper exponi fecit, ipſe librum quemdam triginta tres Lectiones ſuper primo capite Iob inſcriptum, & à dilecto etiam filio Ioanne Baptiſta Cauoto Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſeruantia profeſſore compoſitum, in lucem edere intendat: ac vereatur, ne poſtquam in lucem prodierit, alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, opus huiuſmodi typis cudi facere curent, in ipſius Stephani præiudicium; Nos eius indemnitati, ne ex impreſſione huiuſmodi aliquod diſpendium patiatur, prouidere, ipſumq. ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus extitit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ipſius Stephani nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Stephano, vt decennio proximo durante à primæua operis huiuſmodi, dummodo tamen antea à dilecto filio Magiſtro ſacri Palatij approbatum fuerit, impreſſione, computandum, nemo tàm in Vrbe, quàm in vniuerſo ſtatu Eccleſiaſtico, mediatè, vel immediatè nobis ſubiecto, opus huiuſmodi, ſine ſpeciali dicti Stephani, aut eius hæredum, & ſucceſſorum, vel ab eis cauſam habentium, licentia, imprimere, ſeu ab alio, vel alijs impreſſum vendere, ſeu venale habere, vel proponere poſſit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, præſertim librorum impreſſoribus ſub quingentorum ducatorum auri de camera, & amiſſionis librorum, & typorum omnium, pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia eidem Stephano, & reliqua tertijs partibus accuſatori, & Iudici exequenti irremiſsibiliter applicandum, eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendum pœnis, ne dicto decennio durante opus præfatum, aut aliquam eius partem, etiam prætextu additionum, aut explanationem, tàm in magno, quàm in paruo folio, ac tàm in Vrbe, quam in vniuerſo ſtatu Eccleſiaſtico præfatis ſine huiuſmodi licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impreſſum vendere, ſeu venale habere, vel proponere quoquo modo audeant, ſeu præſumant, mandantes propterea dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ

ftolicæ Sedis de latere legatis, seu eorum Vicelegatis, ac Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs iustitiæ ministris, Prouinciarum, Ciuitatum, terrarum, & locorum status nostri Ecclesiastici præfati, quatenus eidem Stephano, eiusque hæredibus, & successoribus, seu ab eis causam habentibus, huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandocumque ab eodem Stephano, eiusque hæredibus fuerint requisiti, pœnas præfatas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur; Non obstãtibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & approbatis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris, die xxv. Septembris MDCXVII. Pontificatus Nostri Anno Decimotertio.

S. Card. S. Susannæ.

LE-

LECTIONES IN IOB.

PRIMA LECTIO.

De quinque pertinentibus ad Hiſtoriam Sancti Iob.

IN QVA QVINQVE PERTINENTIA ad Hiſtoriam Sancti Iob explanantur. Primum, quòd hæc Hiſtoria vera eſt, & non ficta. Secundum, ab omnibus Patribus pro catholica recepta eſt. Tertium, eius Auctor fuit ipſemet Iob. Quartum, ſcripta fuit primo idiomate Syriaco. Quintum, & vltimum, finis illius multiplex eſt.

PRIMA PARS.

QVemadmodum cum quis pulchrũ aliquod, ac ordinatè diſpoſitum variorũ florũ, multorumq. fructuum refertũ viridarium ingreditur, non ſtatim calathum, aut ſinum ex ijs, qui prima ſibi fronte obijciuntur, implere feſtinat; ſed illos eligere, ac colligere tantummodo ſtatuit, qui ſibi, familiæq. ſuæ autumat congruere magis. Non ſecus ac lector, qui amplum, amænumq. ſacrarum Scripturarum intrat hortum, ad illos flores, & fructus particularium librorum, mihi videtur ingenij, linguæq. manus porrigere debere, quos aptiores guſtui, vtilitatiq. ſpirituali, populiq. ſimul exiſtimat. Inter quos, cum lectio libri ſancti Iob (vt mea fert opinio) primam ſedem, & di-

Simile.

Hiſtoria S. Iob magnam affert vtilitatem.

gnitatem obtineat, egoq. superiorum meorum imperio, isto in loco docere contendam, circa hanc Historiam laborare, eiusq. expositionem inuestigare optimo iure decreui. Omnes veteris Testamenti illustres, ac virtute præditos viros, & præfiguraſſe, & actionibus suis signaſſe, ac protuliſſe Christum, manifestum planè est. Hinc fit, quòd acta Christi ad duo principaliter reducuntur capita; ad pœnas, videlicet, quas pro nobis sustinuit, & ad glorias, quas pro ijs à Deo recepit. Ita actiones, quæ Patriarcharum, ac Prophetarum pœnas, ac glorias continent, Christum adumbrant: sed quia gaudia huius vitæ potius vmbratica, quam vera; & vice versa pœnæ verissimæ sint pœnæ: hinc est, quòd clarius ab his, quàm ab illis præsignatur: & quia sanctus Iob in passione priorem obtinet locum; Ideò eius actiones magis expressè, quàm ceteri Christum adumbrant. Addite nunc vltimam illationem, & consequentiam, & inquirite; qui nam est nostræ vitæ spiritualis scopus? Christus. Qui ergò Christum enucleatè indicat, ad nos in spirituali via, ac Dei erudiendum, & docendum aptior, idoneorq. est. En ergò ratio, quæ me ad magis hunc, quàm alium librum, aut Historiam eligendum impulit. Sed quia lectores, omnesq. qui tàm in scholis, quàm in Ecclesijs publicè docent, antequam adapertè erudiendum ingrediantur, aliqua communia præludia præmittere solent; ex quorum agnitione cetera dependent, facillimoq. negotio apprehenduntur. Cum ergo hoc in loco librum sanctiſſimi, ac patientiſsimi Iob sim explanaturus, ne à communi consuetudine aberrare videar, ac aliorum facta vituperare, illos imitabor; & hac vnica lectione necessaria principia; ac prælegomina absoluam. Circa quam materiam quinque necessariò procognoscenda mihi videntur. Primo, verum ista historia sit vera historia, an parabola ficta. Secundo, an historia ista, vt catholica recipiatur, & inter Canonicas computetur. Tertio, quis illius auctor fuerit. Quarto, in quo idiomate fuerit conscripta. Quinto, & vltimo, quorsum tendat, videlicet, quis nempe sit eius primarius finis, &c. Hæc omnia in hac lectione explanabuntur: quatuor prima in prima, vltimumque in secunda parte. Attendite.

Veteris Testamenti Patres Christum præsignant.

Christi actiones ad duo capita reducuntur.

Scopus nostræ spiritualis vitæ Christus.

Præludia communia præmittenda.

Lectionis diuisio in quinque capita.

QVo ad primum. Relictis Hebræorum muſſitationibus in Talmud, ac nostræ tempestatis Hæreticorum fallacijs reiectis, qui Catholicam veritatem in dies obscurare conantur,

tur, hanc veram historiam esse affirmo; & hoc ex triplici capite. Primo, quia ipsemet Iob duobus in locis veteris Scripturæ nominatur, veluti verus, & non fictitius. Iob 2. vbi dicitur de ipsomet Tobia, *vt daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob*. Et in Ezechiele 4. *si fuerint tres viri isti in medio eius Noë, Daniel, & Iob*; & ideò sicut non ambigitur de Tobia, nec de Noë, nec de Daniele: sic neque de Iob ambigendum est. Hac etiam ratione vtitur D. Ioannes Chrysostomus in homil. de diuite Epulone ad confirmandam illam esse veram historiam; quia ibi introducuntur nomina propria, videlicet, Moysi, Abrahæ, & Lazari. Præterquam, quòd D. Iacobus hoc apertè fatetur in sua Canonica cap. 5. in illis verbis: *Sufferentiam sancti Iob audistis, & finem Domini vidistis*. Secundo, hæc historia ad exemplum patientiæ scripta est; & hoc idem ipsi Hæretici fatentur: ergo vera, & non ficta; nam ex re ficta non sumitur exemplum: & si instaueris affirmando, quod etiam à fabulis aliquando sumuntur exempla: hoc verum esse fateor, cum res possibiles in fabulis continentur; at Hæretici, omnia, quæ de Iob dicuntur, impossibilia esse affirmant. Tertia, & vltima ratio est, quia hæc pro vera Historia ferè ab omnibus Patribus recipitur.

Iob verum esse tribus rationibus demonstratur.

Tob. 2. 12.

Ezech. 14. 14

Historia Epulonis est vera historia.

Iacob. 5. 11.

Historia ista ad exemplum patientiæ scripta est.

Historia Iob pro vera historia ab omnibus recipitur.

Quo ad secundum principale; nempè, quòd historia hæc inter Canonicas numeretur, hoc sanctus Hieronymus in Prologo eiusdem libri affirmat: & hanc Hebræorum sententiam esse fatetur. Accedit, quòd omnia Concilia comprobarunt.

D. Hieronymus in prologo.

Historia Iob inter canonicas cõputatur.

Quo ad tertium: benè verum est, quòd inter Catholicos reperiuntur aliqui affirmantes, hanc historiam nō à Iob, sed à Moyse, vel à Salomone, vel ab aliquo alio Propheta esse conscriptam; tamen communis opinio fert, quòd ab ipsomet Iob, & non ab alio compilata fuerit. Primo, quoniam hoc ferè fieri solet passim in sacra Scriptura: nam Iudicum libri ab ijsdemmet Iudicibus scripti fuerunt: Prophetarum ab ijsdem met Prophetis: Iosue ab eodem Iosue: Hesdra ab Hesdra, & sic de similibus. Ista ergo historia cum tantæ vtilitatis apud catholicos sit, videlicet, patientiæ insignis, vt accuratè, diligenterq. notaretur, à nemine debebat scribi, quàm ab in eadem virtute experto, iuxta illud Eccl. 34. *Qui non est tentatus quid scit?*

Historiam Iob omnia Concilia comprobarunt.

Historia Iob ab ipsomet, & non ab alio conscripta est.

Scriptura sacra ab ijsdem, de quibus loquitur, scripta fuit.

Eccl. 34. 9.

Quo ad quartũ de inscriptione, & idiomate, licet alij aliter sentiant: rationabilius tamen est, eam Syriace esse scriptam, cum ipse Idumæus fuerit; quorum erat hac lingua

Iob Idumæus.

vti; à qua in Hebræum, & ab Hebræo in Græcum translata fuit.

Quo ad quintum, & vltimum, finis istius historiæ multiplex est; vel finis multipliciter accipitur: & hinc ponderatè, quòd quamuis materia vnica sit; fines tamen diuersificantur: & hoc euenit cum sit materia sacra, quæ principaliter diuinas comprehendit operationes, quæ adeò ingentes, & magnificæ sunt, vt quælibet illarum vbique extendatur, iuxta illud Psal. 110. *Magna opera Domini: requisita in omnes voluntates eius:* quasi dicat, Dei operationes à vestris differunt, vestræ enim angustæ, breues, & vix cogitationibus vestris respondent: Dei autem non sic; sed omnibus satisfaciunt. Ideoque sacra Scriptura circa simplicem rem vnam diuersos considerat sensus: & sunt quatuor; litteralis, allegoricus, moralis, & anagogicus: & hoc accidit (inquit Diuus Thomas in 1. part. quæst. 1. artic. 10.) quia cum auctor sacræ Scripturæ Deus sit, in cuius potestate est, vt non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest: sed etiam res ipsas; & ideò, cum in omnibus scientijs voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergò prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel litteralis. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alia demostrant; dicitur sensus spiritualis, qui supra litteram fundatur: & eum supponit: Is autem sensus spiritualis trifariam diuiditur: sicut enim dicit Apostolus Hebr. 7. Lex vetus figura est nouæ Legis; & ipsa noua Lex (vt dicit Dionysius in Eccles. Hierarch.) est figura futuræ gloriæ. In noua etiam Lege, ea quæ in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quæ nos agere debemus. Secundum ergo, quòd ea, quæ sunt veteris Legis, significant ea, quæ sunt nouæ Legis, est sensus allegoricus. Secundum verò, quòd ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his, quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos facere debemus, est sensus moralis. Prout verò declarant ea, quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus. Vnde versus:

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

Dei operationes ad omnia se extendunt.
Psal. 110.
D. Thom. in 1. p. q. 1. ar. 10.
Sacræ Scripturæ auctor Deus est.
Hebr. 7.
Lex vetus est figura nouæ legis.
Dionys. in Eccl. Hierar.

Et hoc prouenit, quia sensus litteralis est, quē auctor intēdit. Auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, & quia omnia simul suo intellectu cōprehendit, nō est inconueniens, vt dicit Aug. 12. Conf. Si etiam secundum litteralem sensum in vna littera Scripturæ plures sint sensus. Et D.Greg. 15. Moral. ait. Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit; quia vno, eodemq. sensu, dum narrat gestum, prodit mysterium. Hinc est, quòd Hebræus textus, & translatio S.Hieronymi, vbi nos in vulgata legimus: *Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius*, ait, *exquirenda in omnes voluntates eorum*. Non est ergo vnus simplex finis in libris Iob, sed plures simul sunt.

Sensus litteralis est, quem Auctor intendit
D.Augustinus 12 confessionū.
D Gregorius 15. Moralium
Textus Hebræ
D.Hieronymi translatio

Primus finis est, ad repræsentandum totaliter Christum Dominum: nam (vt ait D.Greg. in Prolog. moral. 6.) sicut iustorum omnium Christus est finis; sic e conuerso iusti Christum præfigurant: & quia iustorum pœnæ Christi pœnas: & gloriæ iustorum Christi glorias demonstrant. Attamen, quia pœnæ in hac vita realissimæ sunt pœnæ (vt supra diximus) & sensu percipiuntur; & delectationes, ac gaudia huius vitæ, veluti vmbræ sunt: ideò tormenta, passionesque melius, quàm gloriæ, Christum adumbrant. Et quia Iob præ omnibus passus est; ergo magis Christum expresse repræsentat. Hinc est, quòd non solum in communi, sed in particulari hoc perficit. Et primo de Iob dicitur, quòd *erat in terra Hus vir*, Iob 1. per antonomasiam vir, homo virilis, ac fortis, vt in textus explanatione dicemus. Hus consilium interpretatur, & Christus columna veritatis, & sapientiæ dicitur; vnde Prouerb. 8. *Ego sapientia habito in consilio*. Iob significat dolens, & Christus fuit doloribus plenus. Vnde Isai. 53. vocat eum virum dolorum. Iob fuit Rex (vt postea probabimus) & Christus *Rex Regum*. Apoc. 19. Iob fuit magnus inter omnes orientales: & de Christo dicitur, *Oriens nomē eius*, Zach. 6. Iob insignis pietatis circa suos, quòd ipsemet testatur. *Oculus fui cæco; pes claudo, & manus laxas roborabam*. Iob 29. & Christus transibat omnes benefaciendo, Actor. 10. Iob dicit, quòd non comedebat solus bucellam panis, sed impertiebatur peregrinis. Iob 31. & Christus non solum multiplicauit panem, & pisces turbis, Lucæ 22. sed dixit: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*, Luc. 22. Iob dum plagis, & flagellis angustiabatur, venerūt ad eum amici eius; & præ dolore, quem in ipso cognouerunt, manserunt ibi septem dies,

D. Gregorius in prologo Mor. 6.
Christi ad Iob comparatio
Iob 1. 1.
Christus columna sapientiæ, & veritatis
Prouerb. 12.
Iob dolens significat
Isai. 53. 3.
Apoc. 16.
Zacha. 6. 12.
Iob 29. 15.
Actor. 10. 38
Iob 31. 17.
Ioan. 6. 11.
Luc. 22. 15.

Iob 2. non valentes loqui. Iob 2. Et Apostoli, dum Christus eorum Magister manebat in Horto, tanto afficiebantur mærore, vi-
Mar. 14. 37. dentes eum, vt præ tristitia cogerentur dormire. Mar. 14.
Iob 1. Iob permittitur tentari à Satana. Iob 1. At Christus semetipsum tradidit in potestatem non tantum diaboli, sed & ministrorum eius, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebra-*
Luc. 22. 53. *rum*. Luc. 22. Iob in Sterquilinio manens, eò peruenit, vt
Iob 2. 8. amici adstantes minimè agnouerint eum. Iob. 2. Et de Chri-
Isai. 53. 2. sto scriptum est: *Vidimus eum, & non erat aspectus*. Isai. 53.
Iob 2. 9. Iob à coniuge propria fuit illusus. Iob 2. & Christus à disci-
Ioan. 13. 2. pulo traditus: *Vt traderet eum Iudas Iscariotes*. Ioan. 13. Iob
Iob 4. ab amicis, & familiaribus fuit spretus, Iob 4. Et Christus à
Matt. 27. 40. suis Hebræis: *Vah, qui destruis templum Dei*. Matth. 27. Iob dicebat, *quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ an-*
Iob 6. 7. *gustia cibi mei sunt*. Iob 6. & Christus fuit felle, & aceto po-
Matt. 27. 34. tatus. Matth. 27. Iob dicebat: *Concidit me vulnere super*
Iob 16. 15. *vulnus*. Iob 16. Et de Christo dicitur, quod post plagas
Ioan. 19. 33. manuum, & pedum *lancea latus eius aperuit*. Ioan. 19. Iob
Iob 42. 10. orat pro amicis, qui eum affligebant. Iob 42. & Christus
Luc. 23. 34. pro suis crucifixoribus. Luc. 23. Iob restitutus est à Deo in
Iob 42. 10. pristinum, Iob 42. & Christus tertia die resurrexit. Ioan. 20.
Ioan. 20. 14. Ecce quomodo simillimi sunt? In vno tantummodo differunt, videlicet, quòd Iob in tormentis non perijt; at Christus passus est vsque ad mortem inclusiuè: dicere tamen possumus, quod licet mortuus non fuerit, parum tamen abfuit præ ma-
Iob etsi non corpore, voluntate tamen mortuus est. gnitudine dolorum, & plagarum, quin moreretur. Præter quam quod si haud mortuus fuit quo ad corpus; voluntate tamen mortuus est, cum semper ad moriendum paratus fuerit: & hoc sufficientissimum fuit ad eum omnimodè æquiparandum Christo, sicut obedientissimus Isaach, licet non fue-
Voluntas pro opere habetur. rit realiter immolatus, & mortuus: voluntatem tamen pro opere, & sui, & patris accepit Dominus. Vnde ipsemet dixit Abrahæ; *Quia non pepercisti proprio filio tuo propter me*.
Gen. 22. 12. Gen. 22. Sic etiam de Iob fateri possumus, & concludere, quòd ipse non solum in communi, sed etiam in particulari fuit Christi expressa imago.

Deus cum tribulatis copulatus est. Adhuc est alius finis in hac Historia; & est ad Dei bonitatem ostendendam, qui non solum adest, sed semper cum iustis in tribulationibus copulatus est. Vnde licet Iob afflictionibus plenus fuerit; non tamen ab eo Deus recessit, quod ip-
Iob. 19. 26. semet affirmans cap. 19. ait: *Et in carne mea videbo Deum*

Salua-

Saluatorem meum. In carne mea, dicit, non circa carnem meam. Quæ verba, licet ad alium ſenſum transferri poſſint (vt ſuo loco dicemus) nunc tamen hoc etiam verum eſt; exiſtentiam Dei, ſcilicet, in tribulatis his verbis ſignificari voluit: & idcirco dixit. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum: hoc eſt, licet hæc caro, hoc corpus ſit totum laceratum, & afflictum, nihilominus tamen mihi Deus præſens eſt; & omnes afflictiones meas, & plagas oculatim intuetur, hoc etiam innuere voluit Pſal. 90. cum dixit: *Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* cum ipſo ſum dicit, non circa ipſum.

Deus omnes tribulationes noſtras intuetur.

Pſal. 90. 15.

Non loquor modo (Patres Theologi) de illa præſentia, qua Deus in omnes creaturas illabitur, & qua creaturis intimior Deus eſt, quam ipſæ in ſemetipſis ſint: neque de illa immenſitate fateor, qua omnia comprehendit. Vnde Ægyptij Theologi Sphæræ ipſum comparauere: nam, ſicut cæleſtis ſphæra ſublunares res omnes comprehendit, & ipſa à nemine continetur: ſic Deus eminenter in ſe continet omnia, & ipſe non comprehenditur. Vnde Græci Alexandrini eorum Deum, ex diuerſis lignis, diuerſiſque metallis componebant: loquor tamen ego de effectu, vel affectu, aut gratuito influxu quoquo nomine appelletur; cum quo Deus cum iuſtis moratur, & quieſcit: & præſertim tempore, quo magis affliguntur, anguſtianturque.

Deus in omnes creaturas illabitur.

Aegyptij Theologi ſphæræ Deū comparabant.

Græci Alexandrini quomodo Deum componebant.

Inuenietis aliquando Dominum aliquem, qui famulum, ſeu filium ex corde diliget, non ſecus, ac pupillam oculi ſui: fortuna iſte ſeruus, vel filius ab inimicis capietur; & ſtrictus funibus, in carcerem ducitur, vi amoris coactus, ipſemet Dominus cum ſeruo, aut filio vult catenis ligari, & in carcerem duci: quod quidem totum ſapientiſsimè in Sap. 10. exprimitur, cum dicitur de Deo: *Deſcenditque cum illo in foueam; & in vinculis non dereliquit eum*. Mirabilis res. Tres pueri ligatis manibus, & pedibus mittuntur in fornacem, & Deus permittit cum iiſdem manibus, & pedibus ſe ligari; & deſcendit cum ipſis in foueam numquam derelinquens eos. Res verè, & conſideratione digna. In memoriam reducite rubum illum ſpinoſum in Exod. 3. qui ardebat: & Deus præſentem Moyſem de medio ignis, & ſpinarum allocutus eſt. Hic quæritur, cur ignis de medio ſpinarum, & non alibi? Reſpondeo ad repræſentandum ſpinas tribulationum Hebræorum in Ægypto. Et quare Deus permit-

Simile.

Sap. 10. 13.

Deus deſcendit cum tribus pueris in foueam.

Exod. 3. 2.

tit in his ſpinis percipi? Ad docendum nos, quòd ipſe cum Hebræis in oneribus, & laboribus erat, ex quo factum eſt, quod dicitur: *Agnus occiſus eſt ab origine mundi*, Apocal. 13. Quia ſemper tribulationibus iuſtorum interfuit incipiendo à perſecutione, & occiſione Abel, & aliorum iuſtorum omnium: & iſta eſt potiſſima ratio, quæ debet omnes homines, mulieresque inducere ad ſufferendum libenter pro Dei amore quaſlibet pœnas, & tormenta.

Agnus quare dicitur occiſus ab origine mundi?

Apoc. 13. 8.

Quid amplius? non ſolum tribulationibus iuſtorum adeſt, ſed peccatorum etiam. Audite Iſai. 43. (& eſt res notatu digna) vbi Deus populum Hebræorum alloquens, ait, (ſe cum ipſis propter eorum peccata mancipium Caldæorum effectum fuiſſe) *ſeruire me feciſti in peccatis tuis: & præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* quaſi diceret; Scito ſceleſte Popule me etiam propter tua flagitia tecum mancipari. Miſerande peccator, ac peccatrix, & quæ pœna ad tua delicta punienda ſatis erit? Quoniam tuis peccatis non ſolum Deum offendis; ſed (ſi mihi fas eſt dicere) Deum ipſum conſtringis, & in carcere trudis. Vnde optimo iure D. Auguſt. aiebat, Hebræos ſemel Chriſtum; peccatores verò ſingulis diebus, & horis crucifixiſſe; ſed quia hodie meus finis eſt hac vnica lectione me à præambulis liberare, circa moralia, affectuſque non immorabor: præſertim, cum non deerit tempus in expoſitione textus id faciendi. Interim duos fines, & duo obiecta hucuſque Hiſtoriæ ſancti Iob habemus: primum ad Chriſtum repræſentandum: Secundum ad Bonitatem Dei manifeſtandam, qui ſemper ſua perſeueranti gratia adeſt iuſtorum tribulationibus. Sunt & alij fines huius Hiſtoriæ; ſed de illis in ſecunda Parte. Requieſcite.

Iſai. 43. 24.

Deus adeſt non ſolum tribulationibus iuſtorum, ſed etiam peccatorum.

D. Auguſt.

Peccator ſingulis horis Deum offendit.

SECVN-

SECVNDA PARS.

DVOS fines vſque adhuc circa Hiſtoriam S. Iob narrauimus. Primum ad Chriſtum Dominum repræſentandum. Secundum ad Dei bonitatem inſinuandam: quæ iuſtis ſemper præſens eſt. Adhuc ſuperſunt alij; & tertium eſt iuxta mentem Diui Thomæ ad diuinam prouidentiam circa ſuas creaturas dilucidandam, & declarandam. Et Albertus Magnus affirmat, iſtum totius huius libri finem eſſe; nàm, cum amici Iob dixerint, vt inferius narrabimus, quod ſi Deus malum iuſtis permittit; hoc accidit, aut quia partialis eſt, aut quia iſta inferiora non videt neque conſiderat, & abſque prouidentia aliqua indifferenter præmiat, ac punit. Itaque iuxta D. Tho. expoſitionem, amici Iob operationibus humanis temporales tribulationes tantummodo correſpondere opinabantur. Quem errorem D. Tho. atque Lyranus in fine 2. c. ipſis adſcribunt. Hinc euenit, ait Burgenſis 1. c. 3. quòd Iob diuinam prouidentiam defendere, ac comprobare conabatur. Attamen, cùm Iob in poteſtate temporali magnus fuerit, & in ſcientia ſpirituali, ac Theologica inſtructus (vt ſuo loco dicemus) non facile, creditur amicos, & familiares in ſcientia Dei ineruditos, atque inſcios de animarum immortalitate habuiſſe, ipſumque Iob ſe tantis, ac talibus ſubtilibus rerum Theologicarum, ac diuinarum cum viris adeò ignaris, ac de hac ſcientia imperitis immiſcuiſſe diſputationibus. Dicamus ergo, vt pluribus in locis in textus interpretatione explicabimus, quod de præmiatione bonorum, ac punitione malorum prouidentia in futura vita præſuppoſita, diſcutitur, An Deus in hac vita de rebus temporalibus, & terrenis ſimiliter ſe habeat. Et vtrum bonis ſolum bona, & mala malis impartiatur: & hoc eſt, quòd Iob nititur probare, videlicet Deum in hac vita etiam bonis mala, & bona malis permittere euenire.

D. Thom. *Albertus Magnus.* *D. Thom.* *Amici Iob operationibus humanis temporales tribulationes correſpondere exiſtimabant.* *D. Thom.* *Lyranus.* *Burgēſis 1. c. 3.* *Iob magnus in poteſtate temporali.* *Iob nititur probare diuinā prouidentiam.*

Quartus finis (vt ait Dionyſius Areopagita de diu. nomin.) cap. 14. fuit ad litem, ac diſputationem inter Deum, & Satanam ortam declarandam: aiebat enim Deus hominem reperiri, in quo nullam Dæmon partem habebat; & contra

Dionyſ. Areopā de diu. nom. 14.

quam

Dæmon confisus quia primum superauit hominē. quam nunquam valuit præualere: ac Dæmon e contra dicebat nullum hominem reperiri, qui tentationibus, & laboribus resistere posset, summa facilitate confisus, qua primum superauerat; & hæc potissima ratio est quare Deus diabolum in omnibus (excepta morte) Iobum tentare permisit; *Deus quare permisit diabolum tentari Iob:* Qui Iob victor euadens, victusq; Dæmon, veracem Deum, Diabolum mendacem redderet: ac de ipso diceretur, quod olim de lucta Iacob cum Angelo dicebatur: *Certamen forte dedit illi, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. sap.* 10. Sap. 10. 12.

Quinctus finis est ad magnitudinem bonitatis ipsiusmet Iob declarandam, & manifestandam; nam Deus electis suis non solum in cęlo præmium largitur; sed vult in terris etiam eos laudari, ac honorari, quod Sancti Patres quadam sententia ipsius Iob probant c. 40. Secundum translationem Septuaginta, quam Theophylactus sic legit, Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iustificeris, vt laus ista, & encomium hoc sit singulare, ipsemet Deus iusto materiam meriti, ac laudis subministrat. Iob 40. 3. *Septuaginta Theophyl.* *Deus iusto materiam laudis administrat.*

Sextus, & vltimus finis est non solum pro gloria speciali Iob, sed etiam simul totius suæ Ecclesiæ: nam (vt ita loquar) hac mercatura eam semper auxit, & dilatauit. Nolite cogitare, Deum iustorum tribulationes pro vili pretio, sed pro ingenti auro, & plurimis gemmis vendere. *Simile:* Reperitur aliquis, qui fert aliquem lapidem pretiosum Adamantem, vel alium quempiam de monte, vel minerali extractum: qui cum non sit adhuc expolitus, rudis, & turpis apparet; eum cuidam rustico ostendit, qui cum minime agnoscat, & cum illum sic rudem contempletur, nihil æstimat: ostendit eum mercatori, ac gemmario, qui illum verè pretiosum esse cognoscens magno pretio comparare, & in formam pulcherrimam reduci procurat. *Deus vendit tribulationes iustorum pro ingenti pretio.* *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, ait Regius vates Psal. 105. Martyrum mortē, ac iustorum tribulationes rudes, ac viles oculis carnalium, & sensualium apparere, verum esse fateor; sed Dei oculis pretiosissimas, & pulcherrimas. Psal. 105. 5. *Tribulationes iustorum pretiosissimę Dei oculis.* Et ideo, sicut mercator postquam lapidem emerit, expulit, atque aptat eum, ac auro circumdat, deinde ipso pileum, aut digitum sponsæ ornat; vt quisquis intuens in eum, admiretur. Ita Deus tribulationes, & tormenta Iob permisit, vt in Ecclesia cognoscantur, illaque omnes admirentur. *Tribulationes Deus iustis permittit, vt imitētur.* Ita Deus martyria

iusto-

Iustorum in Ecclesia, permittit, vt quisquis ea videt, admiretur, imitarique contendat. Iccirco Scriptura Sacra, de Tobiæ tribulationibus verba faciens, ait: *Hanc tentationem ideò permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius*. Tob. 2. Et optimo iure, nàm, cum noctu lucerna, ac candela accenditur, non sub cubili illam abscon ditis; sed super candelabrum (inquit Christus) eam ponitis, *vt luceat omnibus qui in domo sunt*, Luc. 8. Et quid aliud exempla patientiæ Sanctorum, & martyrum sunt; nisi lux quædam viua, quæ singulis tam in oriente, quàm in occidente morantibus resplendet? igitur necesse est, vt omnibus pateat: ideò in candelabro Ecclesiæ tamquam lucerna relicta est. Et hoc patientiæ exemplum tanti est ponderis, vt quãuis Dei filius in mundum venerit ad Adæ peccatum purgandum, & hominem ad Paradisum reuocandum, & reducendum, venit etiam in exemplum patientiæ: immo, cum esset tantæ æstimationis, D. Petrus in sua 1. Can. 2. ad hanc virtutem omnia refert, dicens. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Et quod nam erat exemplum hoc? Patientiæ vtique; nam, *cum malediceretur, non maledicebat*. Hinc oritur, cùm Christus in Monte Tabor transfiguratur. Matt. 17. vbi suam ostendit gloriam, vt audiant, tantum Apostolis præcipitur, dicens, *ipsum audite*. Quando verò in monte Sinai passionis, mortisque suæ figuram ostendit. Exod. 25. præcipit non tantum, vt audiant, & aspiciant; sed omnia minutè etiam contemplentur, & operentur. *Inspice* (inquit) *& fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Hinc etiam fit, quòd vbi Tabor mons auditionis interpretatur: Caluarius vero inspicionis dicatur; Dum sponsus sponsæ pulchrum aliquod largitur, aut Gemmam, vel quodcumque singulare donum, non tantum optat, vt ipsa læto animo, hilarique vultu recipiat, & meminerit; sed in aliqua patenti sui corporis parte reponat, vt sic omnibus manifestum fiat, admirationemque præbeat; ipsique sponso maioris lætitiæ causa sit, ad hoc alludens sponsus. Cant. 8. sponsæ dicebat. *Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*. Ego te tali gemma decoraui (ait Deus Ecclesiæ sanctæ) quæ? Patientiæ filij mei, ac sanctorum exemplo. Iccircò, vt id non tantum in corde fixi reponas, vehementissimè cupio, sed, vt brachium tuum etiam circumdes, vt omni-

Tob. 12. 12.

Simile.

Luc. 8. 17.

Christus venit in exemplũ patientiæ.

1. Pet. 2. 21.

Mat. 17. 5.

Exod. 25. 40.

Montes Caluarius, & Tabor quo modo interpretantur.

Simile.

Cant. 8. 6.

Patientia Christi, & Sanctorũ.

omnibus patens exemplum præbeat patientiæ. Hinc est, quòd licèt Christus, sanctique eius omnium ferè virtutum reliquerit exemplum: patientiæ tamen tanti ponderis est, vt alijs comparatum, primum obtineat locum. Quod quidem optimè ex D. Paulo Hebr. 12. extrahitur (& est locus notatu dignus) vbi ait. *Ideoque nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Quis modus loquendi? nàm testes, nos scimus, esse martyres, martyrium nubes quæ est? nisi patientiæ exemplum, quòd reliquerunt? Et quia nubes abundantissima est, cum pariat pluuiam, per quam pinguescit, & humectatur terra ad fructus producendum. Ideò ait D. Paulus. Martyres peruenerunt ad brauium; & quasi spectatores nos speculantur, cum tātæ reliquerint patientiæ exemplum. Quod, si amplexi fuerimus; facillimè ad gloriæ brauium perueniemus in sæcula sæculorum Amen.

Hebr. 12.6.

Martyrum nubes exemplum patientia est.

SECVNDA

SECVNDA LECTIO.

De imperfectione, & perfectione hominis.

IN QVA HOC VERBVM, VIR, TRIPLICITER exponitur. Primo, pro naturæ humanæ imbecillitate, & debilitate. Secundo, pro honore, & dignitate. Tertio, pro virium fortitudine.

Vir erat in terra Hus nomine Iob. Iob 1.

PRIMA PARS.

SICVTI in hominc in hac vita trium bonorum genera, corporis, videlicet, animiq. fortunæq. reperiuntur. Ita sanctissimi, patientissimique Iobi actiones omnes tam intrinsecus, quàm extrinsecus Spiritus sanctus exprimere intendens, singula quæque amplecti, complectique fuit necesse. Ideò in primis quinque capitibus, prima, secunda, ac tertia bonorum genera describit. Quo ad primum genus, videlicet, corporis, nomen, patriam, gentem, sanitatemq. enarrat. Quo ad secundum, nempe, fortunæ, diuitias, filios, familiam, dignitatem, supremamq. potestatem distinguit. Quo ad tertium denique, puritatem, simplicitatem, rectitudinem, suiq. animi integritatem, propriorum filiorum educationem, pietatem erga proximum, Religionemq. erga Deum enumerat. Hæc tria, inquam, sunt, omnia, quæ dicuntur de Iob, complectentia. Nos ergo (vt singula explicare possimus) omnia ordinatè narrabimus. A corporis bonis igitur exordiamur. *Vir erat in terra Hus nomine Iob*. *Vir*. Hinc incipiendo, quare dicitur Vir, & non homo? Scietis enim tria significata hoc nomen habere posse. Primum, vir, naturæ humanæ imbecillitatem significat. Secundum, honorem, & dignitatem

Hominis in hac vita tria bonorum genera reperiuntur.

Quot modis vir interpretetur.

Lectionis diuisio in tria capita.

gnitatem exprimit. Tertium virium fortitudinem, & (vt vulgo, dicitur) virilitatem denotat. Singula ista tria in hac lectione declarabimus: duo prima in prima; vltimum in secunda parte: & ista pro materia huius lectionis deseruient. Attendite.

Vir pro debilitate naturæ humanæ interpretatur a Græcis.

Auer in græco significat vir; Antropos homo.

Iob 7. 17.

Origenes.

D. Chrysostomus in cantica.

Iac. 5. 16.

Elias oratione clausit atq. reserauit cælum.

Elias similis nobis.

VIr erat, &c. In quem locum Græci expositores pro imbecillitate, & debilitate humanæ naturæ in Iob intellexerunt: ex quo tamen tantæ fortitudinis, & potentiæ exemplum emanauit; & hoc prouenit, quia cum ipsi Septuaginta interpretatione vtantur, inuenerunt hoc nomen non Auer, quod vir significat, sed Antropos, quod homo: quod nomen homo in sacris litteris pro humanę naturæ imbecilitate, ac fragilitate accipitur, vt idem Iob c. 7. testatur, dùm dicit, *quid est homo quia magnificas eum?* quasi diceretur, quare hominem ità extollis, ac magnificas? qui aliud non est, nisi vile quoddam, & vanum? quod quidem ex miserijs, in quas Iob incidit, probare conatur. Ita in hoc loco Origenes fatetur: & D. Chrysost. ait. Hic fragilitatem naturæ humanæ communis describi affirmat, nè alij patientiam sancti Iob nō communem, sed alienam, & extra aliorum naturam suspicentur. Nam mos est apud sacros scriptores, qui dùm aliquid difficile, & quod superet vires humanas explicare contendunt, a debili, & infirma persona perpetratum ostendunt, eo modo, quo gladium tunc subtilioris acuminis dicere solemus, cum a brachio infirmo, debilique veluti mulieris, vel pueri validiorem ictum, & incisionem inducit, iuxta illud sancti Iacobi 5. Mirabilem orationis virtutem explicantis, qui postquàm dixit, *orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Eliæ exemplo vsus est simplici oratione cælum reserantis, ac claudentis; vndè adiunxit. *Elias erat homo similis nobis, passibilis:* vndè Græca translatio ad hāc infirmitatem expressius repræsentanda gemina illa verba, nempè, similis, passibilis, vnico tantùm complectitur verbo, scilicet *Omiopathes*, quod verbum non solum similem passionem & operationem, sed etiam calamitatem, vexationem, & miseriam significat. Quasi diceret, Elias erat nobis similis, non solùm in humanis passionibus, sed etiam in tentationibus, in infirmitate, in vexatione, & similibus: attamen oratione media, mirabilia operatus est, ità, vt cælum ad pluuiam, vt sibi placuit, clausit, resera-

reſeraueritque. Ex qua re etiam occaſionem acceperunt expoſitores orationis Mulieris Cananeæ in Euangelio viſu extollere; dum dicta ſimplex mulier Cananæa, ideſt maledicta, pro filia a dæmone vexata precatur, & tamen ità Christum (ſi fas eſt mihi dicere) ſuperat, & vincit, vt non ſolum gratia, quam cupit, illi impertiatur: verum, & meruit a Christo domino magno encomio, & eximia laude extolli, & honorari, ità, vt ei dicat, *Mulier magna eſt fides tua.* *Orationis mulieris Cananaæ vis & potentia.*

Hoc idem illud Pauli, & Barnabæ in Actibus Apoſt. 14. iunxit, vbi Ciſtrentes miracula, ac eorum operationes intuentes, eos ſupra humanam naturam reputantes, dixerunt, *Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis*, homines ſimiles, ideſt, paſſibiles, ac fragiles, eiuſdem ſenſus, ac intentionis eſſe exiſtimo illud Apoſtol. ad Epheſ. 6. cum dixit, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*: vt ſic diceret. Animaduertite vobis contra quoſdam inimicos præliandum eſſe, vt vbi nos, quaſi in tenebris; ipſi verò in lumine, dimicantur. D. Ioan. etiam de hoc extollens ſe, dicebat Apocal. 2. ſe pugnare vbi ſedes erat Satanæ; dicere volens. Glorior pugnam mihi non ſolum cum hominibus; verum & cum dæmonibus eſſe. Sic & de Iob fateri fas eſt: qui ſimilis nobis exiſtens, & non ſolum cum vxore, amiciſque; ſed cum ipſomet dæmone, cui ipſum tentandi, & affligendi poteſtas data fuit, in certamen deſcendens, victor euaſit. Ideò exemplum hoc mirabile eſt, cum ex re ità debili, fragilique effectus excelſus, & dignus, magna oriatur admiratione. Matt. 15.28. Actor. 14.15. Ephes 6. 12. Apocal. 2.13

Vir erat, &c. Quo ad ſecundam verò conſiderationem, & ſignificationem poteſt nomen hoc ſumi pro dignitate, & honore; & hoc paſſim reperitur in ſacra ſcriptura, videlicet, Prouer. 8. Vbi manifeſtè videtur diſtinctio horū duorum nominum, viri, videlicet, & hominis, dùm dicitur. O *viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.* Quo in loco vox viri pro nobilibus accipitur, & hominis pro ignobilibus: quaſi diceret Propheta, tàm nobilibus, quam ignobilibus loquor. Et in Iſai. 2. *Incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir*, hoc eſt, tàm plebs, quàm Principes idola venerantur. Et 1. Reg. 26. Vbi dignitatem Ducis Abner cupiens Regius Propheta explicare, ait *Numquid non vir tu es, & quis alius* Prouerb. 8.4. *Diſtinctio inter virum, & hominem.* *Vir pro nobilibus, homo pro ignobilibus.* Iſa. 1.2.9. 1. Reg. 26.15.

Homo tripliciter accipitur. *alias similis tui in Israel*? Vbi nota, quòd tripliciter accipitur hæc vox, homo, in sacra Scriptura. Primo loco Adam, secundo Enos, tertio Is. Adam, ideſt, rubeus, propter terram rubeam, ex qua formatus fuit. Enos, ideſt, miser, & salutis expers. Is Hebraicè, ideſt, vir in Latino; & hoc non solum pro sexu à muliere distincto, sed propter dignitatem, ac potestatem, quam habet supra mulierem: & nonnulli doctissimi Hebraicæ linguæ hoc pronomen Is, abstrahunt à verbo substantiuo Ies, quod existentiam significat. Is, ideſt, quasi ens, aut primo existens.

Hinc fit, quòd quotiescumque mulieri excelsum, aut honoratum quidquam tribuitur officium, quod homini potius quã mulieri conuenit, masculino articulo exprimitur, iuxta
Ruth 4. 11. illud Ruth 4. Cum Booz orabat pro matrimonio Ruth aiebat: F*aciat Dominus hanc mulierem, qui ingreditur domum tuam, sicut Rachel, &* Lia, *quæ ædificauerunt domum Israel, vt sit exemplum virtutis in* Ephrata, *& habeat celebre nomen in* Bethlehem; Strenuè, & cum virtute agere, & habere celebre nomen, potius homini, quàm mulieri, competit. Et
Prou. 31.13. Prouerb. 31. de muliere forti dicitur: *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum*, ac in toto capite laudes huius mulieris comprehendens actiones
Mulieris prudentis actiones viro attribuuntur. fortis mulieris demonstrat. Quæ actiones licet mulieris sint: attamen, quia per prudentem, & honore dignam peractæ sunt, homini attribuuntur: vnde sequitur: *Nobilis in portis vir eius: sedetq. cum* Senatoribus *terræ*. Vnde oritur, quòd, dum in Genesi fit mentio inter hominem, & mulierem, quo ad esse naturale, magna reperitur differentia. Primo homo, vir semper; mulier verò adiutorium nuncupatur. Ic-
Genes. 2.18. circo Gen. 2. in mulieris formatione dictum fuit: F*aciamus ei adiutorium simili sibi*, cum coniunctionis nomen minus sit eo, cui adiungitur, vt in brutis apparet: quæ, cum in adiutorium hominis creata sint, ab eo in omnibus plurimum distant. Secundo, quia, vbi de homine dicitur, ad Dei similitudinem formato, de muliere verò formata ad hominis similitudinem, vbi clarè nobilitatis differentia apparet: quod quidem D. Paulus exponens, 1. Corinth. 11. ait. Quod vbi vir capite discooperto orare debet, mulier verò velata; ratio-
1.Cor. 11.28 nemq. subiungit, *Quoniam* (loquens de viro) *imago, & gloria Dei est, mulier autem gloria viri*. Nunc ad meam sententiam redeundo, cum Iob summus sit Princeps, immò re-

gali

gali dignitate ornatus, hoc nomen. Vir, optimo iure, sibi vindicat; quod honorem (vt dixi) ac dignitatem importat. Et licet non me lateat, Caietanum, Iobum Regem fuisse, negare, super verbis eiusdem Iob 29. nixum, aientem: *Cumque sederem quasi Rex, circumstante exercitu.* Ex quibus duo colligit. Primum, quia Regem non se nominat, sed quasi Regem; ideò magnum esse Principem, & Ducem exercitus concedit. Secundum, Principem, & Ducem exercitus fuisse; sed huic opinioni omnes, qui hanc materiam pertractant, aduersantur; signanter Theophanes Nicænus in epist. de pœnit. vbi ait: *A capite enim vsque ad pedes insanabilis, & doloribus plenus, & nudus super fimum sedet, qui paulo ante potens, & Rex erat.* Regem etiam Isydorus illum appellat lib. de vita, & morte Sanctorum. Sic Cæsarius Germanus, Gaudentius Brixinus, Prosper de promissionibus, Philippus, Beda, & alij, præterquam quod ex diuersis alijs locis eiusdem Iob colligi potest, vt in expositione illorum dicturi sumus, signanter cap. 19. vbi idem Iob inquit: *Abstulit coronam de capite meo.* ac in cap. 3. *Nunc dormiens silerem, & somno meo quiescerem cum Regibus, & Consulibus terræ.* Quamuis melior, ac probabilior auctoritas Septuaginta inueniri non potest, qui in fine cap. 42. ipsiusmet Iob aiunt: *Hi sunt Reges, qui regnauerunt in Edom,* cuius regiminis etiam ipse Iob nominatus est. Secundo, hoc idem ex trium eius amicorum verbis comprobari potest: qui calamitatem, quam substinuit, peccato Tyrannidis in eius regno, ab eo, vxore, filijsque suis perpetratæ adscribentes, aiebant euenisse. Vnde cap. 41. ipsum Iob leonem, vxorem eius leenam, filiosque leunculos appellant. Immò cap. 15. 22. 36. verum Regem ipsum fatentur. Tertio probatur ex 2. cap. Tob. Vbi tres amici Iob nominantur, qui cum ipsum Iob non excellerent, cum essent familiares; immò potius inferiores (vt infra videtur) & tamen Reges appellantur. Ergo nec ipsi est talis dignitas deneganda; immo non solum Regem, sed Regem Regum (vt alibi probabimus) censeri debet; quippe qui in tali regione, cum in sublimi tribunali resideret, appellationis locum ab alijs regibus, ac dominis sibi vsurpabat. Ex dictis sufficienter improbatur Iob legitimum Regem fuisse, non successione hæreditaria (vt aliqui aiunt, & hoc euenit, quia Septuaginta de eius successoribus loquentes, eos Reges minimè appellant) sed propter vitæ sanctimoniam,

Iob 29. 25.

Iob Regem esse probatur.

Theophanes Nicænus in epist. de pœnit.

Isidorus lib. de vita, & morte Sanctorum.

Cæsarius Germanus.

Gaudentius Brixinus.

Prosper de promissionibus.

Philippus, Beda

Iob 19. 9.

Iob 3. 13. & 14.

Septuaginta

Iob amici Reges appellantur.

Iob amici Reges sunt.

Iob Rex per electionem. ac in regendo prudentiam, suffragijs populorum electum. Quomodocunque sit, Rex legitimus erat: & ideò hæc nostra expositio probabilior apparet; quia, cum Iob Rex esset, hoc nomen vir supremam dignitatem, ac honorem significat. Vir igitur erat in terra Hus, hoc est, Rex quidam magnus, gloriosus, ac potens. omnesque alios in illa Regione antecellens. Remanet tertia expositio huius verbi vir: sed de hoc in secunda Parte. Quiescite.

SECVNDA PARS.

Vir accipitur pro fortitudine. TERTIO loco nomen Vir accipitur à Latinis in contrarium sensum, prout à Græcis vsurpatur: nam, vbi Græci (vt supra diximus) pro debilitate, infirmitateque humanæ naturæ, à Latinis verò pro virilitate, fortique animo interpretatur; q. d. fuit vir, idest, homo fortis, homo strenuus, qui pugnans aduersus dæmonem, tribulationesque patientiæ telis victor gloriosus euasit: de quo affirmari potest quod Latinus Poeta canit:

Virgil. Aen. 1. *Arma, virumque cano.*

Suida. Et Suida de eodem loquens, ait: Sic extitit fortis, vt aduersarium omnibus progressibus prostrauerit. Et Prosper de *Prosper de Praedest.* prædestin. prima parte cap.22. Diabolum superasse affirmat: qui omnes animi fortitudinem (vt dixi) virilitatemq. ostendunt. Quasi diceret, Vir, idest, homo inuictus, & (vt etiam *Iustus masculus, peccator femina dicitur:* vulgo dicitur) homo virilis. Ideò in sacra Scriptura homo iustus, masculus: è contra verò peccator femina nuncupatur. Qua propter Origenes illud Exod. 1. exponens: *Origenes super Exod. 1. 16.* *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum, si femina, reseruate*, ait, quod pro femina carnis infirmitas: pro masculo verò rationis firmitas intelligitur; quæ cælestia contemplans, *Iustus terrena aspernatur.* terrena aspernatur: quoniam qui sensualitati addicti sunt, veluti feminæ sæpe sæpius à dæmone superantur, & vincuntur: è conuerso qui sensualitates, luxusque abhorrent, masculorum, ac fortium more resistentes, palmam aduersus Numer. 1.2. hostem reportant. Ideoque cum in Numerorum libris præcipit Deus, vt populus numeretur; de masculis solum, & non de feminis verba facit: immò inter masculos eos solummodo

modo elegit, qui ad perfectam ætatem, videlicet, viginti annorum peruenerint: Quo tempore homo viribus pollet: *Tollite*, ait, cap. 1. *Summam vniuersæ Congregationis filiorum Israel per cognationes, & domos suas: & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium ex Israel*, excludens mulieres, puerosque; necnon aduenas Barbarorum, quia in his mores ex se improbissimi erant: in illis verò vis debilis, ac tenuis existebat. Solummodo verò homines bellicosos, ac strenuos eligens, vt nobis annueret iusti fortitudinem.

Vnde optimo iure palmæ iustus in sacra Scriptura comparatur, iuxta illud Psalm. 91. *Iustus, vt palma florebit*; & hoc pluribus causis. Prima, quia palma in inferiori parte aspera, duraque existit. Sic Iustus in inferiori parte sensus difficultates, asperitatesque patitur: vnde Diuus Paulus 2. Corinth. 11. *Fui in laboribus plurimis*. Secundo, palmam in summitate venusta, pulchraque est: sicut iustus in cælo speciosissimus erit: vnde Sap. 3. *Fulgebunt iusti sicut Sol*. Tertio; palma fructus suos sero producit: & ideò quanto antiquior, tanto vberior est. Sic iustus gloriæ fructus non adipiscitur, nisi longo labore, sudoreque vexatus: *Ecce Agricola* (inquit Diuus Iacobus Apost. 5.) *expectat pretiosum fructum*. Quarto, & vltimo (quod ad rem nostram attinet) Palma, instar bellantium, seu gladiatorum ensium folia habet. Sic Iustus contra inimicorum ictus, nempe carnis, mundi, diabolique continuo tela tendit, ac vibrat: & quod folijs vestitur palma; totidem virtutum ensibus induitur Iustus: vnde in Cantic. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & ad tela doctissimi vniuscuiusque ensis super fœmur suum*. Quid Salomonis lectulus significat, nisi militantem Ecclesiam? Qui verò milites custodientes, nisi iusti, qui varijs, diuersisque virtutibus amicti ipsam custodiunt, ac seruant? Sic D. Gregorius homil. 17. super Ezechiel. locum istum intelligit.

[Margin: Psal. 91. 13. — *Iustus palmæ comparatur pluribus de causis.* — 2. Cor. 11. 13 — Sapient. 3. 7. — Iacob. 5. 7. — *Iustorum gladij.* — Cant. 3. 7. — *Per lectulum Salomonis Ecclesia significata.* — *D. Greg. super Ezechiel.*]

Hinc oritur, quòd de Ecclesia asseritur, ipsam non feminas, sed masculos generare, videlicet, fortes, ac iustos homines: vnde ad hoc annuere voluit locus ille Isai. 66. vbi ait: *Antequam parturiret peperit: antequam veniret par-* Isai. 66. 7.

tus eius peperit masculum. In quem locum Eusebius Cæsariensis Hist. Eccles. lib. 1. cap. 4. & Diuus Ambrosius in exhortat. ad Virgines pro sancta Ecclesia interpretantur, quæ breui temporis interuallo tot fideles, & iustos paritura erat: quod non solum mũdo, sed etiam ipsimet Prophetæ admirationem induxit. Iccirco idem Propheta subiungit: *Quis audiuit vnquam tale? Et quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in die vna? Aut parturietur gens simul, quia parturiuit, & peperit* Sion *filios suos*? Et quidem, sicut fortis, ac virilis animi illi existimari debent, qui fortiter tentationibus resistunt. Sic è conuerso infirmi, effeminatique animi censendi sunt illi, qui passim tentationibus succumbunt.

Eusebius Cæsar. hist. Eccl. lib. 1. cap. 4.
D. Ambrosius in exhortatione ad Virgines.
Ecclesia paritura erat fideles plurimos.

Ad quatuor mala peccatum principaliter inducit, & eadem generat. Primum (& equidem luctuosum) est, quòd ab anima Deum expellit; non quòd Deus à peccati malitia superetur; & iccirco violenter expellatur; sed quia Deus ex anima peccatrice recedit; & demeritoriè expelli dicitur: nã sicut Deus, media gratia, animam Christianam inhabitat, veluti in eius aula singulari, ac peculiari: quæ cum à peccati labe pollnatur, optimo iure Deus, qui in sordibus nõ delectatur, ab ipsa recedit, & elongatur: & hoc modo peccatorem ab eius anima Deũ expellere dicitur. Exẽp. gratia. Si tu pulchrę Dominę in matrimonium coniunctus esses, & quodam die in domum tuam coram illa publicam meretricem induceres, & in mensa residentem, vxori præciperes, vt illi inseruiret, obsequiumque præstaret: non ne legitimè posset à te recedere, lamentarique semper? In hunc sensum possunt verba Iacobi, quæ ad eius vxores habuit Gen. 31. explicari, aientis: *Volo recedere hinc: non enim respicit me Laban, sicut heri, & nudius tertius*. Sic Deus cum peccatore, qui gratiam amisit, se gerit: non enim ipse peccator Deum ipsum reliquit; sed Deus, qui peccatum odit, ab ipso recedit, iuxta illud prophetæ Dauid Psalm. 50. *Ne projicias me à facie tua, &c.* Secundum verò damnum est, quòd operationes omnes, licet optimæ sint, mediante gratia perpetratæ, per peccatum iacturam patiuntur: & merito, quia, sicut recedente Principe ab aliqua ciuitate, recedunt cũ eo cariores, familiaresque omnes: sic recedente à peccatore Deo Optimo Maximo, omnes, & singulæ operationes ab eius gratia effectæ, & coa-

Peccatum quatuor mala generat.
Deus recedit ab anima peccatrice.
Anima demeritorie expellit Deum ab ipsa.
Simile.
Genes. 31.
Psal. 50. 13.

& coadunate, dilabuntur. Qua re Ezechiel. 18. ait: *Si autem verterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum abbominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerit, non recordabuntur.* Et Eccles. 9. *Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet:* non secus, ac mors cum corpus interficit, omnes eius pulchritudines, ac omnia dona naturalia demolitur, & deijcit: ita peccati labes, quæ animæ mors, destructioq. dicitur, omnes pulchritudines, operationesq. in gratia perpetratas aufert ab ea; quod quidem merito per illud Moysi in Exod. adumbratum fuit, qui populum occasione vituli aurei idolatrantem inueniens; statim (vt Scriptura enarrat) ab eo recessit, ac in parte longinqua, & ab alijs remota, conopæum suum, resq. omnes locauit, ac fixit. Ita Deus à peccatore recedens, secum omnia bona quæque à sua gratia procedunt: & sunt opera meritoria: aufert, & tollit; & hoc præcipuè est, quod maximè à Doctoribus animaduertitur: nempè, Christianos maximoperè attendere debere, nè pro tam leui voluptate, & luxu tot, tantaque bona amittere. Tertium damnum est, quòd peccatum eò peccatorem ducit, vt quantumuis bonum operari molitur; numquam tamen meritorium, & vita æterna dignum perpetrari possit. Nam, sicut qui mancipium emit, & tota die ipsum laborare cogit, nullamque ei reddens mercedem, quia mancipium illius est; sic peccator, mediante peccato, ita diaboli seruus efficitur, vt omnes operationes eius ad ipsum pertineant: Vnde Ioan. 8. dicitur: *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Iam non affirmo operationes eius omnes à peccatore perpetratas esse dicenda peccata, vt impius Lutherus asseruit: assero tamen vita æterna esse indignas. Hoc autem optimo figuratur miraculo illo Coniugis Loth in salis statuam versæ. Genes. 19. Sterilitatis eulogium, ariditatem peccatoris annuens, à quo æternæ vitæ fructus proficisci non potest. Iudææ Rex à Nabuchodonosor captus, oculis orbatus fuit. Sic Dæmon ita peccatorem exiccat, vt ipsemet peccator, quid agat, ignoret, sed semper in tenebris ambulat. Quartum, & vltimum damnum, & omni lamentatione dignum est, hominis, ac mulieris liberum arbitrium debile, ac infirmum ita reddit, vt merito dici posit virilem animum illos amisisse, & effœminatum pœnitus euasisse: causa huius mali est, quia cum appetitus sensitiuus non totaliter subditur rationi, homo

Ezech. 18. 24.
Eccles. 9. 18.
Peccatum animæ mors.
Exod. 33.
Christianus non debet pro breui voluptate tanta bona amittere.
Peccatū reddit hominem seruū diaboli.
Ioan. 8. 34.
Gen. 19. 26.
Peccatum liberum arbitrium debilitat.

non poteſt etiam in ſtatu gratiæ venialia peccata euitare : vnde dicitur Prouerb. 24. *Septies enim cadit iuſtus*; eo magis homo gratia orbatus : & per conſequens pars rationalis totaliter Deo rebellis effecta (qui noſtrarum operationum finis eſt) non poteſt circa media non errare, mortaliter peccare , vltimoque fini aduerſari . Quare Diuus Gregorius lib. 25. Moral. cap. 12. aiebat: *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit* . Et D.Chryſoſtomus in Matthæum 12. Super illa verba, ſoluite, & adducite mihi , ait : *Sicut nauis timone priuata, eò tendit , quò minimè vellet : ſic homo ſine diuinæ gratiæ timone, ſæpe ſæpius, non ſicut debet, & vellet, operatur* .

Prou. 24.16.
D.Greg. lib.25. Moral.cap.12.
D. Chryſoſt. in Matth. 12.

Et merito quidem : nam primi parentes propter vnum ſolummodo peccatum ita debiles, infirmiq. euaſerunt , vt non tantum ipſos, ſed poſteros omnes infecerunt . Quanto magis peccatoris anima debilis, fragiliſq. propter tot , tantaq. ſcelera , ac peccata , quæ in dies admittit , euadet ? Et magna quidem Methamorphoſis , ſeu transmutatio in fidelium Eccleſia apparet . Nam, vbi in primitiua homines, ac mulieres, virili , fortiq. animo reperiebantur : qui nec mortem ipſam metuebant : nunc verò adeo viluerunt , exterritique ſunt, vt chriſtianitatis nomen vix retineant;quod abſque admiratione, ingentique ſtupore contemplari nequit ; & hoc ex multiplici capite . Primo, quoniam Deo inſeruire , ac ipſum venerari , & diligere , homini à natura eſt,cum quodlibet opus naturali propenſione Factori ſuo inclinetur : icci co quilibet effectus ſuæ cauſæ aſſimilari cupit: Nam, ſi vas intelligentia præditum eſſet, ab artifice ſuam perfectionem obnixe poſtularet : & quoniam Dei opus ſumus, hac de cauſa omnes naturaliter ad illum amandum inclinamur . Vnde Eccleſ. 7. *In omni virtute tua dilige eum , qui te fecit* . & 47. *Dilexit eum, qui fecit illum* . Secundo quilibet artifex, quo propius fini accedit , & perfectius , & velocius operatur . Vnde Philoſophus, inquit , Motum in fine velociorem eſſe : & cum nos in hac tempeſtate vltimo fini propinquiores ſimus,maiori attentione , & vigilantia diuinis incumbere deberemus . Tertio , ex parte gratiæ . nam Chriſtus Dominus , ait Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant* . Si ergo Deus in principio ſufficientem gratiam dedit hominibus , qua eum ſequi,amareque poſſent; multo vberiorem nunc nobis dabit, cum in manifeſtiori neceſſitate reperiamur . Quarto, &

Eccleſiæ mutatio
Deo ſeruire naturale eſt.
Eccleſ. 7.32. & 47. 10.
Ariſtot.
Ioan. 10. 10.

to, & vltimo, quanto magis prælium prolongatur, & fini appropinquatur: tanto feruentius, fortiusque instauratur: & nos cum iudicio in dies appropinquamus. Vnde Paul. Eph. 5. exclamabat; *Videte fratres, quoniam dies mali sunt*, ad conflictum contra inimicos, tentationesque maiori conatu nos præparare, & vincere debemus: *Quia* (2. Thimot. 2. dicitur) *non coronatur, nisi legitime certauerit*, idest, vsque in finem, & fortiter certauerit. Perpendite modo, si omnibus his prænarratis rationibus, feruentiores, & deuotiores Ecclesiæ primitiuæ christianis esse deberemus: tamen contrarium apparet. Ex gratia reperitur miles quidam strenuus, ac fortis, qui per multas acies fortissimè se gessit: ex quibus apud omnes ingentem æstimationem comparauerit; attamen tempore carnisuiuij fœminilibus pannis indutus, ita personatus incedat, vt fœminam in omni actione sua adamussim præseferat: & qui eum antecognouit intuens huiusmodi mutationem valde admiratur. Sic de nostræ tempestatis viris, ac mulieribus affirmare potest: nam, vt primi christiani omnibus virtutibus; nempe patientia, fortitudine, paupertate, abstinentia, caritate erga Deum, & proximum, singulisque virtutibus præditi erant. Nunc verò è conuerso ferè ab omnibus virtutes in vitia commutatę sunt. Vnde Isai. 13. ad hoc alludens, inquit: *Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.*

Iudicio appropinquantes feruentiores esse debemus.

Ephes. 5. 16.

2. Tim. 2. 5.

Simile.

Isai. 13. 8.

TERTIA LECTIO.

De virtute Perſeuerantiæ.

IN QVA DVO EXPLANANTVR. PRIMVM, neceßitas virtutis Perſeuerantiæ ad obtinendam inimicorum victoriam. Secundum, quòd inimici ſunt neceſſarij ad victoriam obtinendam.

Iob 1.

Vir erat in terra Hus, nomine Iob.

PRIMA PARS.

SICVT ad accingendum ſe prœlio fortis, viriliſq. animus neceſſarius eſt: Sic itidem ad obtinendam ex bello victoriam neceſſaria etiam eſt in prœliando Perſeuerantia. Inimicuſq. cum quo præliandum eſt, *Vir erat in terra Hus, nomine Iob.* *Vir*, en fortis, viriliſq. ad bellum animus: vt in præterita lectione notificatum eſt. *Erat*, en in conflictu Perſeuerantia; *in terra Hus*, en Hoſtis accinctus: quo cum confligendum, vt in præſenti. *Erat*; Perſeuerantiam in prœliando inueniemus, & erit pro primæ partis materia. *In terra Hus*: hic inimicos ad bellum paratos inueniemus; & erit pro ſecundæ partis materia. Attendite.

Diuiſio lectionis in duo capita.

ERat. Exordiamur hinc; & quidem cum aliqua textus inter noſtram vulgatam, & ſuum originale Hebræum, nempe, & Græcum differentia intercedat. Nam in illis textibus habetur, *fuit vir*, tempore perfecto: immo & ſeptuaginta idem tranſtulerunt: noſtra verò vulgata habet, *erat* tempore imperfecto, non modicam affert difficultatem. Ad hoc reſpondetur, quod in Hebræo textu nulla eſt difficultas, cum in eo idem ſit perfectum, ac imperfectum; & idem eſt dicere fuit, ac dicere, erat; & in hoc non eſt difficultas. Sed quare vulgata potius *erat*, quam *fuit*, vſa eſt? & licet in Hebræo

Textus differentia.

bræo idem esse concedamus, scire vellem, cum apud eos differant: cur ergo vulgata potius hoc imperfectum, quàm illud perfectum accepit? Et qua re non dixit fuit, sed potius erat? Et quamuis prima facie ista subtilis, & nimis curiosa quæstio videatur: attamen, quia ex ipsa materiam vtilem, ac necessariam pro explanatione textus huius in medio afferemus, non ab re fore spero, si eam dilucidauerimus, ac explanauerimus. Ad quod breuiter respondeo, quòd vulgata exprimere intendens, rationem continuam vitæ Iob tempore imperfecto, & non perfecto vti necesse fuit: quia perfectum finem, & rei consummationem designat: non autem imperfectum, quod potius durationem, ac continuam actionem demonstrat. Nam imperfectum est in fieri; perfectum verò in facto esse. Hinc prouenit, quòd in omnibus locis sacræ Scripturæ, vbi continuatio hæc insinuatur, vulgata transfert, *erat*: & vbi in originali habetur, *fuit*; hic, *erat*. Ita in Genesi 10. vbi textus Hebræus, ait: *Nembroth fuit robustus venator coram Domino*: vulgata verò transtulit, *erat robustus venator*, idest, continuo se circa venationem exercebat. Hoc idem in eadem Genesi 42. Vbi Hebræus habet, *fuit fames in terra*: vulgata verò, *erat fames in terra*, videlicet, fames in illa regione in dies crescebat: sic in Exod. 8. ibi, *fuerunt Cinifes*, hic, *erat Cinifex*, videlicet, quotidie augebantur: sic 3. Reg. 5. ibi: *Fuit pax inter Hiram, & Salomonem*, hic, *erat pax*, videlicet, stabilis, firma, continuaque familiaritas. Sic in Daniel 4. ibi: *Ego Nabuchodonosor quietus fui in domo mea*; hic, *eram quietus*, videlicet, in continua pace, tranquillitateque morabar. Sic tandem de sancto Iob: *Vir fuit*, Hebræus textus ait; sed nostra vulgata, *erat vir*, videlicet, vt intelligatis hunc hominem non solum fuisse virilem, ac fortem; sed hanc virilitatem, & fortitudinem in eo fuisse continuam, & sine aliqua mutatione in bono semper perseuerantem: &, vt nobis duo à principio vitæ Iob innotescant. Primum nempe, vt dixi, perseuerantiæ virtus: Secundum, quos effectus gignat.

Genes. 10.9. Gen. 42.6. Exod. 8. 17. 3. Reg. 5. 12. Daniel 4.1. *Iob perseuerans in bono.*

Quo ad primum. Perseuerantia nil aliud est, nisi quoddam nobilissimum instrumentum, quo finis noster acquiritur: Vnde Christus Dominus, Matth. 10. dixit: *Non qui incæperit, sed, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*. Et sanctus Ioannes Apocalyp. 3. ait: *Qui vicerit, faciam*

Matth. 10.24 Apocal. 3.12

ciam illum columnam in templo Dei *mei : & scribam super eum nomen* Dei *mei* : quasi diceret, bonum nuncium annuncio vobis, Fratres; nam qui vicerit, & de inimicis triumphauerit, *ponam illum columnam in templo Dei mei: & scribam super illum nomen eiusdem* Dei. Ecclesiam catholicam, congregationemque fidelium esse templum Dei, nefas est dubitare; nam sic Regius Vates eam appellat psalm. 44. illis verbis. *Afferentur in lætitia, & exultatione; adducentur in templum* Regis. Quod templum iuxta D. Augustinum pro Ecclesia capitur. Et Isai. 6. *Plena erat omnis domus maiestate eius: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Vbi D. Hieronymus, & D. Gregorius in Ezechiel, pro templo Ecclesiam intelligunt: & ita omnes Patres. Nunc vero peto, huius Ecclesiæ quæ sunt columnæ? Sancti. Primo loco Apostoli; deinceps cæteri omnes; vndè Regius Vates psalm. 74. inquit Ego *confirmaui columnas eius*. Et D. August. pro sanctis locum istum accipit. Qui ergo sanctus erit, quia Ecclesiæ Dei columna efficitur, hic de suis inimicis victoriam reportabit. Doctores vnanimes aiunt impossibile esse, hominem, mulieremque suæ salutis certitudinem habere: quod quidem verum est, quoniam operationibus nostris salutis præmium correspondet: & hæ in tantum sunt meritoriæ, in quantum a Deo acceptantur. Verum, quia nemo scit, an odio vel amore dignus sit, hinc prouenit, neminem esse certiorem, vtrum intra vel extra gratiam Dei sit. Attamen non nulla signa reperiri affirmant Doctores, ex quibus hanc veritatem extrahi possit. Inter quæ principem locum (puto) perseuerantia in bono incepto obtinere. Illi ergò, qui quasi columnæ stabiles, & firmę in bono incepto perseuerant: isti, inquam aliquam diuinæ gratiæ certitudinem habere possunt: ideò textus Apocal. subiungit. *Et scribam super eum nomen* Dei *mei*. Admirandum certè perseuerantiæ præmium. Num vidistis aliquando, quòd cum aliquis columnam, aut Colossum aliquod erexerit, in illius apice eius nomen exarat? Quid in bono perseuerantes sunt, nisi columnæ a Deo erectæ? In istarum columnarum frontispitio Deus suum nomen inscripsit. Et quid hæc inscriptio sit operatura, nisi quòd ab alijs eum distinguet, & illi indicium præbebit, quo in Dei gratia esse, se post gloriam accepturum fore.

Ecclesia templũ Dei.

Psalm. 44. 16.

D. Augustinus.

Isai. 6. 2.

D. *Hieron.* & D *Gregorius in Ezechiel.*

Sancti columnæ Ecclesiæ.

Psal. 74. 4

D. *Augustinus.*

Operationibus nostris premium correspondet.

Gratiæ signa reperiuntur.

Simile.

perseuerantes in bono quid sunt.

Contingit, aliquem nobilem iter facturum, & per inimicorum

corum necessario transiturum terras, quid facturum existimamus? Principem Regionis adit, a quo diploma sigillo Principis insignitum impetrans, securè, & absque offendiculo aliquo inter inimicos transit. *Et scribam super eum nomen Dei mei*. Homo ille, vel mulier, quæ in bono perseuerans, est, & in hac virtute in dies crescens, optimum existimari debet signum. Nam diploma a Deo signatum, & eius gratia munitum, affert, quo ex hac vita securè, & absque vlla molestia sit transiturus. De Ioseph in Genesi 37. dicitur habuisse tunicam talarem: vndè legitur, *Nudauerunt eum tunica talari, & polimita*; Et hoc prouenit, quia dicta tunica pertingebat vsque ad talos secundum Hieronymum. Quem locum D. Greg. lib. 1. Moral. c. vlt. exponens, ait. Solus Ioseph inter fratres talarem tunicam habuisse perhibetur: quia ipse solus inter fratres vsque in finem perseuerasse describitur. Quid enim (inquit) est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim talaris tunica talum corporis cooperit, cum bona actio ante Dei oculos vsque ad vitę terminum nos tegit. Hinc est, quòd Christus apparuit Ioanni indutus veste Sacerdotali in Apoc. 1. quæ erat vsque ad talos, ad ostendendum amorem, qui in ipso fuit talaris, idest vsque ad finem vitæ pertingens, iuxta illud Io. 13. *Cùm dilexisset suos, vsque in finem dilexit eos*. Eadem tunicæ talaris expositio traditur ab Eligio Nouionensi Episcopo ad pœnitentes, & refertur in appendice Bibliothecæ Patrum. Vbi addit idem significari a Christo, cum de se ait Apocal. 1. *Ego sum Alpha & Omega. idest principium, & finis*, vt nimirum non solum bono principio contenti simus; sed finem etiam bonum habere studeamus.

Simile. *Gratia Dei diploma perseuerantis.* Gene. 37. 23. *D. Hieronymus.* D. Greg. li. 1. Moral. c. vlt. *Christus quare apparauit Ioan. indutus veste sacerdotali?* Apoc. 1. 13. Ioan. 13. 1. *Eligius Nouionensis Episcopus ad pænitentes.* Apocal. 1. 8.

Potest Perseuerantia assimilari lauro; primo ratione viriditatis, eo quod suo virore nec hyeme, nec æstate hæc arbor spoliatur. Sic ergò debet homo perseuerare in bono, vt nec hyeme aduersitatis, nec æstate prosperitatis virorem virtutis omittat. Secundo ratione securitatis: hæc enim arbor esse dicitur, quæ seruat a fulminibus, & phantasmatibus. Propter primum dicitur in eius historia, quod Tiberius Cæsar, cælo tonante, laurum in capite solitus erat ferre, nè posset a fulmine lædi. Propter secundum dicitur, quòd Rebecca propter morem gentium, quem in parentibus viderat, sertum lauri capiti suo imposuit: & ramis herbæ, quæ Agnus castus dicitur, incubuit, vt visiones veras videret, & phan-

Simile. *Perseuerantia assimilatur lauro.* *Laurus a seruat a fulminibus, & phantasmatibus.*

Dioscor. & phantasticas non sentiret. Quantum ad tertium, Dioscor. inquit, quòd folia eius viridia, si conteruntur, multum odorifera sunt; &, si apposita fuerint ad puncturam apum, & vesparum, omnem tumorem lædunt; libros, & vestes, cum quibus ponuntur a tineis, & a vermibus tutos seruant: similiter perseuerantibus in bono nec fulmina aduersitatum, nec Phantasmata dæmonum, nec puncturæ infirmitatum nocent; sed omnia finaliter his prosunt. Tertio ratione dignitatis: laurus enim dicitur a laude, eo quòd eius ramis, & folijs cum laudibus victorum capita olim coronabantur, vt auctor est Isidorus. Sic sola perseuerantia laudem, & coronam meretur nam sine perseuerantia (vt Gregorius inquit) nec pugnans victorem, nec victor accipit palmam.

Perseuerantibus in bono, nec fulmina aduersitatum, nec phantasmata dæmonum nocent.

Isidorus.

Laurus signum victoria.

Gregorius.

D.Hieronymus.

Ecclef.11.

D.Hieronymus exponens illa verba Ecclesiast.11. *Mane semina semen tuum, & vespere nè cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur hoc, aut illud, & si vtrumque simul; melius erit* (ait) *cum benefeceris, numquam a bono opere desistas; matutinam iustitiam vesper inueniat, & vespere misericordiam solis ortus accumulet: incertum est enim, quòd opus placeat Deo, ex quo tibi fructus iustitiæ præparetur; aliter in adolescentia, & in senecta æquus tibi labor sit, nè dicas, dum potui laborare, debeo in senectute quiescere: nescis enim vtrum in iuuentute, an in ætate longæua placeas* Deo; *nec prodest adolescentiæ fragilitas, si senecta ducatur in luxus in quacumque enim die errauerit iustus, veteres eum iustitia a morte liberari non poterunt. Quòd si iuxta vtramque interpretationem semper benefeceris, & in omni ætate æqualem cursum habueris, videbis Deum Patrem dulcissimum lumen*. Hæc ille. Quod quidem rationi consentaneum est; nam sicut consuetudo, & continuata possessio legem affert, & ius; nempè vsucapionem, vel præscriptionem: sic in bono incæpto perseuerantia in iusti mentē legem inducit, qua certificatur de præmio, quod bonis operationibus correspondet. Venatoris canis leporem insequitur, & si a vepribus spinis, rupibus, foueis. ac alijs impedimentis tardatur: attamen, vt feram consequatur, omnia pro nihilo ducit. Qui nauigat mare, & si a tempestate corripiatur, non tamen vela extendere negligit. Et qui tandem ad brauium currit, etiam, si lapidum, ac aliarum rerum impedimenta inueniat, numquam in cursu desierit, donec ad præscriptum locum perueniat. Vnde D.Paulus *Quis nos separabit a caritate*

Consuetudo legē inducit.

Simile.

Rom. 8. 18.

Dei

Dei: tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an gladius?

E conuerso verò de non perseuerantibus in bono incæpto, & de recidiuantibus ad sensualitatem, & peccatum; quia, cum contrariorum eadem sit disciplina, sicut in bono perseuerantes pro certissimo habent, se salutem consequuturos; hi autem certissimam de sua damnatione cognitionem habent: Hos duabus stellis ab Astrologis nominatis in capite, & cauda Draconis positis assimilare possumus; quæ, cum in firmamento moueantur, & suo proprio motu à Leonis signo ad Cancri signum transeant: & ideò, sicut Leo est fortissimus animalium, ita Cancer tenuissimus, & è contrario graditur gressu: ita, qui in bono non perseuerant, ad instar Leonis incipiunt, & more Cancrorum retrogradi finiunt: vnde Apost. Gal. 3. *Cum spiritu cæperitis, nunc carne consummamini*. *Simile.* Gal. 3. 3.

Num vidistis ornatum militem, qui per plateas, & vicos gladio cinctum, fortem se præseferat? attamen, si casu inimicus eius compareat, statim terga vertit; hoc innuit Spiritus sanctus, Psal. 77. cum ait: *Filij Hephraim intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli*. Sic aliqui magno feruore Deo inseruire incipiunt, & postea turpiter ab incæpto desistunt. *Simile.* Psal. 77. 9.

Pueri in medijs plateis varia construunt, alij de laterum fragmentis domum ædificant, alij in puluere scribunt, alij in alijs puerilibus se exercent: quæ omnia breui interuallo ipsimet destruentes, ad nihilum reducuntur. Vnde Sapient. 12. *Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti*. Et quid aliud sunt illorum Christianorum non in bono perseuerantium opera, nisi puerorum ludi, qui breui tempore durant, & à semetipsis fœdantur? Quot reperiuntur in orbe terrarum vniuerso, qui in Paschate, & nonnulli in Quadragesima benefacere incipiunt, & postea peiores euadunt, quam incæperunt? Et quidem sacri Doctores aiunt, peiorem, ac damnatiorem esse recidiuationem, quam sit peius perpetratum peccatum: nam ista dæmoni, ac tentationibus maiorem occasionem præbet. Vnde Christus Dominus noster dixit Luc. 11. *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Et hoc mirum figuratum est in historia coniugis Loth, quæ in salis statuam est conuersa. Hic quæritur, quare in sale, & non in alia materia fuerit conuersa? Respondetur, quia inter creata omnia nihil reperitur aridius, sterilius que

Simile. *Recidiuantes tanquam pueri æstimantur.* Sap. 12. 25. *Recidiuatio peior peccato prius commisso.* Luc. 11. 26.

iiusque sale. Hinc est, quòd, quando aliqua ciuitas demolitura, iubetur, vt numquam amplius ædificetur, sale conspergitur. Loth coniux retrospexit, & sal sterilissimus effecta est. Sic Christianus, qui à bono incępto retrocedit, sterilis bonorum operum penitus euadet. Sed, quia Iob in bono perseuerantissimus fuit. Ideò Scriptura, vt innueret hoc, vsa est verbo, *erat*: non autem *fuit*.

SECVNDA PARS.

Terra diuersimode accipitur in sacra Scriptura.

ERat, igitur sanctus Iob in bono opere, iugiter perseuerans: sed vbi? *In terra* Hus. Hic plura quærunt expositores. Primum, quo modo hoc vocabulum *terra*, hic capiatur, cum in sacra Scriptura diuersimode accipiatur; nam aliquoties vniuersaliter pro vniuerso orbe, veluti
Gen. 2. 5. in Gen. 2. *Non erat qui operaretur terram*, idest, in toto orbe non operabatur; aliquoties, pro vno vel pluribus regnis
3.Reg.15.11 simul, vt 3. Reg. 15. *Fecit Asa rectum, & abstulit effeminatos de terra*, hoc est, de suo regno. Nonnumquam pro vna
Deut. 24.14. tantummodo ciuitate, vt Deuter. 24. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra*, hoc est, in patria tua. Ideò, si tu hic à me scire desideras, quo modo capitur? pro toto regno, intelligi respondeo. Nam, cum supra probauerimus, Iob Regem esse; sequitur ergo, quod de toto suo Regno intelligatur, dum ait, in terra. Secundum; quæ terra, quod regnum hæc erat? Ecce, *in terra Hus*, quæ Idumæam esse in finibus Arabiæ positam, communiter Doctores affirmant: sed quomodocumque sit, hoc nobis parum refert: sufficit scire, fuisse Gentilium regionem, & gentium habitatam, quæ veri Dei cognitionem ignorabant: immo populum omnium vitiorum, & peccatorum refertum. Vnde ipsemet Iob ait: *Frater fui*
Iob 30. 29. *Draconum, & socius struthionum.* Iob 30. Ex hoc ego quæro, Cur permisit Deus Iob nasci inter gentes adeò pessimas?
D. Gregorius. D. Gregorius ait, quòd ad maiorem gloriam, & honorem ipsius Iob, & omnium iustorum hoc Deus permittit: neque enim valde laudabile est (ait D. Gregorius) bonus esse cum bonis, sed bonus esse cum malis. Et merito quidem: nam, sicut qui inter bonos, & sanctos moratur, & malus est, vituperio

Terra Hus Gentilium habitatio.

Deus qua re permittit Iob nasci inter gentes pessimas. *D. Gregorius.*

perio est dignus: sicè conuerso, qui inter malos moratur, & bonus est, magno honore, & laude afficiendus est. Ideò D. Petrus in 2. sua Canonic. 2. mirè extollit sanctum Loth, quia inter pessimos peccatores se innocentem, & incolumem seruauit. Et D. Paulus ad Philipp. 2. discipulos suos commendare cupiens, dixit: *In medio nationis praua, & peruersa, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Et in Apocal. 2. Episcopus Pergamensis de hoc peculiariter laudatur; vnde dicitur: *Scio vbi habitas, vbi sedes est Satana, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam*. Sponsus de hoc idem sponsam commendans, ait. Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Ierusalem*, omnes (inquam) vnanimes, vt nos doceant, quòd habitare inter malos, attamen bene viuere, maximè encomij, & laudis est. Hoc indicare voluit, idem Iob cap. 16. cum dixit: *Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Tenuit*; loquitur ad modum hominis debilis, cuius caput tenetur à fortissimo, eum pro sua voluntate conterentem: *Et posuit me quasi signum*, videlicet, in quo omnia tela sua coniecerat. Vnde statim subiungit: *Circumdedit me lanceis suis*: quem locum D. Gregor. de fideli populo mysticè exponens: *Iccirco* (inquit) *signum ponitur, vt sagittarum emissione feriatur. Fidelis itaque populus in signum hosti suo positus: quia eum semper suis ictibus impetit, suisq. persecutionibus affligitur. Qui enim in hac vita assidua mala tolerat, veluti in signum positus, ictus excipit ferentis*: vnde Paulus Thessal. 3. cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutione aduersariorum generet teneram discipulorum mentem de suis afflictionibus consulens, ait: *Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus*: ac si eis aperte diceret (inquit D. Greg.) quòd in hoc tempore vulnera nostra miramini? Qui, si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, vt feriamur; eodem sensu dixit de Christo Simeon. Luc. 2. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur*: Sic enim eum locum intellexit Tertullianus; vbi disputans aduersus Marcionem negantem veram in Christo carnem: *Cognouimus* (inquit) *adimpleri propheticā vocem Simeonis super adhuc recentem Dominum infantem, pronuntiantem, Ecce, hic positus est, in signum, cui contradicetur: signum natiuitatis Christi* secundum Isa. 7. *Propterea hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo conci-*

[Margin notes: 2. Petr. 2. — Philipp. 2.15 — Apoc. 2. 13. — Cant. 2. 2. — Iob. 16. 13. — *D. Gregorius*. — Thessal. 3. 7. — *D. Gregorius*. — Luc. 2.34. — *Tertullianus*. — Isai. 7.14.]

concipiet, & pariet filium. Agnouimus enim *signum contradicibile, conceptum, & partum Virginis Mariæ.* Nota tamen primo, quod nomen, & ratio signi, & scopi quoddam, & certum præfixum omnibus publicè denotat, ad quod omnes possunt impunè iaculari, amici pariter, & inimici, noti, & ignoti. Nota secundo, quòd signum quoddam præfixum, & ineuitabile significat, vt dicere possit, cum semel Deus doloribus, & ærumnis iustum aliquem exercere decreuit numquam aberrare à scopo, cum intendit arcum, numquam non collimare, numquam dare significationem, vt fugiant à facie arcus; sed ita Deus ministrari semper, vt minas, atque terrorem ictus sequatur: & nullus (vt dixit alibi idem Iob 3.) *Timor, quem timebam, euenit mihi: & quod verebar accidit.* Et Paulus loco superadducto, rem hanc persequens, sic subijcit: *Nam, & cum apud vos essemus, prædicabamus vobis passuros vos tribulationes, sicut, & factum est, & scitis.* Non sic agit Deus cum improbis, vt cum perpetuas illis intentet minas, & gladium suum vibret, arcum suum tendat, & paret illum, & in eò paret vasa mortis, atque sagittas suas ardentibus efficiat: numquam tamen, vel ad minus raro, illos collimet diuina vltio. Et hoc prouenit, vel quod illi fugiunt, & à laboribus se subducunt, vel quòd Deus intendat arcum; numquam verò remittat chordam: aut ita remittat, vt terriret tantum, non configat; hactamen indulgentia, nisi nunc conuertantur, erunt profectò postea scopus, ad quem se tandem exercitent, & iaculentur vniuersæ creaturæ cum pro Deo pugnabunt; neque aberrabunt: ibunt nimirum directè emissiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur: & ad certum locum insilient, videlicet, in caput impiorum; neque in frustra erit illa per Hierem. 30. comminatio: *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet:* & postea, *in nouissimo dierum intelligetis ea, &c.*

Signum. & scopum quid indicent. — Psal. 59. 6. — Iob 3. 25. — 1. Thess. 3. 4. — *Improbis sæpe minatur Deus, vt in hac vita rarò illos collimet.* — Psalm. 7. — Sapient. 5. — Hierem. 30. 23.

Secundo loco permittitur etiam ad vtilitatem, & meritum iustorum; nam ex malorum persecutione, ad eorum virtutem exercendam plurimum adiuuantur; torpet enim absque certamine virtus. Homo cibum ore mandit, & ad stomachum immittit, statim, vtque cibus peruenit illuc, naturalis calor in illum agere intendit, & non quiescit donec in suam substantiam eum conuertat; & hoc modo stomachus, immò totum corpus simul nutritur, vnde Iud. 19. dicitur: *Gusta prius*

Persequutio ad vtilitatem iustorum permittitur. — Iud. 19. 1.

prius pusillum panis, & conforta stomachum. Quid enim sunt tribulationes, ac impiorum exempla, nisi cibus pro stomacho, idest, gloriæ, meritique materia? E conuerso, vbi stomachus vacuus est in seipsum agit; & sic tandem consumitur; nam, cum à nemine torqueatur, solet ab ira, luxuria, vanagloria, alijsque vitijs vexari. Sic iustus absque occasione meritum adipisci nequit: nam quo modo dilectionis præceptum absque inimicis adimpleri potest? Quo modo patientiæ virtus sine tribulatione apparebit? & sic de singulis. Nauis profundum nauigans mare, sæpe sæpius in tempestate prospere se gerit: in tranquillitate verò naufragium patitur. Vnde hoc prouenit? quia in tempestate nautæ cautè se gerunt; & illis vtuntur medijs, quæ necessaria iudicant: at in serenitate negligentes aliquando in scopulis nauis colliditur aliquando in arena frangitur, ac diuersimodè perit. Vnde Ecclesi. 33. dicitur: *Sapiens non odit mandata, & iustitias, & non illuditur quasi in procella nauis.* Iustus in tribulationibus melior efficitur, & quasi aurum purificatur. Hoc autem prouenit, quia cautè ambulat; sed in prosperitatum tranquillitate, sæpe in luxu, aut saltem in vanagloria mergitur.

Tribulationes sunt cibus iustorum.

Inimicorum dilectio non potest sine inimicis adimpleri.

Simile.

Ecclesi. 33. 2.

Tertio loco, permittit hoc Deus iustis, vt agrum Ecclesiæ ad maturitatem perducat, & verificari parabola. Matt. 13. in qua Christus ait, vt vsque ad finem zizania cum tritico crescat, vt tunc in æstate, cum totum ad maturitatem peruenerit, zizania à tritico seligatur, hoc in horreum reponatur: illud verò in ignem deijciatur. Nam veniet æstatis, seu iudicij tempus; & tunc fiet separatio bonorum à prauis: hi in ignem mittentur: illi verò in horreum cæli collocabuntur. interim finite crescere simul (ait Deus) idest, necesse est in præsenti vita, & omnes simul conuiuant.

Matth. 13.

Iudicij tempus æstas dicitur.

Quarto, tandem permittit hoc ad vtilitatem ipsorummet peccatorum, seu impiorum; quia vbi Deus sæpe malitia suorum peccatorum prouocatur: è conuerso bonitate iustorum, ne ad vindictam procedat, retinetur. Interim secum ad confabulandum aliquis nobilis, ac eius amicus reperitur, qui cum pro seruis instanter rogans pœnæ dilationem impetrat. Hoc totum ad litteram annuere voluit Spiritus sanctus Ezechiel 22. cum dixit: *Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sæpe, & staret oppositus contra me pro terra, nè dissiparem eam.* Quoties propter eius flagitia cogitauit Deus de perditione populi Hebræi; sed Moysi oratione remoratus

Iustorum bonitate Deus retinetur.

Simile.

Ezech. 22. 30

Oratione Moysi Deus remoratus est.

Exod. 32. 10.

est: vnde ipsemet aiebat Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Hinc duo extrahuntur. Primum, quia, cum multi peccatores simul reperiantur, & quia Deus ad longum distrahit punitionis tempus: minori seueritate puniendos se cogitant. Immò, cum Deus magis offendatur, feruentiori ira calescit, & celerius ad iram, & flagella prouocatur. Secundum, quam longe falluntur illi, qui se à bonorum commercio abstinent, cum ex illorummet bonorum oratione, & deprecatione à furore suo quodam modo coërceatur Deus. Et hic me continere nequeo, quin exclamem. Si enim boni inter malos meliores fiunt, Deiq. iram placant, quanto magis ad vindictam propter peccata tua (ò Christiane) prouocabitur? Cum non solum inter bonos manens, sed in meliori loco, vbi caput, & fundamentum Ecclesiæ locata, radicataque, vbi sanctorum Martyrum vndique fluunt exempla: immò quasi ipsemet sanguis ex parietum lateribus emanare videtur: illorum dico, qui tormentis affecti, mortiq. traditi sunt, vt agrum hunc Ecclesiæ ad perfectionem reducerent, fructuumque gloriam cumularent. Nihilominus vbi vberiores fructus reddere deberes, vice versa in lolium, ac zizania in dies crescis, & adolescis.

Deus peccatorū malitia prouocatur.

QVAR-

QVARTA LECTIO.

De Dei dilectione.

IN QVA EXPLANANTVR DVO. PRIMVM, dilectio Dei circa homines ardentissima. Secundum, quòd omnibus modis, quibus demonstrari poterat, hæc dilectio, Deus nobis innotuit.

Vir erat in terra Hus, nomine Iob. Iob 1.

PRIMA PARS.

CVM in duabus præteritis lectionibus de virilitate, & perseuerantia, ac inimicorum sancti Iob truculenta malitia, occasione moti, trium priorum verborum primæ clausulæ tractauerimus: nempe, *vir erat in terra Hus*. Quartum modo remanet verbum, scilicet, *nomine Iob:* quasi diceret. Strenuus iste miles in bello contra varios hostes perseuerans vocatur Iob. Et quia quatuor modis hoc nomen Iob ab expositoribus interpratatũ inuenio, videlicet. Primo, *carissimus Deo*. Secundo, *patientia*. Tertio, *dolens, aut gemens*. Quarto, *inimicitia*. De his omnibus quatuor in sub sequentibus lectionibus verba faciam. Et à prima incipiendo, *nomine Iob*, idest, carissimus Deo; nam, sic interpratatus est D. Cyprianus aduersus Iudæos. Et iure quidem, quandoquidem ipsemet Deus talem eum appellat, omnibusq. denunciat, dum addit: *Non est similis illi in terra, simplex, & rectus*: Ergo Deo carissimus. Quæ caritas est eadem illa, quam, docti aiunt, esse eamdem cum gratia. Nam gratia est, qua mediante, creatura diligit Deum: caritas, verò, qua creaturam amat Deus. De qua dilectione duo dicemus. Primum, quòd dilectio hæc, qua Deus nos diligit, ardentis-

Iob ab expositoribus quatuor modis declaratur.

Iob. idest, carissimus Deo.

D. Cyprianus aduersus Iudæos.

Lectionis diuisio in duo capita.

ſima eſt. Secundum, quòd omnibus modis, quibus amor iſte manifeſtari licuit apertiſsimè omnibus protulit. Quæ omnia in hac lectione explanabimus: duo prima capita in prima: tertium in ſecunda parte. Attendite.

QVo ad primum, *nomine Iob*, ideſt, cariſſimus Deo. Et hinc incipiendo, antequam ad alia me transferam, aliqua notatu digna explicabo. Primum eſt, quod Deus circa ipſa diligibilia in primo ſigno diligit finem, ſcilicet, ſeipſum, qui omnium eſt alpha, & omega, principium, & finis. In ſecundo ſigno, diligit ea, quæ poſſunt viſione, & fruitione participare dictum finem, ſicut ſunt creaturæ rationales, ſcilicet homines, & Angeli. In tertio ſigno, diligit media ad habendum illum finem, ſicut ſunt gratia, virtutes, & gloria. In vltimo, diligit creata alia, quæ propter nos facta ſunt: nam 2. Phyſ. dicitur, quòd nos ſumus quodam modo ſigna omnium: vbi proſpicis totum Dei amorem in creaturas rationales diffundi.

Deus quo modo ſe gerit circa diligibilia.

Ariſt. 2. Phyſ.

Secundo, notandæ ſunt tres in hac materia veritates. Prima eſt, quòd amor noſter ab amore Dei differt, & ſpecialiter in hoc; quia amor noſter cauſatur à bonitate rei, & ab ipſa mouetur: ſed amor Dei cauſat bonitatem rerum, & bonitas in rebus ex amore Dei profunditur: declaratur, quia ipſa rei bonitas, ſiue ſit vera, ſiue æſtimata, tamquam obiectum prouocat nos ad amandum rem talem, & cauſat in nobis talis rei amorem. Vnde, non, quia rem diligimus, ideò res eſt bona, ſed è conuerſo, quia res eſt bona; ideò eam diligimus: ſed amor Dei cauſat, & profundit bonitatem in rebus; quia bonitas Dei eſt ratio volendi omnia alia, & eius amor eſt cauſa omnium bonitatum: vnde Auguſtinus de Doctrina Chriſt. inquit. Quia Deus bonus eſt, ſumus: ſed quia dilectione, & caritate ſumus, ideò diligimus Deum: quam caritatem infundit nobis Deus ex mera ſua bonitate, qua nos diligit, vt ſimus boni, & Deum amantes. Ergo amor Dei eſt cauſa exiſtentiæ, & bonitatis noſtræ, atque noſtri amoris.

Amor Dei differt ab amore noſtro.

D. Aug. de doct. Chriſtiana.

Secunda veritas, dilectio Dei, qua nos diligit, duplex eſt, vna æternalis prædeſtinationis, videlicet, qua nos Deus ab æterno dilexit iuxta illud Hierem. 31. *Et in caritate perpetua dilexit te.* Altera eſt dilectio Dei temporalis, ſcilicet, iuſtificationis, qua nos Deus ex tempore diligit; & huius

Hier. 41. 3.

huius dilectionis temporalis est quadruplex effectus, quos Amor Dei in nobis gignit,& parturit. Primus est gratiæ infusio. Secundus, gratiæ conseruatio. Tertius, gratiæ augmentatio. Quartus tandem gratiæ consummatio, scilicet, in gloria.

Tertia, & vltima veritas est, quòd de ratione caritatis principalius, & prius Deus diligit hominē, quàm homo diligat Deum: & ratio est, quia homo per caritatem est Deo carus; & quia in Iob Deus hanc suam caritatem, & gratiam infunderat, vt ipsemet de illo testatur, cum dixit, quòd non sit simplex, & rectus in terra similis illi; quæ omnia sunt effectus caritatis, & gratiæ: sequitur. Ergo, quòd erat Deo carus; & secundum hanc interpretationem Iob carissimus dicitur: immò non solum Iob, sed de quolibet homine, aut muliere in gratia existente hoc dici potest: nempè, quòd sit Deo carissimus.

Et hoc prouenit, quia amor Dei erga creaturam est amor verus, & ardens: vnde ipsemet in Exod. 34. manifestauit, dum dixit: *Noli adorare Deum alienum, Dominus Zelotes nomen eius, Deus est æmulator*. Quem locum Origenes interpretans, ait: *Respice quantus sit amor Dei erga hominem, qui non tantum negat amorem aliorum, verumetiam illorum imaginem apud se retinere vetat*: de quo huius rei Ezech. 16. clarissimum exemplum habemus, vbi loquens Deus de Synagoga, quasi de simplici Virgine ab eo summe dilecta; attamen ad alios amorem suum diuertisse lamentatur, dicens: *Et transiui per te, & vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium*: aut (vt alij vertunt) *tempus amorum*, seu, *vberum*, vt Septuaginta transtulerunt, *tempus diuertentium*: & hoc optimo iure: nam pubertatis tempore, in quo mulieribus pectus excrescere solet, vocatur *tempus vberum*; & est illud, quo homines, mulieresque ad amores diuersos diuerti solent. Sequitur Ezechiel: *Et expandi amictum meum super te, & ingressus sum pactum meum, & facta es mihi: & laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te; & vnxi te oleo, & vestiui te discoloribus, & calciaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus*: & cum alia plura addat beneficia illi impartita, subiunxit, *& habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*. Tum verò sequitur ob dictam fornicationem Dei indignatio, dicens: *Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam iustificatio-*

Exod. 34. 14.

Origenes.

Ezech. 16. 8.

Septuaginta.

nem tuam. Alij verò vertunt; diminuam *statutum cibum tibi*: ex quo loco tria colliguntur. Primum homini à Deo beneficia impertita complectens. Secundum errorem, quem committit homo, relinquendo Deum, & creaturæ se tradendo. Tertium, diuinam indignationem, qua Deus flagitium hoc punit. Quæ omnia ardentissimum Dei amorem, quo

Zelotes quid significat.

creaturam diligit, apertè ostendit; & quo Deus Zelotes iure optimo nuncupatur. Vbi notandum est, Zelum nihil aliud significare, nisi mentis effectus, quo amans cupit se ab amata ita diligi, vt vniuersus eius amor erga illum feratur; nec vnam quidem huius amoris scintillam in alium, nisi in se, ferri patitur. Et quia Deus creaturam hanc taliter amat; ideò eius amor ignitus, ac Zelotes vocatur.

Deus diligit creaturam amore Zelanti.

Quam dilectionem quinque signis dignoscere possumus (& erit secundum caput nostræ Lectionis.) Primum verbis, & est cum amantis cor amoris igne ita est plenum, vt verbis ostendat: vnde Christus, Matth. 12. ait: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*. Secundum, ob singularia beneficia amatæ exhibita ab amante: & hoc primum antecellit; cum non parui inueniantur, qui bona verba proferunt, factis autem minimè respondeant. Qua re D. Gregorius ait: *Probationem dilectionis esse operis exhibitionem*. Tertium, ob obsequium personale amatæ ab amante præstito; & hoc tertium duo priora excedit; nam plures inueniuntur, qui amicabiliter in verbis, & beneficijs cum amata se gerunt: attamen personalia obsequia amatæ præstare nolunt. Et huiusmodi fuit amor Iacobi cum Rachele, pro qua quatuordecim annis Laban seruiuit. Quartum, propter aduersitatem, & persequutionem, quam amans propter amatam patitur; & propter illam omnia aduersa negligens. Et hoc quartum tria priora longissimè superat; nam multi reperiuntur, qui amica verba amatæ proferunt, munera largiuntur, obsequiaq. præstant; tamen pauci reperiuntur, qui aduersa sufferre audeant. Huiusmodi erat D. Pauli amor, dum. 2. Corinth. 12. aiebat: *Ego autem libentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris*. Quintum tandem, & vltimum ob amantis patientis maiestatem. Et quidem, si vnus amicus pro alio æquali amico aliquid patiatur, hoc plurimum est. Sed, vt Rex se morti pro pauperculo obijciat, hoc omnem superat amorem. Nunc ad meam reuertens sententiam, cum Deus singula hæc homini amoris signa ostenderit; clarè apparet,

Amor verus quatuor signis cognoscitur.

Matth. 12. 34

D. Gregorius.

Iacobi amor erga Rachelem.

1. Cor. 12. 15

paret, illum excelsum, intensum, ignitumque amorem esse.

Primo, amorem suum verbis ostendit; & hoc per Moysen, & Prophetas, quibus medijs populo Hebræo legem, præcepta, consiliaq. præscripsit: qua re Leuit. 18. dixit: *Custodite leges meas, atque iudicia*: & hoc eximium amoris signum fuisse, Baruch. 4. declarauit, dum ait: *Beati sumus, Israel, quia, quæ Deo placent, sunt manifesta nobis*.

Amoris Dei primum signum.

Leuit. 18. 5.

Baruch 4. 4.

Secundo, ob exhibita beneficia; & hoc ante legem, tempore legis, & post legem peregit; nam temporibus omnibus homini, mulieriq. omnia bona, tam corporalia, quam spiritualia contulit, cælestiaq. dare promittens. Iccirco Christus dixit. Matth. 6. *Non ne anima plus est, quam esca? Et corpus plusquam vestimentum. Quærite ergo primum regnum Dei*; quo in loco pro anima bona spiritualia capiuntur, per corpus verò, ac vestimenta temporalia, & per Dei regnum cælestia bona: & merito quidem, quia Deus, cum desideret tribuere nobis cælestia bona, prius spiritualia impertitur; & si spiritualia, eò magis corporalia, & temporalia tribuit: & qui maiora dat, minora non negat.

Matth. 6.25. & 33.

Tertio loco, nostram carnem assumens, tertium amoris signum ostendit: nempe nobis per spatium triginta annorum corporaliter, & præsentialiter inseruiendo, proprijsque administrando manibus: vnde ipsemet de se dixit. Matth. 20. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*: & iure optimo, cum totam suam curam, ac diligentiam collocauerit in claudos, cœcos, debiles, & infirmos alios curandos, atque mortuos suscitandos. Qua re de ipso dicebatur, quòd transibat omnibus benefaciendo. Et licet in duobus alijs signis maximi amoris indicia præ se tulerit: hic tamen, quasi semetipsum superauit; cum nemo reperiri potuerit, qui cupiens, suis gratijs, ac donis frui nequiuerit: qua propter in duobus locis peculiariter in sacra Scriptura solis nomen tribuitur ei. 1. Malach. 4. vbi dicitur: *Et orietur vobis* (loquens de Messia) *timentibus nomen meum Sol iustitiæ: & sanitas in pennis eius*. Et Cant. 1. de ipsomet dicitur: *Nolite considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol*. Et non immeritò: nam, sicut Sol quatuor generat effectus, quibus rebus omnibus deseruit: ita Christus quatuor modis toto mundo prodest. Primo, Sol omnia corpora cælestia quantitate excellit iuxta Astronomorum opinionem: ita Christus

Amoris Dei tertium signum.

Matt. 20.28.

Christus se Incarnando ostendit nobis tertiũ signum amoris.

Malach. 4.2.

Cant. 1. 6.

Christo Solis nomen tribuitur.

omnes Sanctos in magnitudine gratiæ superat non solum vt Deus, sed etiam vt homo: nam gratia non ad mensuram collocata fuit ei, hoc est, totaliter, non particulariter, quantum ad omnes effectus gratiæ. Aut non ad mensuram, idest, super omnem proportionem respectu aliorum hominum. Aut non ad mensuram, sed in plenitudine, vt etiam in alios reredumdet. exempli gratia. Capite vos aliquod vas, ac replete illud aqua, vel alio liquore, & postquam fuerit repletum; superimponite aliam aquam; statim videbitis effluere, & dimanare hinc illinc ex vasi labris: sic in Christo gratia non ad mensuram, sed insuper abundantia, ita excrescens, quòd in alijs redumdauerit. Secundo, Sol in claritate singula cælestia corpora superat: nam (vt ait Aristoteles in lib. de proprietatibus elementorum) sicut de rebus calidis datur vna prima causa: sic etiam de lucidis vnum principium, & hoc est Sol. Iccirco vocatur Sol, quasi solus lucens. Ita Christus omnes lumine sapientiæ, & scientiæ anteit. De quo meritissimè dicitur Ioan. 1. *Quod erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: talisque fuit, vt omnibus tribuens, merito dicitur, quòd omnes de eius plenitudine accepimus. Tertio, Sol in dignitate, & maiestate corpora cælestia excellit, iuxta illud Eccles. 43. *Sol in aspectu annuncians in exitu vas admirabile*. Ita Christus in maiestate, dignitateque superat omnes; cum, vt Deus, sit æqualis Patri; vt verò homo, omnium Beatorum gloriosior est. Vnde Ioan. 1. dicitur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: & D. Paulus Hebr. 1. *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus*. Talisque fuit hæc dignitas, quòd hic in terra morans, hominibus etiam reliquerit, qui instar locum tenentium inter homines conseruarent; Petro prius, deinde, reliquis ei legitimè, ac apostolicè succedentibus: & hoc determinatum fuit illis verbis: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Quarto tandem, & vltimo, cum Sol maiori virtute sit præditus, præ ceteris alijs cælestibus corporibus generandi super omnia creata in terra virtutem retinet. Vnde Eccles. 42. *Sol illuminans per omnia respexit*. Sic de Christo dici potest, quòd in regenerando spiritualiter homines omnes, qui ad hoc missi fuerunt, longissimè superauit. Qua re ipsemet dixit Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum* Dei. Quam potestatem non solum alijs in terra reliquit:

Christus omnes Sanctos superauit in gratia.

Gratia in Christo non ad mensuram collocata fuit.

Sol in claritate superat singula corpora cælestia.

Aristoteles de proprietatibus elementorum.

Sol, idest, Solus lucens.

Ioan. 1. 9.

Christus in scientia, & sapientia omnes superat

Eccles. 43. 2.

Christus, vt Deus, æqualis Patri, vt homo, gloriosior omnibus.

Ioan. 1. 14.

Hebr. 1. 4.

Eccles. 42. 16

Ioan. 3. 5.

reliquit: sed etiam propria auctoritate statuit, ac strictè, medijs Sacramentis ordinauit: & hoc non alia de causa, nisi ad vtile iuuamen, &, vt, veluti Sol, qui suo continuo gyro vniuersa producit, & regit: sic ipse spiritualia cuncta suo nutu gubernaret, ac regeret. Qua re Apostolus ad Hebræos, scilicet de ipso loquens, ait: *Factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ*. Quam ob rem caput Ecclesiæ dignissimè nuncupatur, cum ad instar capitis suas virtutes Ecclesiæ membris diffuse dispartiatur. *Sol habet virtutem generandi super omnia creata inferiora.* Hebr. 5. 9.

Immò iccirco ob talem hominibus exhibitam seruitutem agricolæ, ac pastoris nomen adeptus est. Agricola: *Pater familias plantauit vineam*. Matth. 21. tantumq. circa illam impendit laboris, vt omnia, ac singula quæque necessaria, nempe & sepem, & torcular, & turrim, & quidquid ad hoc necesse fuit diligentissimè extruxerit. Pastor: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas*. Ioan. 10. In qua actione notificatur obsequium hoc amore ardentissimo plenum. Primo, quia pastoris ministerium laboriosissimum est, cum propter custodiendas oues soli, vento, pluuiæq. continuò expositus sit. Secundo, cum diuersas habeat oues, nempe, homines, & angelos: de homine tamen tantam curam habuerit. Tertio, ex centenario numero ouium, quas habebat, nonaginta nouem in deserto (idest in cælo) reliquit: & hanc vnam perditam quærere venit. Quarto, post tot labores eam inueniens, non irascitur illi; sed suauissime blandiendo illi, supra proprios humeros deferendam ponit. Quinto, tanta fuit lætitia repletus, tantoq. gaudio effectus, vt in se quasi consistere nequiens, vicinos, ac familiares ad secum congratulandum conquirat: ita, vt tota cælestis curia huius rei ingentem lætitiam ostenderit. Hinc cognoscere potestis hunc tertium amoris radium per obsequium, & seruitutem corporalem ab ipso homini præstitum, quantæ admirationis dignum sit. Remanet quartum, & vltimum amoris signum; sed de hoc in secunda parte. *Christus Agricola.* Matt. 21. 33. *Christus Pastor.* Ioan. 10. 11. *Pastoris ministerium laboriosum.*

SE-

SECVNDA PARS.

Apellis opera. CVM aliquando rogaretur insignis ille picturæ magister Apelles, vt in parua tabella Gigantis figuram pingere vellet, prius diuersis cogitationibus super hoc pressus; tandem post aliquantulum temporis ad id se accingens, brachium tantum Gigantis in illa sculpsit; & in dictæ tabellæ summitate duos satyros, qui brachij manum, & digitos dimetiebantur. Ex cuius opera facile ab omnibus

Dei amor gigās maximus. reliqua corporis magnitudo comprehendi poterat. Sed dicito, quæso, quid est Dei amor? Vel (vt melius dicam) Dei erga homines amoris affectus? nisi altissimus Gigans, & talis, tantusq. vt in hac breui lectione consistere nequeant? & ad me pro viribus declarari possit? Iccirco brachium tantummodo vobis ostendo, vt à vobis comprehendi, ac eius magnitudo, & immensitas dimetiri intellectu quodam modo possit. Vsque adhuc tres amoris radios cōnumerauimus. Nunc ad quartum alios tres superantem accedamus. Dixi vobis secundum præexcellentem primum: tertium, primum, & secundum: hoc verò quartum tribus prioribus præstantius esse haud dubito: quod quidem ex contrarijs aduersisq.

D. Bernardus. rebus patefacit; & congruentissimè D. Bernardus, inquit: *Quia pro nobis passus est dura verba, duriora verbera, & durissima crucis tormenta.*

Quam amoris magnitudinem mirificè Ioannes in Apoc. 1.

Apoc. 1. 5. insinuauit dicens: *Princeps Regum terræ, qui dilexit nos & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Vbi licet plura notari possint. Primo, sanguinis abundantia, qua nos lauit; quia, cum parua quantitas ad abluendum sufficiens esset: attamen totum effundere voluit. Hinc est, quod Ps. 129. appellauit copiosam, ac abundantem ablutionem, dicens:

Psal. 192. 4. *Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum re-*

Luc. 9. 31. *demptio.* Et Luc. 9. vocat eam excessum, vbi dicitur: *Et dicebant excessum eius*: cuius figura Ægyptiaci populi in mari

Sacrificiū Christi in quo differat ab antiquis. rubro submersio fuit. Secundo, addens D. Ioannis textus, *in sanguine suo*, differentiam huius ab antiquis sacrificijs indicat: nam, vbi illa brutorum sanguine perficiebantur; istud verò per ipsummet sanguinem filij Dei consummatum est.

Vnde

Vnde D. Paulus Hebr. 9. *Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta.* Tertio loco rem notatu dignam innuit nobis: nam, cum sanguinis natura sit inficere, atque sordescere: iste tamen lauat, ac mundat, vnde Isaias 1. de eodem ait: *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & , si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Vbi, licet communis opinio pro difficultate, qua peccatum deletur, accipiendum esse affirmet: Tertullianus contra Marcionem lib.4. cap.10. D.Augustinus lib.12. contra Faustum Manichæum; D. Basilius in Ascetibus disputationibus 10. D. Cyprianus lib. 21. testimoniorum aduersus Iudæos cap. vltimo, tamen affirmant colores ad Christi sanguinem referendos esse, quasi dicat. Si nostra flagitia, & peccata coccineo colore (idest, Christi rubeo sanguine) fuerint respersa, vt Nix, lanaque dealbabuntur. Hoc idem in Psalm.50. habetur, cum dicitur: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Vbi leprosi mundationi cum hyssopo, ac sanguine passeris factæ alludens, vt habetur Leuit.14. Et vbi tacite regius vates peccato se aspersum affirmans, de alia re loqui non potest, quam de Christi sanguinis lotione: quo Adami peccatum purgari debuerat. Qua re Isaias 52. *Iste asperget gentes multas.* Et Iacob Patriar. Genes.42. huic mysterio alludens, dum, morti propinquus, filium suum Iudam, benedicens, ait: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Quo loco nil dubij est, quin de Christi sanguine loquebatur, qui ex Iudæ Tribu carnem sumere debebat. Et licet per pallium, & stolam communiter accipiatur pro gloria Christi accidentali, quam eius sanctissima humanitas in passione meruit. Attamen Origenes homil. 17. in Genesim pro Ecclesia, sanguine Christi, abluta intelligit. Hoc idem D. Augustinus libro de benedictionibus Patriarcharum, cap.4. lib. 12. contra Faustum: sic Diuus Chrysostomus hom. 45. in Ioan. qui hunc locum pulchra similitudine declarans, dicit: *Sicut ferrum in liquefacto auro immersum remanet inauratum: sic anima in Christi sanguine immersa; decorata, ornataq. eius gratia remanet.* Quarto, & vltimo loco in verbis Ioannis reperiuntur illa tria verba: *Princeps Regum terræ*: in quibus huius amoris magnitudinem mirificè ostendit. Quasi diceret, quòd actio hæc non à

Hebr. 9. 12.

Isai. 1. 18.

Tertullianus cōtra Marcionem lib.4.c.10.
D.August.lib.12 contra Faustum manichæum.
D.Basilius in ascetibus disputationibus 10.
D. Cyprianus lib.21. testimoniorum aduersus Iudæos cap. vlt.

Psal. 90.91.
Leuit. 14.

Isai. 52.14.
Gen. 49. 11.

Origenes homil. 17. in Genesim.
D. Aug. lib. de benedict. Patr. c.4. lib.12. contra Faustum.
D. Chrys. hom. 45. in Ioannem.
Sanguinis Christi pulchra similitudo,

communi, & vulgari persona procedit, sed à Principum Principe, ac Dominorum domino. & sequitur: *Qui dilexit nos*, vbi in illo *qui*, & *nos* admirabilis iuxta positio, & nempe *qui*, idest, maximus Dominus cæli, terræq. nosq. creaturæ fœdissimæ,& suarum manuum opera plurimum minima.

Ephes. 2. 3. Quem amorem D.Paulus Ephes. 2. appellauit nimium: *Eramus natura filij iræ, sicut & ceteri: Deus autē, qui diues est, in misericordia. Propter nimiam caritatē suam, qua dilexit nos.*

Rom. 5. 8. Et ad Rom. 5. *Commendat autem Caritatem suam Deus in nobis; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Itaque si in alijs tribus signis singularem erga nos amorem ostendit; in hoc quarto adeò excellit, vt se totum amore erga nos succensum esse videatur.

Simile. Cuidam iuueni si auferatur ab inimicis dilecta, quam supra vitam diligit, quid cogitatis illum facturum? Dicam, licet sibi mortem impendere videat, cum inimici maiores, fortioresq. eò sint. Attamen amore sponsæ flagrans, audacter persequitur eos vsque ad mortem. Certè Christus sciebat Iudæos sibi mortem parare: nihilominus non solum non fugit, sed potius vltro illos adire quærit; & hoc non alia de causa, nisi propter ingentem amorem erga genus humanum, pro quo mori non metuit, iuxta illud Abachuc 3. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Hoc idem insinuauit D. Ioannes Apoc. 1. cum dixit, se vidisse Christum pedes habere similes auricalco, sicut in camino ardenti: pedes, cum extrema corporis pars sint; extremum etiam vitæ Christi denotant: qui sic forti animo ad mortem accinctus fuit, vt illius merito dici possit eum durissimis metallorum pedibus accersisse. Attamen in camino ardenti propter ingentem erga nos sui amoris magnitudinem. Et in cap. 5. dixit: *Se vidisse Agnum, tamquam occisum, habentem cornua septem*; Cornua pro fortitudine notasse nemo dubitat, vt in Psal. 17. dicitur: *Protector meus, & cornu salutis meæ*; numerum verò septenarium perfectionem signasse, hoc etiam verum est. Quasi diceret, hic immaculatus Agnus ita mortem spontè, & tali animi fortitudine mortem quæsiuit, vt maior inueniri nequeat. Vnde Abacuch 3. Postquam dixit: *Cornua in manibus eius*, addit; *ibi abscondita est fortitudo eius.*

Christus mortem non timuit. — Abac. 3. 5. — Apoc. 1. — *Christi fortitudo in morte.* — Apoc. 5. — Psal. 17. 3. — Abauc. 3.4.

Simile. Apprehendite lampadem vnam, ac eam illuminate, lumen reddet.

reddet. Sumite aliam: maius lumen; decem, centum, mille, & plures; & sic multiplicabuntur lumina, vt, tenebris omnibus euacuatis, cælum totum serenum, ac apertum quodam modo videatur. Hic Christi amor non instar vnius lampadis fuit, neque scintillæ vnius; sed *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, ait Cant. 8. Aliquoties solet auolare aliqua pars: ignis per domum, quæ adminiculo paruæ aquæ facile extinguitur. Aliquoties tamen ita inualescit, vt, licet tota Ciuitas auxilium porrigendo occurrat: extinguere tamen non sufficiunt, quia nimium ignis inualuit. Hinc est, quòd postquàm Spiritus sanctus in loco Canticorum præallegato, dixit: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*, adiecit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem*. Christi amor talis fuit, vt contrarietatum, ac tribulationum nulla potuerit extinguere. Legitur in Leuit. . . . . quòd ignis ille, qui ad sacrificia comburenda de cælo descendit, ita super altare asseruabatur, vt nec pluuia, nec nix, aut vlla contrarietas extinxerit vmquam. Sed quid iste ignis est, ait D. Cyrillus lib. 4. D. Greg. lib. 3. Moral. D. Bernardus ser. 4. in festo omnium Sanct. nisi Christi amoris ignis? Contra quem nihil aduersum præualuit. Naturales aiunt in Cypri insula Gumbi quoddam reperiri, cui, si ignis applicetur, ita ignescit, vt, si aquarum ministerio extinguere volueris, ita inualescit, vt deinceps extingui totaliter nequeat: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*: dilectus meus (inquit sponsa de Christo Domino) similis est Cyprinæ Gumbi, cui quanto magis ei aqua tribulationum infunditur, eo magis accenditur.

Cant. 8. 6.
Simile.
Christi amor igni maximo cōparatur.
Cant. 8. 7.
D. Cyrill. lib. 4.
D. Greg. lib. 3. Mor.
D. Bernardus serm. 4. in festo omnium Sanct.
Cant. 1. 14.

Hinc accidit ipsummet Christum loquentem de sua morte, ipsam mitibus verbis, ac epithetis nominare: & iure optimo; nam, si Christum rogas, quæ illa essent flagella, quæ tormenta, qui claui, quæ cruces, quæ ad mortem ipsum duxerunt? Commodum, & molle dicet esse cubile; & quod verum sit, vbi omnes Prophetæ, & præsertim Dauit Psalm. 68. nominauit dictam mortem acerba feritate repletam, immò, mare, tempestatem, & similia, dicens: *Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me*: ipse autem calicem, crateram, dulce poculum, ac ciathum suauibus liquoribus plenum appellauit, dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* O domine, quæ comparatio est ista? Si Spiritus sanctus Prophetarum ore nominauit tuam passionem

Psal. 68. 3.
Passio Christi mare spatiosum.
Ioan. 18. 11.

profun-

profundum, ac calamitosum æquor : & merito, quoniam in te, tàm paruo temporis spatio omnes possibiles pœnas inuentione fabricandas tui inimici collocauere : tu verò contra suauem Calicem putas; vnde filijs Zebedæi dexteram in regno tuo petentibus, tuam offerens passionem, respondisti : *Calicem quidem meum bibetis*. Quid vult istud, nisi lætitiam internam ostendendi causa, qua pœnas, ipsamq. mortem pro nobis amplectebaris?

D. Bernardus. Quid amplius? D.Bern.ait,certum esse quantum Christus subtulit, ipsũ pro inimicis substulisse,vt D.Paulus affirmauit

Rom.5.10. Roman.5. *Si enim cum inimici essemus,reconciliati sumus* Deo *per mortem filij eius* : & iure optimo, quia peccata delendi, ac peccatores vitiorum maculis,quæ omnes sunt eius hostes,

Christus pro inimicis mortuus est. mundandi causa mortem subijt. Attamen,si ab illo petis,pro quibus passus es, responsum tibi dabit, pro amicis. Vnde

Ioan. 15.13. ipsemet Ioan. 15. dixit : *Maiorem hanc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Qua re,ergo, Paulus ait, pro inimicis : ipse verò pro amicis mortem, & pasionem sustulisse? nisi eiusdem pasionis lætitiam,quam pro nostri amore patiebatur, declarandi causa.

D. Aug. de consensu Euangel. lib.3 c.5. D. Augustinus de consensu Euangelistarum lib.3. c.5. admirans dixit : O *magnum, & incredibile factum, illi insidias immisit* Iudas; *Hebrai falsa accusant*; *Gentiles iniustè condemnant*; *Satellites omni crudelitate ei mortem inferunt. Attamen, si flagitas, quis tibi mortem intulit? dicet à Patre hoc euenisse. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, vt bibam illum?* En maximi amoris signum.

Simile. Erit Princeps,qui gemmam ardenti animo diligit, tantum curat, vt dominus ei illam denique vendat, & illius tanto ardore flagrans, soluit pro illa maius pretium, quòd constat. Quid agit inde? suis amicis ostendit,dicens, hanc mihi amicus ille donauit; licet caro emerat. Christus pro nostris culpis, nostrisque peccatis multum, quod non debuerat, sol-

1. Petr. 1.18. uit. Vnde Diuus Petrus 1. eius Canonica 1. dixit : *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi immaculati Agni Christi*. Et D. August. super verba, *Redempti estis*, dixit, idest, sæpius estis; & merito (vt omnes Doctores aiunt) postquam quælibet eius actio, satis, superque erat ad mundum redimendum : attamen labores, sudores, itinera,& quaslibet ærumnas : demum ipsam

animam

animam posuit; immo verò, si postulabis hanc hominis redemptionem, quanto tibi constat? respondebit, illam a Patre muneram accepisse, dicens. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Et alio in loco: *Quos dedisti mihi, non perdam ex eis quemquam*: quæ omnia ab ardenti amore defluere nullus haud dubitat. *Christus suã Passionem donum reputat.*

. Plus vltra. Nullum dubium est, omnes dolores, omnia tormenta, omnesq; pœnas, quas nos pro primi parentis peccato merebamur, ipsum sustulisse, & assumpsisse; Vnde Isaias 53. *Vere languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit.* Isai. 53. 4. Attamen singula ista dulce, suaueq; balneum appellat. Vndè loquens de sua passione dixit. *Baptismo habeo baptizari.* Hinc Cyrillus, ac Origenes exclamantes aiunt, quid est hoc? vt tribulationem; & pœnarum pelagus immensus, & profundus, fons, ac balneum suaue nominetur, nisi sui immensi amoris erga nos euidens signum? Hinc est, quod capite 5. Cant. ipsemet suam vocans sponsam, & agricolæ se comparans, inquit. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, miscui myrrham meam cum aromatibus meis.* Cant. 5. 1. Quasi diceret, sicut Agricola in fructuum collectione maxime lætatur iuxta illud Isaiæ 9. *Latabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Isaia. 9. 3. Sic ego ob amorem nimiùm erga vos in tormentis, & passionibus meis. Ideò miscuit myrrham cum aromatibus: Myrrham propter dolorum amaritudinem, Aromatibus propter amori. dulcedinem.

. Omnes prophetæ de eius morte loquentes maxima ignominia, ac vituperio plenam appellant: vndè Isaias 53. *Et cum sceleratis deputatus est.* Isai. 53. 12. Et eodem capitulo, *Vidimus eum & non erat aspectus & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum,* apertè de Messia loquens. Quodquidem Ioannes Apoc. 1. iterans dixit. *Hæc dicit primus, & nouissimus*: Apoc. 1. 18. immo vbi in textu Isaiæ secundum nostram vulgatam legimus, *nouissimus virorum*: hebræus verò, vt magis illorum magnitudinem exprimat, habet, *cessauit a viris*; & merito, quia in passione, quasi hominis figuram amisit. contra verò, ipse amore repletus, gloriam, honorem, & & exaltationem esse affirmat, vndè patrem, vt passionis tempus acceleret, rogans dixit. Ioan. 12: *Pater clarifica nomen tuum, &c.* Ioan. 12. 28. Et Ioan. 8. Iudæos de sua morte alloquens Ioan. 8. 28. inquit. *Cum exaltaueritis filium hominis; tunc cognoscetis, quia ego sum.* Et Origenes Homil. 6. in Exod. dixit, *Prospi-* Origen hom. 6. in Exod.

cile

cite amoris magnitudinem, vbi pro maxima ignominia maxi-
Cant. 3. 11. *ma reputatur gloria:* Quod quidem Salomon Cant. 3. prophetans aiebat. *Egredimini, & videte filia sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius: & in die lætitiæ cordis eius.*

Et (vt huic materiæ finem imponam) iste amor talis, tantusq; fuit, vt Christum pœnarum, passionumq; non saturandum reddiderunt. Accedit aliquando priuatus Dominus ad regis pręsentiam, qui maximè illum diligens permittat simul Promptuarium Regium ingredi: tunc Rex non solum gemmas pretiosas illi ostendit; sed de ijs, post vnam, aliam, & aliam largitur: & licet dictus dominus satis esse affirmet: attamen Rex continuo illum nouis donis ditat, & cumulat. Sic Christus, qui inimicorum hominum inuentionibus non contentus, voluit, & diaboli insidias, & malitias in passione experiri. Vnde ipsemet Iudæos alloquens dixit. *Sed, hæc est hora*
Lucæ 22.55. *vestra, & potestas tenebrarum.* Vndè totum hoc, quod dixit
Cant. 2. 4. Salomon Cant. 2. exprimere cupiens, aiebat. *Introduxit me Rex in callam vinariam: ordinauit in me caritatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Introduxit me in callam vinariam.* Quæ sunt hæ callæ (inquit D. Ber-
D. Bernard ser. nardus serm. 17. in Cant.) nisi Dei magnitudines, & dona?
17. in Cant. *Ordinauit in me caritatem*, Quæ singula amore incitatus, hominibus impertitus est? Sed, cum hæc omnia sibi parua viderentur, voluit pro eis accerbissimam passionem, & mortem subire Et quia amore flagrabat, & languebat, omnia, & singula sibi flores videbantur. Aqua ardenti siti percussus vsque ad horam passionis tristem se esse dicebat Mar. 14. *Tristis est*
Mar. 14. 34. *anima mea vsque ad mortem*: nam qui magno affectu aliquid cupit, donec ad illud perueniat, & consequatur, quælibet hóra pro anno ab ipso computatur, & numeratur: sic Christus Dominus in Passione.

QVINTA LECTIO.

De virtute Patientiæ.

IN QVA TRIA EXPLANANTVR, QVAE per Patientiam acquiruntur; Per primum Patiens suorum inimicorum victoriam refert; Per secundum nobilitatem; Per tertium diuitias acquirit.

Vir erat in terra Hus, nomine Iob. Iob 1.

PRIMA PARS.

IN præterita Lectione explanata fuit nominis Iob æthimologia, iuxta interprætationem Diui Cypriani, idest, *Carissimus Deo:* & hac occasione de Dei erga hominem amore pertractauimus. Nunc ad expositionem Didami deuenientes, asserimus etiam patientiæ nomen esse, Iob, idest, *patiens*. Et quidem ad comprobandum hoc, parum mihi laborandum est: cum hoc sit sancti Iob peculiare encomium. Qua re apud omnes patientissimus Iob nominatur. Quæ virtus in illo adeò emicuit, quòd, licet diuersis decoraretur virtutibus; ab hac tamen nomen accepit. Immò aliqui asserunt, hoc nomen Iob post tribulationes, & persecutiones, quas passus est, sibi impositum fuisse, vt nobis indicaret, quia, cum omnia aduersa patientiæ armis vicisset, hoc nomen Iob merito hæreditasse: & iure optimo, cum nulla virtus reperiatur, quæ maiorem afferat homini, mulierique perfectionem, quàm patientia. Tria priuilegia, media virtute patientiæ adipiscitur homo. Pri-

Iob, idest, patiens.

Lectionis diuisio in tria capita.

Patientia affert

Huiusmodi maiorem perfectionẽ. *Patientia tria priuilegia confert.*

mo suorum inimicorum victoriam refert. Secundo, seipsum nobilitat. Tertio, possessor ipsius diues euadit. Quæ singula in hac Lectione declarabuntur: Duo prima in prima: vltimum in secunda Parte. Attendite.

Inimicorũ tria genera.

QVo ad primum; Patientem inimicorũ suorum victoriam reportasse, dubitandum haud est. Tria inimicorum genera habemus, diabolum, carnẽ, & mundum. De primo dicitur: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates tenebrarum harum.* De secundo: *Caro concupiscit aduersus spiritum.* De tertio tandem ipsemet Iob fatetur, dicens: *Frater fui draconum, & socius fui struthionum.* (Iob 30. 29.) Tres etiam sunt patientiæ clypei, quibus patiens se ab ipsis defendit. Primus iniurias libenter, & sine murmuratione sufferre. Secundus, paratum se præbere ad alias recipiendas. Tertius, male nobis facientibus bona rependere. Primo, dæmon vincitur. Secundo, caro. Tertio, mundus. De primo dicitur, Prouerb. 26. *Ne respondeas stulto, iuxta stultitiam suam.* (Prouer. 26. 4.) De secundo, Christus Dominus, Matth. 5. *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram.* (Matth. 5. 39.) De tertio, idem; *Benefacite his, qui oderunt vos.* (Matth. 5. 44.)

Habituum differentia. *Arist. 2. de anima.* *Scotus in 3. distinct. 34.* *Virtutum habitus solum repetuntur.*

Compertum est (Patres Theologi) quamuis Doctores asserant, virtutum habitus differre à donorum habitibus, & donorum ab illis beatitudinum, & beatitudinum ab illis fructuum: & rationem afferunt; nempe, quia differunt numero in actibus, & obiectis: in numero, quia virtutum numerus differt à donorum, & donorum à beatitudinum numero: &, sic de similibus. In actibus, obiectisque, quia actus, & obiecta virtutum differunt ab actibus, & obiectis donorum, ac beatitudinum: vnde Philosophus 2. de anima ait: quòd habitus, & actus per obiecta diuersificantur. Nihilominus tamen meæ sectæ adhæreo, & cum Scoto præceptore affirmo in 3. distinct. 34. quòd omnium dictorum non sunt assignandi alij, quàm virtutum, habitus. Et sicut virtutum omnium non sunt, nisi septem habitus: nempe tres Theologales, & quatuor Cardinales: ita septem solummodo donorum, fructuum, ac beatitudinum sunt habitus. Et merito, quia, sicut in naturæ operibus non est sine necessitate danda multiplicatio in entibus; eò magis hoc seruari

debet

debet in opere gratiæ, ac donorum gratuitorum. Et quia ad viatoris perfectionem circa quodcumque obiectum solummodo septem habitus dantur, qui sunt septem in genere virtutes: ergo ad istos tantummodo omnes alij reducendi sunt. Homo cum Deo, cum proximo, & cum seipso conuenire debet: cum Deo medijs tribus Theologalibus virtutibus; nempe Fide, Spe, & Caritate: Spes, ac Caritas manuducunt voluntatem, Fides verò intellectum; quia Caritate Deum diligit, Spe tenet, Fide credit, & confitetur. Ita etiam cum proximo, & seipso debet medijs Cardinalibus virtutibus: nempe Iustitia, Fortitudine, Prudentia, ac Temperantia, ordinari: media Iustitia punit, ac distribuit; Temperantia proprias moderatur passiones, Prudentia humanas gubernat actiones: Fortitudine tandem aduersa sustinet. Et quia ad has omnes septem Spiritus sancti dona, ac fructus reducuntur. Cum ergo Patientia ex duodecim fructibus vnus sit (vt Diuus Paulus ad Galatas 5. enumerat) igitur ad aliquem istorum septem reducendum; nempe ad Fortitudinem. Cum ergo sit fortissima virtus, mirum non est, si omnes eius inimicos homo, media Patientia, superat, & vincit. Paratus est exercitus circa aliquam arcem ad capiendam, & expugnandam illam; & in hoc, die, noctuque laboratur. Miles quidam strenuus, fortis, ac animosus scalam quamdam, quæ arcis summitatem superet, apprehendit, ac per ipsam ita graditur, vt ab omnibus illam arcem custodientibus defendat: tandem illam subintrans, eamdemque expugnans, inimicos interficit, arceque potitur. Et nobis, vt verè inimicos nostros expugnemus, necessaria est Patientiæ scala, nouem continens gradus. Primus est, non reddere malum pro malo: *Nulli malum pro malo reddentes:* Romanorum 12. Secundus, non solum non inferre iniuriam, sed nec mente desiderare: *Qui autem odit fratrem suum in tenebris est*. 1. Ioan. 2. Tertius non solum re, sed desiderio non debemus offendere aliquem, sed bona illi reddere: *Benefacite his, qui oderunt vos;* Matth. 5. Quartus, non solum re, sed etiam mente alijs benefacere debemus: *Diligite inimicos vestros:* Matt. 5. Quintus, non solum eis benefacere debemus, sed nec turbare dum nos offendunt: *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini*. 1. Petr. 3. Intelligens tamen

Homo medijs virtutibus ordinatur cum Deo, cum proximo, & cum semetipso.

Galat. 5.

Simile.

Patientiæ scala expugnātur inimici.

Rom. 12. 17.

1. Ioan. 2. 11.

Matth. 5. 44.

Matth 5. 44.

1. Petr. 3. 14.

(vt aiunt Doctores) de timore à præceptorum obseruantia retrahente. Et hucusque nostræ scalæ Gradus quinque tenemus. Primus, ad Iustitiam pertinet. Secundus, tertius, & quartus, ad Caritatem. Quintus verò, ad Patientiam. Remanent modo alij quatuor scalæ gradus. Primus est, vt, dum affligimur, & persequimur, non solum patienter sufferre debemus absque vlla animi perturbatione; sed

Iacob. 1. 2. potius lætari, & gaudere: *Omne gaudium existimate (fratres carissimi) cum in varias tentationes incideritis:* Iacob. 1. Secundus, quod non tantum gaudere debemus, sed vehe-

Matth. 5. 11. menter gaudere: *Beati estis cum maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me gaudete, & exultate:* Matth. 5. Ecce vis geminati Verbi. Tertius, gaudium non ob paucum, sed ob multum malum nobis illatum: *Cum dixerint omne malum, &c.* Quartus tandem, & vltimus est, gaudium hoc non ante, nec post, sed statim, atque infertur nobis malum, existere debet. Ideò de præsenti tempore loquitur: *Cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, &c.*

Asinus siluester inimices cursu vincit.

Naturales aiunt, asinum siluestrem, quamuis inermem, & tenuem: attamen leonem, vrsum, ac lupum, qui sunt tres eius inimici, superare affirmant; & hoc non nisi veloci cursu, & fugam rapiendo: nam ita in cursu velox est, quòd persequentes inimicos defatigando, ab ipsis incolumis

Psal. 58. 8. relinquatur: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Psalm. 54. Scitote (ait Regius vates) me inimicos meos non aliter superasse, quàm fugam arripiendo, & patienter sufferendo.

Et collum sponsæ Cantic. 4. Quòd turri Dauidicæ comparatur, quæ ita optimè armis munita erat, vt de ea di-

Cant. 4. 4. cebatur: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium,* quid sibi velit, nisi Patientiæ virtutem designare, quæ contra omnes fortissimos inimicos, tanquam turris fortissima, ac munitissima se defendit?

Christus in cruce patientia, nō potentia, quare vsus est.

Dum Christus in cruce manebat, Hebræi ei dicebant: Matth. 27. *Descendat nunc de Cruce, & credemus ei.* Qua-

Matt. 27. 41. re ergò non descendit, si hoc miraculo totum mundum ad se tra-

se trahere poterat? Ad hoc ait D. Augustinus: Congruentius fuisse, Christum patientiæ exemplum in hoc loco dedisse, quam potentiæ: quia patientiæ armis, & non potentiæ fidem suam stabilire debebat, suosque debellare inimicos: & merito quidem; nam, si potentia aliquis de inimicis suis triumphat; non tamen de seipso victoriam reportabit, Qua re de magno Alexandro dicitur, quòd victorem Alexandrum ira vicit; sed patientiæ clypeo non solum inimicos, verum & seipsum vincit: quod plurimum refert. Qua re D. Petrus 1. Epist. 4. ad hoc alludens ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* D. August. 1. Petr. 4. 1.

Inter Darij Aulicos orta fuit illa insignis quæstio, quid, scilicet, in mundo videretur fortius? Alij proposuerunt tempus, alij veritatem, alij vinum, alij mulierem: ego autem melius, & ab illorum opinione discedens, patientiam supra omnia, ac omnium dominari affirmo. Hinc prouenit eamdem talem fortitudinem habere, vt non tantum creaturis, sed, & Creatori admirationem præbeat; en D. Paulus 1. Corinth. 4. *Quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus: qua re? quia maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus blasphemamur, & obsecramus.* Quasi diceret Paulus, Patientiæ virtus ita ceteras virtutes excellit, vt omnes creaturas non solum; immò, & Deum ipsum spectatorem habeat.

Patientia non solum creaturis, sed & Creatori admirationem prabet 1. Corin. 4. 9. & 12.

Hinc ortum habuit palmam patientiæ symbolum esse; nam palma quanto magis deprimitur, eò magis extollitur. Sic verus patiens quanto ab inimicis angitur, & præmitur, tanto roboratur, ac eleuatur. Iuxta illud: *Iustus, vt palma, florebit.* Ac de populo Hebræo legitur, qui post plurimas superatas difficultates, & ærumnas, tandem ad limpidum fontem peruenit: vbiq. inuenerunt septuaginta palmas; vt nobis indicet vniuersalem victoriam de inimicis reportatam. Psal. 91. 13.

Quantum verò ad secundum, idest, quo ad nobilitatem, patiens ex tali virtute plurimum amplificationis, ac dignitatis acquirit: nam ijsdem armis, quibus ab inimicis impugnatur, vtitur ad illos expugnandos. Princeps quidam præliaturus induit se lorica, ita artificialiter confecta, vt non solum inimicorum ictus sustineat: verum illa retorquendo retro, suosmet iaculantes offendit, & occidit, iuxta illud Regij

Patiens virtute patientiæ nobilitatur. *Simile.*

Psal. 36. 15. vatis. Psal. 36. *Gladius eorũ intrat in corda ipsorum, & arcus eorum confrigetur.* Quatuor armis spiritualibus debet Chri-
Psal. 103. 2. stianus vestiri. Primum est, peccatorũ confessio: vnde Ps. 103. *Confessionem, & decorem induisti.* Secundum, vitæ Christi exemplum, quod à Christiano in omnibus imitandum est. *Deponere vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum homi-*
Ephes. 4. 22. *nem*, idest, Christum. Ephes. 4. Tertium, est pœnitentia: *In-*
Ephes. 6. 11. *duite vos armaturam Dei.* Ephes. 6. 11. Quid hoc? Pœnitentia. Quartum tandem, & vltimum, est Patientia, quæ non solum possessorem defendit, sed inimicos offendit. Vnde
Prouerb. vlt. 25. Prouerb. vlt. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Fortitudo, quia numquam virtutis iter deserit; decor, quia proprijs armis inimicos debellans decoratur, & nobilitat patientem.

Patientia possidenti eam magnum affert dominium. Simile.

Secundo loco, patientia possidenti magnum dominium affert, cum eius inimici famulari, ac obsequi cogantur. Dux ad præliandum proficiscens, rediensque victor, plura mancipia secum ligata ducens ad plura, ac diuersa negotia, ac suæ domus obsequia, nec non suæ personæ disponit, ac ordinat.
Prou. 11. 29. Vnde Prouerb. 11. *Qui stultus est, seruiet sapienti.* & meritissimè quidem, nam persecutores nil aliud faciunt veris patientibus, nisi more mancipiorum inseruire; cum, sicut illa operibus suis ærarium Domini repleant, & gloriam Domini extollant: sic isti veræ patientiæ præmia patientibus aggregant, honorumq. magnitudinem cumulant.

Deus sutoris officium patienti facit. Simile.

Quid amplius? Patientiæ virtus tantæ nobilitatis est, eximijq. meriti, vt Deus ipse ad illam exornandam sutoris officio quodammodo cum patiente fungi cogatur. Rusticus quidam ad sutorem afferens secum pannum sericum, sutorem conuenit, & ab eo instanter quærit, vt ex illo panno eius sponsæ nouiter ductæ vestem conficiat; qui prius dimetiendo; deinde pannum hinc inde diuidendo in diuersas partes, & fragmenta congruenter, &, vt opportunitas exigit, ipsum pannum diuidit: Rusticus autem hoc attentè considerans, artemq. ignorans, sutoremq. cogitans destruere pannum, lamentatur. Cui sutor, sine me facere; tu patientiam habe, & in fine me non errasse cognosces: tunc pannum iungit, suoq. loco fragmenta disponit, & ita proportionabiliter vestem suit,

vt ad extremum rusticus vestem contemplans, illius pulchritudinem admiretur, artisque sutoriæ seipsum inscium fateatur. Vnde Isaias 30. ad hoc respiciens ait: *In silentio, & in spe erit fortitudo vestra.* Deus calamitates, aduersitatesque aduersum te immittit. Tu autem patienter vsque in finem omnia sustine: noli te loco dimouere, sile; nam ipse optimè nouit quid faciendum sit: & quamuis appareat te dilacerare, & incommodare, non est ita; sed potius te accommodat, & disponit: aufert à te terrenorum luxuum occasionem, vt spiritualibus cogitationibus perfruaris. Terrestres diuitias tibi aufert, alijs largitur, vt te bonis spiritualibus ditet: filios tuos morti tradit, vt teipsum in filium adoptet, & tandem ad nihil aliud eius opus tendit, nisi, vt te hac pulcherrima patientiæ veste exornet, & nobilitet. Diuus Ioan. Apoc. 19. ait, se vidisse Sanctos candido bysso vestitos; & seipsum declarans ait, vestem, ac byssum hunc, iustificationes esse Sanctorum. Hic quæritur, cur potius vestes has bysinas, & non alterius materiæ referantur? Respondeo, byssum ex herba fragili, debiliq. cortice confici asserunt: attamen, media arte, ac industria igne cocta, ac recocta eò venit, vt materia fortis, ac pulchra postremo appareat; ita, vt ex illa byssus effectus, magni æstimetur: qua de re de Epulone dicitur, quòd purpura, & bysso ob luxum induebatur. Et cum tu homo, & mulier fragili, ac debili carne sis indutus, vt minimo vento patiaris, numquam candido bysso more Sanctorum Apocalypsis vestieris, nisi fortis, ac robustus deuenias. Ideò te iterum, atque iterum patientiæ igne examinandum præbeas. Hæc tandem est vestis illa nuptialis, qua nos induere Christus tantopere in Euangelio commendat, & hortatur.

Isai. 30. 15.

Apoc. 19. 8.

Byssus quomodo conficitur.

Vestis nuptialis quæ dicitur.

Quid plura? Inter omnes virtutes patientiæ virtus, præ omnibus alijs, nos Deo similiores efficit: nam de Deo in Nahum propheta, idest, dicitur: *Dominus patiens, & magnus fortitudine*; quo loco patiens est Hebraicè: *Ærecaphaim*, idest, latus naribus: Græcè, *longanimis*; Caldaicè, *longum propellens iram*. Quibus omnibus verbis significatur Diuina patientia. Etenim qui angustis sunt naribus citius fumos concipiunt ex cordis æstu ascendentes, & cum impetu efflant propter meatuum angustias: at verò, quo latiora sunt narium foramina, eò plus frigidi aeris concipiunt ad refrigerandum cor: eiusmodi homines sunt natura placidiores, at-

Patientia præ omnibus alijs nos Deo similes efficit.

Nahum 1. 3.

Romani patientia orbis imperium obtinuerunt. que adeò patientiores. Hac patientia dicitur, Romani Imperium orbis obtinuisse: quem ad modum legitur 1. Machab. 8. *Possiderunt omnem locum consilio suo, & patientia;*
1. Mach. 8. 3. vbi Græcè (quemadmodum diximus) pro patientia, & longanimitate accipitur. Et quamuis Glossa interpretetur de
Glossa. tolerantia laborum, qui in bello feruntur: possumus tamen per Machochimiam eam longanimitatem intelligere, qua Romani sic ferebant Reges, rebellesque populos, vt eos non statim penitus destruerent, sed ad faciendam vltro deditionem generose expectarent. De hac etiam patientia accipi il-
Septuaginta. lud potest, quod dicitur Prouerb. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stul-*
Prou. 14. 29. *titiam suam.* Seu (vt habent Septuaginta:) *Patiens vir multus in prudentia; & impatiens fortis stultus.* Quo loco pro patiens est Græcè, *longanimis*: pro impatiens verò *angusta nimis.* Hebraicè est, *qui breuis est spiritu*: illud verò, quod subiungitur: *Exaltat stultitiam suam*, hunc sensum efficit, stultitiam suam manifestam facit: quòd enim in sublime tollitur, omnibus fit conspicuum. *Exaltat stultitiam suam*,
Apoc. 2. idest, magnam ostendit stultitiam. Ideò Apoc. 2. commen-
Episcopus Ephesinus, non solum patiens laború, sed in expectandis peccatoribus laudatur. datur Episcopus Ephesinus, non solum, quòd patiens laborum fuerit; sed etiam, quòd longanimis in sustinendis, & expectandis peccatoribus ad pœnitentiam. Quæ virtus maximè in quolibet Principe, & Prælato necessaria est, vt patientia sua, & longanimitate subditos etiam feroces, & rebelles conetur dissimulando, expectando emollire, & quodammodo cicurare id, quod ipsius Dei exemplo Prælatis commendat.
D. Greg. 2 par. pastor. car c. 10. exponens illud Isa. c. 57. D. Greg. 2. par. pastor. curæ cap. 10. exponens illud Isai. 57. *Mentita es, & mei non es recordata; neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns.* In quem locum hæc habet Greg. *Dissimulauit ergo culpas, & indicauit, quia & contra peccãtem tacuit; & hoc ipsum tamen, quia tacuerit, dixit: Nonnulla enim vel apertè toleranda sunt; cum, videlicet, rerum minimè opportunitas congruit, vt apertè corrigatur: nam secta immature vulnera deterius inseruescunt; sed cum tempus subditis ad correptionem quæritur; sed ipso culparum pondere præsentia præsulis exercetur. Vnde bene per Psal-*
Psal. 128. 3. *mistam* 128. *dicitur:* Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: *in dorso quippe onera sustinemus. Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores conqueritur: ac, si apertè dicat. Quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto.* Remanet

manet tertium caput de diuitijs comparandis. De quo in secunda Parte.

SECVNDA PARS.

QVO ad tertium tandem caput, patientia hominem, & mulierem diuitem, & locupletem reddit Vir quidam nobilis in hæreditatem Patris succedens; attamen ære alieno oppressus, sic victui, sumptibusque parcit, atque ita frugaliter in omnibus se gerit, vt non solum breui debita soluat, sed etiam Patris hæreditatem accrescat, & augeat: vltimo totum prudenter conseruat. Sic primo virtute patientiæ debitorum præteritorum debita soluit: iuxta quod dicitur Roman. 5. *Patientia autem probationem operatur*, idest, à peccato purgationem, ait Glossa: deinde merita cumulare quærit; vnde Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. Tertio, tandem acquisita sapienter retinet: nam (vt ait Sapiens Prouerb. 19.) *Qui impatiens est, sustinebit damnum*.

Simile.

Patientia peccata soluit, & merita acquirit, & conseruat.

Rom. 5. 4.

Psal. 115. 15.

Prou. 19. 19.

Hinc oritur, vt patientiæ virtus auro pretiosissimo assimilari possit: & hoc ob quatuor causas, iuxta illud Sapient. 3. *Tamquam aurum in fornace probauit electos Dominus*. Prima quo ad firmitatem, ac soliditatem illius: nam in igne positum solitum non deperdet pondus, sed solum mixtam imperfectionem relinquit, lucidius, pulchriusque euadit. Vnde Psal. 16. *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*. Ita, qui patientiæ aurum possidet, sic firmus efficitur, vt tribulationis, persecutionisq. igne examinatus, nec ira fumescit, nec in virtutibus diffidentia diminuitur, nec accidia consumitur; sed lucidior, ac splendidior in virtutibus redditur. Secunda causa, quo ad obedientiam; nam, aurum malleo fortiter percussum, non solum non frangitur; sed potius in subtilissimam, & quasi impalpabilem figuram extenditur. Hinc est, quòd Exod. 25. Deus præcipiebat, vt de auro purissimo vniuersa ducibilia efficerent. Sic perfectus patiens persequutionibus non se opponens, & tormenta, ac ærumnas patienter sustinens, inconstantia non frangitur, nec maleuolentia diuiditur, sed potius in amplissimam caritatem, amoremq. dilatatur: ideò dicitur Rom. 5. *Caritas Dei diffusa*

Patientia auro comparatur.

Sapient. 3.

Psal. 16. 3.

Aurum percussum non frangitur.

Exod. 25.

Deus præcepit, vt vniuersa ducibilia de auro purissimo efficerentur.

Roman. 5. 5.

diffusa est in cordibus vestris. Tertia, quo ad silentium: nam inter cetera metalla aurum malleo fortiter percussum non resonat, neque strepit. Sic perfectus patiens in persecutionibus nec resonat maledicendo, nec strepit detrahendo, iuxta
Psal. 43.22. illud Psal. 43. *Propter te mortificamur tota die*. Quarta, & vltima causa est (& ad nostrum facit institutum) sicut aurum inter vniuersa metalla est pretiosissimum, & possidentem præ ceteris ditat, de quo thesauri eriguntur: sic vera patientia meritis, & virtutibus possidentem ornat, & ditat: ideò
Matt. 13.52. ait Christus, Matth. 13. *Simile est regnum cælorum homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera*.
Vgo Card. super verba Pauli Rom 5.3. Vnde Vgo Cardinalis super illa verba Pauli ad Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur*, ait, patientiam terræ frugiferæ esse similem, quæ tribulationibus aratur, colitur, & fructificatur eò modo, quo de Adamo
Genes. 2. Genes. 2. dicitur; qui ad hoc in paradiso positus, ac locatus fuit, vt operaretur, & custodiret illum.

Simile. Pater quidam familias operarijs iubet, vt ad vineam suam accedentes, eam foueant, post labores illis mercedem promittens: accedunt operarij, quorum alij ligonem deferentes, terram operantur: alij verò sine ligone accedentes, tota die otiosi morantur; recipiendi mercedem tempus aduenit: tunc
Operantibus solum datur pretium. Dominus laborantibus pretium soluens, otiosos vacuos dimittit, qui conquerentes dicunt: Nos etiam ad vineam conducti fuimus; etsi socij in labore non fuimus, hoc accidit, quia sine ligone accessimus. Respondens autem pater familias, ait. Vos estis in culpa; an nescitis, quia ligone vobis ad operandum opus erat? Sic pariter verum esse fateor,
Patientia ligone Ecclesia colitur. Deum nos posuisse in Ecclesiæ sanctæ vinea ad eam excolendam, & operandam hoc pacto, vt, medijs laboribus, vitæ, gloriæq. æternæ mercedem reciperemus. Sed quo nam medio putatis hanc vineæ terram esse exercendam, nisi patien-
Hebr. 10.36. tiæ ligone? Ideò D. Paulus dicit: *Patientia vobis necessaria est, vt, voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem*. Hebr. 10. Qui ergo sine ligone Patientiæ reperietur vacuus, de mercede æternæ vitæ vacuus etiam remanebit.

D. Gregorius. D. Gregorius in Moral. ait, homines, mulieresq. in mun-
Homines vellent virtutes acquirere, sed laborare nolunt. do reperiri, qui virtutibus præditos esse vellent, sed earum effectus, nempe labores, & incommoda, nollent. Dicet aliquis, paupertatem non abhorrèrem; sed nihil mihi deficere vellem: quod quidem fieri non potest: nam paupertatis ef-

fectus, ægestas est. Alius dicet, humilem me esse vellem: sed despici nollem; hoc etiam esse non potest; nam in contemptu noscitur humilitas. Tertius addit, castum me esse cuperem; sed corpus affligere nollem; hoc effici nequit: nam carnem macerare castitatem parit. Quartus tandem, me patientem esse desiderarem; sed iniurias ferre nollem: hoc etiam patientiæ virtuti maximè repugnat, cum iniurias ferre sit eius peculiaris effectus.

Faber ferrarius vult ferrum ignire; sed prius carbones plurimos in fornacem mittit, & follis vento eos accendit, & quanto plus sufflat, tanto magis ferrum ignitum redditur: *Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas*, ait Isa. 54. Sed quis est hic faber? persecutor, qui persecutionum vento, & impetu, iustorum caritatis aurum magis, ac magis augens, totaliter illos amoris igne accendit. *Simile. Tribulatio caritatis diuitias confert.* Isai. 54.16.

Vir quidam diues plurima bona stabilia posidens, nempe domus, agros, vineas, hortos, & similia: hæc omnia vendit, vt pagum aliquem perutilem, ac delectabilem emat; ex quo plurimos redditus percipiens, breui tempore diues efficitur: *Omne gaudium*, inquit D. Iacobus 1. *existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quod probatio vestræ fidei patientiam operatur*, quasi diceret. Scitote fratres, quòd licet virtutum series copiosa valde sit: attamen longus earum numerus ad vnum textum reducitur, nempe ad virtutem patientiæ: in hac omne gaudium spirituale, & diuitiæ Christianæ existunt. Vnde Christus D. Paulo dixit: *Virtus in infirmitate perficitur*: cui Apostolus, vt Christi doctrinæ satisfaceret, inquit: *Gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. Vnde prudenter, & sapienter Tertullianus lib. de patientia cap. 11. dixit nullam reperiri virtutem perfectam sine patientia: & in cap. 12. D. Pauli locum illum 1. Corinth. 13. *Caritas patiens est*, exponens ait: *Caritatis thesaurum patientiam solam esse, & ipsammet caritatem à patientia, quasi doctissima magistra doceri, ac erudiri*. *Simile. Virtutum numerus ad patientiam reducitur.* Iacob. 1. 2. 2. Cor. 12. 9. Ibidem. *Tertullianus libro de patientia, cap. 11.* 1. Cor. 13. 4.

Princeps ille magni pretij brauium effici iubet, ac in ciuitatis medio patenter affigi statuit, vt qui illud lucrari cupit, ad cursum accingatur. Hinc fit, quòd inter plures currentes, vnus alijs fortior, ac diligentior, omnes superans præmium adipiscitur. *Per patientiam* (inquit Paulus Hebr. 12. *Simile. Gloriæ brauium per patientiam acquiritur.* Hebr. 12. 1.

curra-

curramus ad propositum nobis certamen. & Christus ait,
Matt. 5. 10. Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum calorum*: nam persecutores sunt illi, qui patientem ad brauium comitantur, qui in cursu ab ipso deuicti, & post ipsum remanentes brauium amittunt: persecutus autem victor remanet: ideoque persecutiones non consecutiones vocantur: adeò, vt per patientiam gloriæ thesaurus, ac brauium acquiratur, ac recipiatur.

Persecutores patientem ad brauium comitantur.

Cant. 1. 14. Locum illum Cantic. 1. In quo legitur: *Botrus Cypri dilectus meus*, alia translatio aliter exponit, nempe, *racemus camphoræ amor meus mihi*: nam naturales aiunt, gummam istam in Cypri insula nasci in arbore nuncupato *Alcl amphor*; & hanc retinere naturam, quòd illius granum in aquam immissum, & illud igni applicatum taliter ardet, ac si in oleo perfectissimo esset. Sed quid sunt tribulationes, nisi profun-
Psal. 68. 2. dissimæ aquæ, iuxta illud Psal. 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*; & granum gummæ Cypriæ, nisi patientia? quæ tantam ad se caritatem attrahit, vt inter miseriarum aquas huius vitæ ardeat, & reluceat.

Patientia caritatem attrahit.

Si chirurgus peritissimus inueniretur, qui vulneri tantæ virtutis medicinam adhiberet; vt illud non solum instanter sanaret, verumetiam omnem liuorem, ac signum à plaga remoueret, non ne medicina illa magni æstimaretur pretij? *Omni tempore* Spiritus sanctus, inquit, *te liberabit, & in omnibus te eripiet*: quasi diceret, quid patientia operatur? Medicina quædam est, quam, si tu animæ vulneri adhibebis, illam totaliter à peccatis, & ab eorum reliquijs, & imperfectionibus liberabit.

Simile. Agricola arat, fodit, seminat, nullo labori parcens, vt terram omni meliori modo, quo scit, & potest, colat, fructum ex illa maxima cum patientia expectans: cum autem tempus colligendi fructus aduenit, ipsos colligendo, & in eius horreum collocando, non solum diues efficitur; sed & ma-
Iacob. 5. 7. ximo gaudio, ac exultatione repletur: *Ecce Agricola expectat pretiosum fructum terræ*, inquit Iac. 5. *patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum*: ita patiens contumelijs, iniurijsque affectus, cunctaque patienter, hilariterque ferens, gaudio tandem cumulatur maximo præmio repletus. Hoc idem innuere voluit Regius vates Psal. 9. cum
Psal. 9. 2. dixit: *Dum superbit impius, incenditur pauper*, idest, dum

ab im-

ab impio iustus ingentes contumelias, persecutionesque patitur. tanta repletur caritate, vt in illo Diuini Amoris ignis mirabiliter ardere videatur..

Si secretum tibi quoddam reuelatum fuisset, vt manum, vel pedem in ignem immissum non arderet, proculdubio secretum illud pro re mirabili non solum, sed apud omnes ingenti æstimaretur pretio. Hoc idem patientiæ virtus in illum possidente effici, ait Eccles. 51. *Dum*, inquit, *in media ignis non sum æstuatus*: vt, si diceret, magnum, & singulare secretum est patientiæ virtus, quæ ab igne tribulationum, & persecutionum possidentem mirabiliter liberat, & incolumem reddit. Dum canes latrant, tacitus homo pertransiens non remanet suum prosequi iter, donec ad domum perueniat: *Ego autem tamquam surdus non audiebam; & sicut mutus non aperiens os suum*. Psal. 37. Dic mihi quæso (inquit Regius Vates) persecutiones huius seculi quid sunt, nisi canum latratus? Si tu ergo tacebis iniurias patienter ferens, proculdubio pertransieris, ad cæli palatium incolumis, ac tutus perueniens. Ideò Christus Dominus aiebat, Matt. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

Patientia virtus liberat ab igne persecutionum. Eccl. 51. 6. Psal. 37. 14. Matth. 10. 28.

Mulier adultera aliquando inuenitur, quæ ita se adultero subijcit, vt non solum verbera, sed & vulnera, cicatricesque etiam in faciem ab eo sæpe sæpius recipiat. Interrogata, quæ nam sunt hæ cicatrices, & à quo sibi effectæ fuerunt: Respondit, se cæcidisse, & casu sibi euenisse. Attamen, legitimus eius vir illam minimo colapho cædat, statim absque vllo rubore strepit, vociferatur, conuocat consanguineos, & vicinos, de quo cum illis valde conquerens lamentatur: hoc expresse in Prouerb. 12. habetur, vbi sic Spiritus sanctus affatur: *Fatuus statim indicat iram suam. Qui autem dissimulat iniuriam callidus est.* Attendite quæso malitiam, iniquitatemq. immò dementiam hãc. Mundus adulter eius sequacibus ærumnas plurimas, persecutiones, calamitatesque in dies præbet, & largitur: nam in luxuriosum infirmitates incurabiles inducit, lusoris bona consumit, gulosum podagra replet, & sic de similibus: nihilominus de eo non conqueruntur: immò singuli singula patienter ferunt. At, si Deus eorum vtilitatem respiciens, in eos aliquas immittit tribulationes; statim ira repleti non solum conqueruntur, & vociferantur: sed etiam Sanctos, ac Deum ipsum maledicunt,

Prou. 12. 16. *Deus procurat mediis tribulationibus nos virtutis patientia exercitari.*

D. Aug. in Psal. 21. cunt, & blasphemant: & tamen, vt D. Augustinus in Ps. 21. ait. Hæc omnia aduersa ab omnipotentis Dei manu, tamquam animæ medicinas, & non tamquam vulnera, & pœnas accidere, & euenire. Et ideò hæc omnia patienter sufferentes, Deo, qui tanta eos virtute ditauit, maximas gratias reddere, ac referre deberent.

Tandem Iob interpretatur *Inimicitia, & dolens inimicitia*, circa quod disserere non refert, cum omnibus pateat ipsum perpetuam inimicitiam cum inimicis (idest peccatis) habuisse, & incolumem se seruasse: de cuius innocentia ipse Deus met testimonium reddens dicit, non reperiri rectum, & simplicem similem illi. Et hoc sufficiat de nominis Iob interpretatione *dolens*: nec de hoc verba faciam, cum sic fuerit doloribus plenus, quòd à planta pedis vsque ad verticem, non erat in eo sanitas.

SE-

SEXTA LECTIO.

De Christi doloribus.

IN QVA DVO EXPLANANTVR:
In primo tractabitur de Christi doloribus in vniuersali.
In secundo, de eiusdem doloribus in particulari; & hoc tàm in anima, quam in corpore.

Vir erat in terra Hus, nomine Iob. Iob. 1.

PRIMA PARS.

QVATVOR modis nomen Iob à diuersis Auctoribus diuersè interpretatum esse iam vobis declaraui; & in duabus expositis lectionibus, Iob, idest, *carissimus Deo*, in vna. Iob, idest, *patiens*, in altera; & hoc auctoritate duorum grauium Patrum, Cypriani, videlicet, & Didami. Nunc verò tertia, & quarta expositio remanet declaranda. Tertia, D. Gregorij, D. Chrysostomi, ac sancti Hieronymi. Quarta vero, Origenis. Et (vt ad primos redeamus) hoc nomen Iob *dolens, gemens*, significare dicunt, idest, dolorosum, afflictum, anxium, virum denique, qui multorum tormentorum, ac pœnarum causa gemat, doleat, & lamentetur. Vbi primo est notandum, dolorem in sacris litteris diuersimodè exponi; aliquando pro naturali dolore, qui continuo germinat, iuxta illud Eccles. 2. *Cuncti dies eius* (de hominibus loquens) *doloribus, & ærumnis pleni sunt*. Interdùm pro senectutis dolore, iuxta illud Psal. 89. *Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor, & dolor*. Sæpè pro nimia huius vitæ solicitudine, vt etiam in Psal. 126. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*. Præterea pro mortis dolore. Baruc. 2. *Mortui*

Cyprianus. *Didamus.* *Gregorius.* *Chrysostomus.* *Hieronymus.* *Origenes.* *Iob, idest gemēs.* *Dolor multipliciter in sacris scripturis vsurpatur.* Eccles. 2. 23. Psal. 89. 10. Psal. 126. 2. Baruc 2. 25.

Psal. 47.8.
tui sunt in doloribus pessimis. Denique pro tribulatione, & persecutione. Psal. 47. *Ibi dolores, vt parturientis: in spiritu vehementi conteres naues Tharsis*. Et in hoc vltimo sensu,

Iob in omnibus persecutionem sustulit.

hoc loco vsurpatur Iob, idest, *Dolens, afflictus, persecutus, tribulatus*: Quod quantum illi conueniat, vobis putandum est; posteaquam, & in se, & in amicis, consanguineis, & in ipsa denique vita multas ærumnas passus est, sicuti suo loco verba facturi sumus. Verum est, magis ei conuenire hoc nomen, vt vera, & expressa Christi imago, & figura, quàm ipsimet: nam Iobum in pœnis verum typum Christi gessisse, &

Iob in pœnis expressum Christi typum gessit.

in hoc alio superasse in exordio harum lectionum luculentius tractari. Et quia figuratum magis, quam figura ad nos pertinet, de hoc in præsenti Lectione mihi dicere fas est. Igitur, vt Christus figuratus in imagine Iob, vltimos dolores vniuersaliter, & particulariter, & quo ad animam, & quo ad corpus passus sit, sermonem habebimus: de doloribus in vniuersali in prima Parte: de particularibus verò in secunda. Attendite.

Lectionis diuisio in duo capita.

ET hinc incipiens. O quantum verum est hoc nomen dolens optimè conuenire Domino nostro Christo tamquam verò figurato Iobo. Quod exprimere intendens Regius vates Psal. 109. ait: *De torrente in via bibet*; vbi non solum vnanimes Doctores de Christo in Passione intelligunt; sed & D. Augustinus, D. Hieronymus, & Theodoretus docens, obseruandam esse in hac sententia illam consecutionem: *Propterea exaltauit caput*. Verè enim Christus cum Passionis torrentem bibit, caput exaltauit, iuxta illud Philipp. 2. *Propter quod Deus exaltauit illum*. Vnde apud D. Petrum 1. sua epist. 1. Gloria corporis Christi, & ipsius nominis celebritas, posteriores gloriæ appellantur. Secundo, obseruandum est cum D. Hieronymo; nam priusquam Regius Vates diceret: *De torrente in via bibet*, præmisit Christi dignitatem, & magnitudinem; nimirum, vt, spectata eius altitudine, commendabilior nobis eius humanitas videretur: *Quis bibit* (inquit) *de torrente in via? Ille, cui dictum est, sede in dextris meis; ille, qui audiuit, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ille, qui confregit in die iræ suæ Reges.* Hæc Hieronymus. Quo etiam artificio vsus est D. Paulus Hebr. 5. cum dixit: *Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex ÿs, quæ passus est, obedientiam.*

Psal. 109. 7.

D. Augustinus. D. Hieronymus. Theodoretus.

Phil. 2. 9.

1. Pet. 1. 11.

D. Hieronym.

Christi dignitas à Dauide declaratur.

Hebr. 5. 8.

Tertio,

Tertio, aduertendum, bibisse Christum aquam de torrente Pasſionis; quæ cum ex ſe turbidæ eſſent, & per conſequens amariſſimæ, ſuo contactu ſuaues redderet, quo etiam ſenſu, vt annotauit D. Chryſoſtomus in Matth. Christus filijs Zebedæi dixit: *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et paulo poſt: *Calicem quidem meum bibetis*; vbi notanda ſunt dicta verba, *meum, & quem bibiturus ſum*. Quaſi diceret: Martyrij Calix, in quo bibituri ſitis, eſt idem, in quo egomet prius bibi; ideò illius amaritudines, haud formidandæ ſunt; & ſanè merito, cum ex eius labijs omnes gratiæ redumdent, & ſtillent, iuxta illud Pſal. 44. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*; ideoq. in Cant. 5. Labia eius lilia dicuntur. Hanc quoque vim habet illud 2. Cor. 4. *Semper mortificationē Ieſu in corpore noſtro circumferentes*, vbi Græce eſt, *mortificationem Domini Ieſu*, quo loco Paulus addit, Domini cognomen, ne ſimilia pati ſeruos pigeret, ſed mortificationem libenti animo ſuſciperent, quæ, & à Christo Domino vniuerſorum, propter hominum ſalutem ſuſcepta videbantur; quamquam & illam etiam ob cauſam cognomen Domini additum eſt, nè mortis nomen Christo contenptum afferre videretur; nè ipſi iguominiæ loco duceremur, Christo in iniurijs, laboribuſq. ferendis ſimiles eſſe; ſed potius id maximè ferendum glorioſum, & honorificum putaremus. Iccirco enim 1. Petr. 2. cum de Christo ſub nomine lapidis à Iudæis reprobati diſputarent, cum ſic deſpectum honorem fidelium appellauit: *Ad quem* (inquit) *accedentes lapidem viuum, & ab hominibus quidem reprobatum: à Deo autem electum, & honorificatum, & ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini*. Et paulò poſt: *Vobis igitur honor credentibus*, ideſt, Christus ipſe ab hominibus quidem reprobatus, ſed à Deo electus, & honorificatus eſt honor credentibus: hæc enim eſt germana huius loci expoſitio. Quarto, & poſtremo, & ad noſtrum faciens inſtitutum, notandum, dici Christum, bibiſſe de torrente in via non ſolum, quia citò defuit eius paſsio; ſed quia ſummo cum deſiderio paſſus eſt; etenim verò videtur Regius Vates eò in loco Christum Dominum quaſi viatorem æſtu laborantem intelligere: qui cum in torrentem incidit, non poteſt præ ſiti ſibi temperare, quin inauidiſſimè bibat, vnde Eccleſ. 26. *Sicut viator ſitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet*. Eam igitur ob cauſam, quia maximè optabat pati pro hominibus. Quæ

D. Chryſoſt. in Matth.

Matth. 22. 3. & 23.

Calicis amaritudo à Christo labijs ablata.

Pſal. 44. 3.

Cant. 5. 13.

2. Cor. 4. 10.

1. Petr. 2. 4.

Christus cum ſummo deſiderio paſſus eſt.

Eccleſ. 26. 15

Christus ſitibundus paſsionis ſuæ.

sitis tanta in eò fuit, vt in immensis passionis aquis extingui non potuerit, quin potius in Cruce mirum in modum adhuc sitiens exclamauerit, *sitio*. Hinc est, quòd vbi Regius Vates hanc Christi pasiionem, sitim, Hieremias verò famem, cômemorat, cũ Thren. 3. dicat: *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobrijs*: sane illud Christo opprobria pro cibo, pro potu tormenta fuisse indicatur; & multo verius, quam Michæam sustentatum fuisse pane tribulationis, & aqua angustiæ. Itaque sicut post sumptum cibum potum exigimus; ita Christus post tam multa opprobria, quasi post cibum sibi gratissimum, potum laborum requirens, dixit in Cruce: *Sitio*.

Thren. 3.

Quas pœnas expresśius, & clarius Isaias 53. descripsit. In quo à principio, vsque ad finem capitis, pœnas, quas sustulit Deus in pasśione, pluries iterans, & postquam de Mesśia in initio capitis se locutum fuisse declarauit, vocans illum *bracchium*, ac *virgultum*, ante eius conspectum dicens: *Quis credidit auditui nostro? Et bracchium Domini, cui reuelatum est. Et ascendet sicut virgultum coram eo; sicut radix de terra sitienti*, addit: *Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus: & desiderauimus eum*: immò parum se dixisse cogitans, addit, *despectum, & nouissimum virorũ, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus*; *vnde nec reputauimus eum*; & iterũ: *Vere languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*; & cum non satis se dixisse videretur, de nouo dicit: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra*. Et (vt breuiter ab hoc me expediam) vt abyssum (vt ita dicam) pœnarum omnium in hoc capite in Christi personam cumulatum comprehendat, omnes pœnas circa ipsum commemorat. Et licet Rabi Salomon, & Rabi Dauid, alijq. iuniores Hebræi suo more in hoc capite tergiuersantes, totumque hoc caput de populo Hebræorum ad litterã interpretantes, contemnentes Isaiam, de eo, quasi de vno homine loqui, quemadmodum, & Deus ipse etiam loquitur in Exod. 4. cum ait: *Filius meus primo genitus Israel*: describiq. à Propheta luculentisśimis verbis omnes illas calamitates, quas modo in ista grauisśima, & acerbisśima captiuitate patitur: Iccirco nimirum appellari *despectum, nouissimum virorum, virum dolorum, nescientem infirmitatem, leprosum, percussum à Deo, & humiliatum, vulneratum*,

Isai. 53.1.

Passio Christi ab Isaia exactè descripta.

Hebræi suo more contradicũt.

Exod. 4. 22.

oeratum,& vſque adeò deformatum,vt nulla pulchritudinis, atque decoris veſtigia in eo viderentur: tamen merũ Iudæorum figmentum eſſe clarè videtur; quoniam cum ipſo Iſaiæ contextu apertiſsimè pugnet. In primis namq. is,de quo ſermonem habet propheta, tanta vitæ, morumq. ſanctitate memoratur excellere,*vt iniquitatem non fecerit,nec inuentus ſit dolus in ore eius*,tanta in perferendis iniurijs patientia,vt pro ſuis perſecutoribus, atque interfectoribus orauerit, quæ in Hebræorum populum nullo pacto conueniunt; quem conſtet eſſe maiore ex parte vſuris, auaritia, cupiditate,maleficijs, alijſq. flagitijs implicatum; atque totum ferè ex innumeris dolis,fraudibus,alijſq. in omni genere ſceleribus concretum: adeoq. à vera iniuriarum tolerantia, & malorum perpenſione abhorrentem, vt quotidie tribus vicibus in ſuis Synagogis Romani Imperij, immò Chriſti Eccleſiæ euerſionem impijs, & execrandis vocibus à Deo efflagitet. Sicut in Thalmulth legitur, vt Hebræi quibuſcumque malis,& incommodis potuerint, omnes Chriſtianos efficiant, in fraudem impellant, fortunis euertant, oblataque opportuna occaſione trucident, vt fusè refert Magiſter Hieronymus cognominatus ex Iudaiſmo ad fidem Chriſti conuerſus. Ex quo manifeſtè reijcitur Rabi Salomon nullo pacto caput iſtud Iſaiæ poſſe Hebræorum genti accommodari. Eſt etiam, & alia ratio; nam is, de quo Iſaias ſermonem inſtituit, dicitur, illa omnia propter aliorum ſalutem tolerare: *Vere* (inquit) *languores noſtros ipſe tulit*. Ex quibus verbis liquido colligitur huiuſmodi Dei ſeruum, de quo loquitur Propheta non propter ſua ipſius ſcelera paſſum eſſe, ſed propter crimina ceterorum, ac reliquos omnes, eius ægritudine ſanitatem, liuore pulchritudinem, vulneribus medicinam, attritione integritatem, morte denique vitam fuiſſe conſequutos; quæ omnia non ſolum Iudaico populo, ſed nulli alio conuenire poſſunt, niſi Chriſto Domino. Accedit tertia denique ratio, quia Propheta vocat eum *brachium Domini*; qui, cum verè filius Dei ſit, optimo iure bracchium Dei nuncupatur. Remanet igitur hoc vaticinium nullo pacto ad Iudaicum populum ſpectare: nec verò quiquc alius aſsignabitur, cui ea, quæ eo capite comprehenduntur,tribui queant,præter vnum Regem Meſsiam: ipſe enim dumtaxat ea futurus erat ſanctitatis, meritorumque magnitudine, vt ſolus ipſe pro vniuerſorum hominum peccatis poſſet cumulatiſsimè ſatisfacere,

Meſsiæ innocentia.

Iudaici populi noſtri temporis vitia.

Iudæi quotidie tribus vicibus, in Synagogis Romani Imperij, ac eccleſiæ euerſionem efflagitant.

Magiſter Hieronymus ad ſanctam fidem conuerſus.

Chriſtus pro alijs paſſus eſt.

Meſſiæ vaticinium.

cere, tamquam ardentibus aduersus homines amoris facibus inflammatus, vt ob eorum salutem innumeris se se opprobrijs, contumelijsque proscindendum, atque acerbissimis, & grauissimis tormentis excruciandum suis hostibus obijceret; tandemq. in Cruce cum summo dedecore, & ignominia sanguinem, vitamq. profunderet. Quæ omnia eo capite complexus est Isaias, vt merito, tamquam Iob verus figuratus *dolens*, & *gemens* pro tormentorum magnitudine dici possit.

Amor perfectus perfectum generat dolorem. Et merito vbi perfectus ardet Amor, ibi perfectus dolor reperitur; nam tanto dolore rei amatæ afficimur, quantus est amor, quo illam prosequimur, cum anima, vt amans; magis in re amata, quam in re, cui est forma, reperiatur. Et sicut intellectus mutat res, quas intelligit, in seipsum; ita voluntas è conuerso in res optatas, & amatas se transfert.

Amor sub doloris nomine. Hinc oritur in sacris Litteris, *doloris nomine amorem reperiri*, sicuti Hieremiæ 4. Vbi de populo Israel loquens ait:

Hier. 4. 30. *Contempserunt te amatores tui*. Et alia translatio, inquit, *suspiratores tui*, idest, illi, qui pro tui amore suspirant, & dolore moriuntur. Et Daniel 14. De illis duobus senibus

Dan. 13. 10. Susannam amantibus sermonem faciens, dixit: *Erant ergo ambo vulnerati amore eius: neque indicauerant sibi vicissim dolorem suum*, idest, amorem suum reuelare. Et quia Christus Dominus noster genus humanum perfecto prosequebatur amore, cum omnia in ipso summam perfectionem habeant. Ergo, vt ipsum recuperaret, necesse fuit, vt summo, & perfecto affligeretur dolore: vnde Diuus Paulus Ga-

Gal. 2. 20. lat. 2. aiebat: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Quasi diceret. Si scire optatis dolorum Christi magnitudinem, quam nostrum gratia sustulit, contemplamini amorem, quo nos diligebat. Et Regius Vates Psalm. 87. vt hunc dolorem incomparabilem fuisse demonstraret, dixit:

Psal. 87. 4. *Quia repleta est malis anima mea*, non plena simpliciter, sed repleta: additque Glossa: *Non quidem peccatis, sed hu-*

Christi dolores in passione soli Deo patebant. *manis malis*, idest, doloribus. Et vt denique huic materiæ finem imponamus, dolores Christi tàm acerbi extiterunt, vt homo, & Angelus ignorent; sed solus Deus Pater, qui illos permisit, & Filius, qui passus est, intelligere

Psal. 68. 20. possunt. Vnde Regius Vates Psalm. 68. *Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam* quasi diceret, mei dolores tàm acerbi, duriq. fuerunt, vt solus

meus pater intellexerit, & cognouerit. Vnde iure optimo sancti Doctores affirmant, si diuinitatis vi virtutem humanitatis non suspendisset, non fieri poterat, vt in tormentis tandiu viueret, sed citius morte illum afficerent, & hoc sufficiat quo ad dolores in vniuersali. Si nunc in particulari illos intelligere cupitis, quiescite aliquantulum, quia in secunda parte dicturi sumus.

SECVNDA PARS.

POSTEA quam in hac prima parte nostræ lectionis, vsque adhuc vniuersaliter dolores Christi durissimos, acerbissimosque fuisse demonstrauimus: nunc ad particulares accedentes distinctè in ista secunda parte singulos tractabimus. Vbi, vt omnia exactè declarentur, aliqua prius in hac materia notanda sunt. Primum, Christus omnes dolores in specie non sustulit, nec passus est, quoniam, cum multi inueniantur dolores ex contrarijs causati (verbi gratia) vt, si quis in igne assus est, submersus in aquis, & simil. Quæ, cum Christus non sustulerit, necesse est dicere, hunc dolorem non tolerasse: & hoc, quia duo contraria in eodem subiecto, eodemq. tempore esse non possunt. Secundum, scimus, alijs, qui secum crucifixi sunt, gena rupta fuisse, ipsi verò non: ergo nec hunc dolorem sustulit. Tertium, dolores Christi simpliciter non superiores fuerunt omnibus doloribus; nam minor pœna damnatorum in inferno est maior, qua in hac vita tolerare possimus; quod Durandus in 3. Sentent. dist. 15. declarans, ait: Sicut Beatorum gloria sine dubio quamlibet huius vitæ gloriam superat, ita damnatorum pœna quoslibet dolores, ac ærumnas huius vitæ vincit, & supereminet. Quartum dolores Christi, tàm externi, quàm interni, omnes huius vitæ dolores superauere: vnde ipsemet Thren. 12. dicebat: O *vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Cernite vos flumina, quæ in mare ineunt, in illo omnes vires amittunt, iuxta illud Eccles. 1.7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Sic si omnes nostros dolores Christi doloribus comparabimus, nullarum virium, ac momenti sunt. Quintum denique quamquam Christus om-

Christus omnes dolores in specie non est passus.

Pœna qualibet damnatorum, superat dolores omnes huius vitæ.

Durandus in 3. Sent. dist. 15.

Thren. 12. 1.

Dolores Christi in passione superauere omnes dolores huius vitæ.

Eccles. 1.7.

Simile.

nes dolores in specie haud passus est: tamen singulos in genere sustulit. Vnde Regius Vates Psalm. 41. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*, hoc est, omnes dolores, addit Glossa. Quos dolores (vt dixit) tam in anima, quam in corpore tolerauit.

Psal. 41. 8.

Passiones in homine, quæ dolorem extremum afferunt, sunt tres.

Et quo ad animam certum est, omnes dolores tolerasse, qui sufferri possunt, cum tres sint præcipuè passiones in homine, quæ extremum afferunt dolorem, hoc est, tristitia, & hæc prima. Timor, & hic secundus. Tædium, & hoc tertium. Quas omnes, cum Christus sustulisset, sequitur, in anima extremum tolerasse dolorem: ideò Matth. 26. dicitur, quo ad tristitiam, *cœpit contristari*; quo ad timorem, *pauere*; & quo ad tedium, *tædere*. Igitur, cum omnes dolores in anima tolerasset, omnes in hac passione sustulit. Quod Regius Vates exprimere intendens, dixit: *Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tamquam testa virtus mea. Aruit tamquam testa*, ecce passio tristitiæ, quæ ossa ipsa siccat, & ardet; *dispersa sunt omnia ossa mea*, ecce timoris passio, quæ membra relaxat. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei*, ecce tædij passio, à qua illius sanctissima anima omni ex parte circumdata fuit. Primo dicitur, *cœpit contristari*. tristitia passio à malo præsenti causatur (verbi gratia.) Quis magnum scelus perpetrauit, & in iudicis potestate reperitur; & quia diuersa incommoda patitur, affligitur, & dolet. Christus in illa hora duo meditabatur. Primum, hominis peccatum, quo grauiter Dei maiestatem offenderat. Alterum mala in genus humanum ab eodem peccato producta, cum ambo ipsi displicerent, vehementer doluit, & mæruit. Præterea perspiciens, quòd, licet pro genere humano moreretur: tamen plurimi eius gratia abutentes damnandi erant, ideò doluit. Signanter pro populi Hebræi damnatione, quia Deo effectus peculiariter erat. Denique pro damnatione Iudæ, qui ad Apostolatum singulari gratia, & fauorem electus fuerat. *Cœpit pauere*, timoris passio à præuiso malo causatur; nam in hoc differunt tristitia, & timor: illa enim à præsenti, & hic à futuro procedit malo. Et hoc prouenit, quia, cum Christus tormenta, quæ pati debuerat, contemplaretur, necesse fuit, vt illa timeret; quæ timoris passio à duobus ab illius sanctissima anima præuisis incrementum

Matt. 26. 37.

Christus passus est in anima extremũ dolorem.

Psal. 21. 15.

Tristitia quid sit.

Simile.

Christus qua re contristatus in horto.

mentum cœpit. Primum, propter totius mundi peccatorum multitudinẽ sub eius humeris positorum, iuxta illud Ps. 118. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*. Secundum, ex Dei seuera iustitia apparata, quòd eius personæ pœna daretur, exempli gratia. Aliquis sub iudicis potestate reperitur, qui diuersa flagitia perpetrauerit, sciens, iudicem seuerum esse, & seuere ipsum castigaturum, magno timore iustitiæ executionem expectat. Christus in illa hora totius generis humani multitudinem peccatorum, ac Dei patris iustitiam considerauit, quæ iam super eius sanctissimam humanitatem vnire parauerat, timore affectus fuit (timore, scilicet, in appetitu naturali cadente) timuit etiam dæmoniorum iram, ac feritatem, quibus super eius humanitatem tunc potestas concessa fuit, iuxta illud Lucæ 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Tandem *cœpit tædere*; tædij passio aliud non est, quàm quidam cruciatus, quo nonnullus afficitur dum torquetur, & affligitur; cum vnde refrigerandi, ac capiendi remedium non habeat. Christus illa hora ab omnibus relictus fuit; & diuinitas ipsa ita humanitatem dereliquit, vt pati, ac mori posset. Vnde in mortis articulo merito dicere potuit. Marc. 15. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Et quo ad hoc, Christi tormenta omnes Martyrum pœnas superauere, quia Martyres, dum erant in tormentis, à diuina gratia aliquid refrigerij receperunt: Christus verò hoc auxilio omnino caruit. Itaque, cum eius sanctissima anima ab omnibus tribus illis passionibus aggressa fuisset, nempe, tristitia, timore, & tædio, è quibus in nobis vniuersus dolor prouenit, merito dolores (vt dixi) extremos passus est.

Christus quare timorem in horto passus est.
Psal. 118.3.
Simile.
Christi humanitas timuit potestatem dæmoniorum in passione.
Lucæ 22.53.
Tædij passio quid sit.
Marc. 15.34.
Dolores Christi martyrum dolores omnes superauere.

In corpore etiam idem affirmari potest, omnes in corpore ex quatuor causantur dolores. Ex primo, propter subiectum, in quo fundantur passiones. Ex secundo, propter ipsasmet passiones. Ex tertio, propter inimicos, à quibus patitur. Ex quarto tandem, propter finem, pro quo patitur. Quo ad subiectum magis patitur caro mollis, ac nobilis, quam dura, & rustica; sed, cum caro Christi Spiritus sancti opera ex purissimis Virginis sanguinibus formata fuisset, tenera, ac mollissima erat. Quo ad tormenta, etiam dolores extremos passa est: Et hoc ex duobus. Primo, ex numero. Secundo, ab asperitate. A numero, quia passus est à capite, vsque ad pedes, iuxta illud Isaiæ 1. *A planta pe-*

Dolores in corpore ex quatuor causantur.

Sancta Brigida in suis reuelationibus.

Christus in columna passus est innumerabilia flagella.

dis, vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vnde sancta Brigida in eius reuelationibus quasi innumerabilia flagella Christum in Columna passum esse affirmat; & merito, quia Pilatus illum vapulari, & flagellari imperauit, vt sic vulneratus ad pietatem Hebræos inclinaret; & sic à morte illum liberaret; & ob hanc causam post flagellationem illis eum ostendit, dicens, *Ecce Homo*. Et id agendi causa ministris dictum Pilatum iussisse, vt aspere, seuereque flagellaretur, credendum est: Quia eò, quò flagellatus extitisset, magis finem suæ voluntatis adeptus esset. Et contra, ipsimet Hebræi, nè ipsum Pilatus absolueret, timore oppressi, flagellantibus amplas strenas polliciti fuisse cogitandum est; vt in ipsa Columna moreretur. Ex flagellorum denique parte, cum post tot flagella manus, & pedes illi confixerunt, in quibus propter neruorum concursum dolor summopere insurgit. Tertio ex parte inimicorum, qui non solum homines erga ipsum, sed dæmones extiterunt. Vnde (sicut supra diximus) ipsemet dixit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Et Diuus Gregorius ait: Quidquid Hebræi in Christi personam tempore passionis perpetrati sunt, dictante diabolo egerunt: postea quam tot tormentorum inuentiones excogitare, fieri non poterat, nisi diabolus illos instrueret. Quarto, & vltimo, ex parte finis, qui non solum satisfaciendi gratia fuit, sed etiam, vt extremæ patientiæ exemplum demonstraret. Itaque ad hoc perficiendum quamlibet pœnam pati necesse fuit. Immo horum omnium haud contentus alias circumstantias, tàm circa corpus, quàm circa animam adiecit; nam, sublato passionum concursu, vna haud alteram impediuit, vt quælibet pœna, & passio suo officio fungeretur. Et sicut in nobis passiones ita se mutuo impediunt, tàm in anima, quàm in corpore; quòd, si dum ab vna opprimimur, alia maior superuenerit, minor non affliget exempli gratia, circa animam, quæ dum à tristitiæ passione, vel alia simili afflicta est, si maior illa superuenerit, prima torqueri desinit, haud saltem eius molestia non affligit. Præterea ratio tali modo conturbatur, vt quasi stolida non sentiat passionis acerbitatem: non sic in Christo, qui licet post primam passionem secunda timoris, & tertia tædij aggressus fuisset; tamen prima, nempe, passionis tristitia, ab eo non recedit, quòd antea passus est: nec ratio vmquam turbata fuit, quæ continuo pœnarum acerbitatem cognouit.

D. Gregorius.

Christus non solum passus est, vt nos redimeret, sed vt patientiæ exemplũ daret.

Quo

Quo verò ad corpus, licet flagella, quæ in columna passus est, innumerabilia fuerint (vt supra dictum est) nihilominus crucifixio manuum, ac pedum, quæ maximum intulit dolorem, primorum tormentorum acerbitatem non impediuit. Et quo ad rationem in nobis nimior corporis dolor rationem turbat: non sic in Christo, qui semper eodem modo se habuit. Et (vt finem imponamus) flagellorum multitudo in nobis ita carnem stupidam reddit, vt, iterum verberata, flagella non sentiat. Sed in Christo hoc locum non habuit: Et vltimum, sicut primum, flagellum intellexit. Et hoc accidit, quia eius sanctissima anima, & eius sanctissimum corpus ita perfectæ formata fuere, vt in nullo deficere possent. Ab his omnibus, quæ dixi, remanet, dolores in Christo principem locum inter dolores obtinuisse. Vnde Isaias merito illum *virum dolorum* appellauit: quasi diceret, Homo, in quo omnes huius vitæ dolores reperirentur. Ergo sicut Iob tamquam expressa illius figura vocatus est *gemens, & dolens*, eò magis hæc nomina Christo figurato conueniunt. Ad quorum dolorum contemplationem Diuus Paulus nos admonens aiebat: *Hoc enim sentite in vobis, sicut & in Christo Iesu*. Vbi intelligens de eius passione, dicit, *sentite*, non cogitate, haud loquimini; hoc est, transferte in vobis cogitationis, & compassionis causa aliquos illorum dolorum, postea quam sine sui ipsiusmet periculo, ac sine aliqua experientia calamitatem, acerbitatis, & feritatis eorum sentire, fieri non potest: ideò in vestro corde illos transferte; & tunc bene sentietis. Amen.

Christi anima, & corpus summè perfecta fuere.

Isaias.

Philipp. 2. 5.

SEPTIMA LECTIO.

De Christiana simplicitate.

IN QVA QVINQVE GRADVS CHRISTIANAE simplicitatis, quos in seipso homo, ac mulier habere debet, explanantur.

Iob 1. Et erat Vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.

PRIMA PARS.

OMNIA bona, ac omnes res huius vitæ ad tria genera, & ad tria capita reduci debere iam vobis à principio secundæ Lectionis demonstraui. Hominis bona tria sunt. Primum corporis, secundum animi, tertium fortunæ. Hinc prouenit, quòd Spiritus sanctus Iobi vitam exprimere intendens, omnia amplecti, ac describi necesse fuit. Et ecce, narratis corporis bonis, hoc est, nomine, patria, potestate, ac eius magnificentia, ad animi bona deueniens, dicit, *& erat Vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Vbi notantur tres animi virtutes, quæ in seruo Dei reperiri debent; nempe, simplicitas, rectitudo, & innocentia. Simplicitas in se ipso, rectitudo cum proximo; & innocentia cum Deo. Et ecce hic singula à Spiritu sancto narrata. *Simplex*; hæc est simplicitas, quàm ipse habere debet in seipso. Et *rectus*; hæc est rectitudo, quam debet habere cum proximo. Ac *timens Deum, & recedens à malo*; hæc est innocentia, quam debet habere apud Deum. De his omnibus in tribus sequentibus Lectionibus sermonem habebimus. De primo in hac prima

Homo tria bona habet.

Animi virtutes tres.

Lectio-

Lectione, nempe de simplicitate; quam ad exemplum Iobi, quilibet Christianus retinere debet. Quæ simplicitas, cum quinque gradus, & perfectiones comprehendat, de omnibus his locuturi sumus. De primis quatuor in prima. De vltimo in secunda parte. Attendite. *Lectionis diuisio.* *Simplicitatis quinque gradus*

ET *erat Vir ille simplex, &c.* Et hinc incipiens. Primus simplicitatis gradus, qui in Christi fidelibus reperiri debet, est illa animi, ac mentis interna puritas, quæ à Gregorio Nisseno in lib. de anima, & resurrectione animum bonum sine aliquo malo, ac errore nuncupat. Quo homo, ac mulier à proprio eorum corde omnem malitiam, & calliditatem expellunt. Ad quam simplicitatem, & puritatem sanctus Iacob cap. 4. exhortans dicebat: *Emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo*. Et Christus Dominus. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Pistor farinam capit, & simpliciter sine fermento coagulans, placentam conficit, quam sub cinere coquit: Si tu me interroges quo modo vocabitur? Panis azimus respondebo, idest, panis non mixtus cum fermento. Vnde D. Paulus 1. Cor. 5. *Itaq. epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ; sed in azimis synceritatis, & veritatis*. Quasi diceret. Malitia, & iniquitas in hominis, ac mulieris corde nihil aliud est, nisi fermentum quoddam, quo cor humanum in peccatis tumescit, ac augetur. Hinc oritur, populum Israel iussum fuisse à Deo, vt non solum quodam tempore, vbi maior requirebatur puritas, vt pani fermentum non adderet; sed nec etiam fermentum domi haberet, vt annueret, quamuis in illis semper simplicitas, & puritas requireretur: præsertim tamen tempore illo determinato: Et quia in Iob erat ista simplicitas; hac de causa merito dicitur, *Erat simplex*. *Gregorius Nissenus.* Iacob. 4. 8. Matth. 5. 4. *Simile.* 1. Corin. 5. 8. *Deus quare præcipiebat populo, vt fermento careret.*

Secundus gradus simplicitatis in veritate, & synceritate consistit, tam intrinsecè, quam extrinsecè, tam verbo, quam opere: & ille solus in hoc sensu vocatur simplex, qui omni fraude, ac scelere caret; & hic sensus similis est Vaticanæ translationi, quæ dicit: *Et erat ille homo verax*, iuxta illud Regij Vatis Psal. 14. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua eius*. Et D. Paulus Ephes. 5. puritatem, & simplicitatem sanctæ Ecclesiæ exprimere intendens, aiebat: *Translatio Vaticana.* Psal. 14. 3. Ephes. 5. 25. & 26.

Christus

Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret: mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed, vt sit sancta, & immaculata; vbi perspicitur, D. Paulum rugam, & maculam simul addere, quæ aliud non est, nisi duplicitas verbo, & opere, quam callidi, ac sagaces huius seculi retinentes, alios decipere conantur, vt omni tempore in principium Curijs, ac aliorum Congregationibus perspicitur: qui à Salomone, & à Regio Vate naturæ monstra vocantur; nam, si perspiceretis aliquem duo corda, ac linguas habentem, talem, monstrum esse diceretis: sic sunt iuxta mundi opinionem callidi, ac sagaces, postea quam (vt vulgo fertur) aliud in ore, aliud in corde habent. Et, vt verum sit, audite quæso,

Psal. 11.3. Regium Vatem Psal. 11. *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*. In corde, & corde, ecce duo corda. Et Salomon Pro-

Prou. 8.13. uerb. 8. *Timor Domini odit malum, arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor*: Ecce duæ

Simile. linguæ. Aliquis amicum ciuitate egressum inueniendi causa proficisceretur; & quia iter duas continet vias, in diuersas terminantes partes; sed quia vnusquisque eorũ per suam ambulat viam, simul occurrere nõ possunt, iuxta illud Eccl. 2.

Ecclesi. 2.14. *Et peccatori terram ingredienti duabus vijs*; & sunt illi, qui

Simile. aliud in corde, aliud in ore habent. Narrant Pastores, aliquando lupos se in ouium figuras mutare, qui quamuis à grege respiciantur: tamen non cognoscuntur, & sic commode illas occidunt, & deuorant. O quot in extremo habitu humiles, ac veraces videntur, & quasi oues incedunt, qui intrinsecè lupi rapaces sunt; à quibus nos cauere Dominus

Matt. 7. 15. noster Iesus Christus monebat, dicens. Matth. 7. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Qui alios honore, diui-

Leuit. 19. 19. tijs, vita priuare desiderant, hoc annuere intendebat Deus.

Deus præcipiebat nè agrũ duplici semine sererent. Leuit. 11. Cum populo præcipiebat, nè agrum duobus seminum generibus seminaret: Et vllus vestitus esset veste duobus coloribus picta: *Agrum tuum* (aiebat) *nè seres diuerso semine: veste, quæ ex duobus texta est, non indueris*. Quæ

Deus præcipiebat nè quis veste duplicibus texta indueretur. duo semina? Et qui duo colores? nisi duplicitas illorum, qui fictâ calliditate, ac insidijs, verbis à corde dissonantibus, alios decipere student, & quærunt?

Tertius

Tertius gradus ſimplicitatis eſt illorum quies, qui in ſeipſis retracti longe ab omni cura, mundanaq. ſolicitudine ſibi ipſis incumbunt; & illis ſolis operam præbent, quæ ad corporis, animæq. ſalutem conueniunt. In quo gradu erat Patriarcha Iacob, de quo Geneſ. 25. dicitur: *Iacob autem vir ſimplex, habitabit in tabernaculis*, hoc eſt, ſua domo retractus, quieti vacabat: è contra de eius fratre Eſau, qui, cum hoc ſimplicitatis gradu careret, dicitur: *Erat vir agricola, & venator*; quia mundana cura, nimiaq. ſolicitudine huc, illuc vagabatur; ideò vbi de Eſau dicitur, quòd erat homo piloſus, de Iacob è contra, homo lenis, & ſine pilis, ideſt, ſine ſolicitudine, & cura mundana. *Simplicitatis tertius gradus*, Geneſ. 25. 27 *Differentia inter Iacob, & Eſau.*

Quartus ſimplicitatis gradus eſt, conſcientiæ ipſius rectitudo; & eſt illa ſynderesis, quæ naturaliter rei veritatem demonſtrat, ac patefacit: & eſt illa lex à natura in hominis, ac mulieris mente inſita, de qua dicitur. Quod tibi non vis, alteri nè feceris. Et de qua D. Paulus Roman. 2. aiebat: *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.* Pater familias magiſtrum, aut pedagogum quærit, cuius proprios filios committit, qui illos ſic inſtruit, vt nutui obediant, hoc annuere volebat Pſal. 24. de hoc naturali lumine loquens: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Et Origenes ſuper 2. cap. Romanorum dicit; quid putatis conſcientiam eſſe, niſi ſynderesim illam, & illud naturale lumen; quod in homine reperitur, cum quo perſpicit, & cognoſcit quidquid ſibi nollet, alijs non faciendum eſſe. His (vt ſupra dixi) eſt magiſter, qui diſcipulos, ideſt, ſenſus dicit, ac animi potentijs imperat, & iubet; qui tanti momenti eſt, vt omnes Moyſis, ac Chriſti leges amplectatur. Poſtea quam quod ambo dicunt, omne huic magiſtro, ac lumini conformatur. Vnde D. Paulus Rom. 12. aiebat: *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*. Rationabile obſequium, hoc eſt, naturale obſequium. Et D. Iacobus cap. 1. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras*. Inſitum, ideſt, à natura in hominis mente inſertum. Et hæc eſt illa lex, tempore naturæ, cuius obſeruantia, antequam Lex ſcripta daretur, Patriarchas, ac Prophetas Deo gratos, amabileſq. reddit. Hinc oritur illud Græce lingua pulchrum *Simplicitatis quartus gradus.* Rom. 2. 14. Pſal. 4. 7. *Origenes ſuper 2. cap. Rom.* Rom. 12. 1. Iacob. 1. 21.

arcanum:

Verbum diuinum quo modo Græce dicitur. arcanum: posteaquam, cum filius Dei vocatur Verbum, Græce dicitur logos, hoc est, ratio, quia eius lex rationi, ac naturali legi consentanea esse debebat. Et Diuus Paulus

1.Cor. 14.40 1. Corinth. 14. *Omnia autem honestè, & secundum ordinem fiant*, hoc est, secundum naturalem, & rectam rationem.

Homo in statu innocentiæ Deũ vehementer lumine naturali diligere poterat. Fœlix lex, quæ in innocentiæ statu homo hoc solo lumine sine alio gratiæ, ac caritatis habitu vehementer Deum diligere poterat. Et D. Augustinus in libro de fide ad Petrum dicebat. Spiritus rationales ita creauit Deus, vt ipsum plus

D. *August. de fide ad Petrum.* diligerent, quam seipsos; & noster Scotus addit, naturalem rationem docere, reperiri summam bonitatem, quæ est Deus.

Scotus. Et quia bonum est voluntatis obiectum, ideò voluntas naturaliter, tamquam proprium obiectum vehementer diligit: alias daretur processus in infinitum. Ergo sine alio caritatis habitu in dicto innocentiæ statu, antequã à peccato iustificetur, voluntas summopere Deum diligere poterat. Præterea si Deus sine caritate ab eo aliquis diligi non possit, dum aliquis reperitur, qui illum diligit, certus esset, Deo se gratum

Eccles. 9.1. esse, quod falsissimum est, cum Ecclesiast 9. dicatur: *Neminem scire an odio, vel amore se dignum esse*. Denique quotidie

Gratia est necessaria ad salutẽ. perspicimus, quamplurimos desperatos seipsos occidere; tamen beatitudinem vellent, & illius obiecto frui. Igitur magis beatitudinem, & illius obiectum diligunt, quod est Deus, quam semetipsos. Et si tu infers, Caritas; & gratia superfluæ sunt. Respondeo: Verum non esse, quia gratiam, & caritatem de lege, & præcepto Dei necessariam esse statutum est.

Alex. de Alens. 3 p.q.13. Præterea (vt Alexander Alensis 3.p.q.13. affirmat) licet Deus super omnia naturaliter, tamquam summum bonũ, & nostræ proportionatũ voluntatis obiectum diligi posſit; tamen meritoriè, & perfectè, hoc est amore amicitiæ, fieri non potest in statu naturæ lapsæ. Præscripto igitur merito solis naturalibus viribus voluntas Deum diligere potest amore imperfecto concupiscentiæ, in statu naturæ lapsæ: poterunt tamen in statu naturæ integræ. Et hæc est illa synderesis, de qua vsque adhuc sermonem habuimus: quæ omnes inexcusabiles reddit, si Deum non diligunt, & eius præceptis non obtemperant.

Simile. Reperitur aliquis in obscuro cubili, in quo nullam rem respicit, repente socius lumine accenso occurrit; si ipse oculus claudit, & similiter nihil videt; illius, & non luminis quidem culpa est. Ita Deus singulis hoc naturale lumen præbuit, & omnibus dixit, quod tibi non vis, alteri nè feceris.

Si tu

Si tu non obedis, culpa tua eſt. Non nullus iuſto pondere lancem emit, quam poſtea falſificat; lanx per ſe optima erat; ſed poſtea falſificata fuit; Conſcientia, ac ſynderesis naturaliter veritatem docet, & dictat; ſed quia tu illam falſificaſti; non admireris igitur, ſi te fallit, ac decipit. Vnde Deut. 25. *Pondus habebis iuſtum, & verum*; ſed quo modo falſificatur? Fœnore, ac cupiditate; & hominis conſcientia lupi conſcientia fit: non ne prouerbium eſſe ſcitis conſcientiam lupi quid ſignificare vult? Vobis ſigillatim dicam. Aliquando animalia ſimul ſe congregauerunt, & circa lupi damna, quæ ab ipſo omni tempore patiebantur, ſe conſuluerunt: denique inter eos concluſum fuit communem Regem, nempe leonem, adire, cui narrato caſu, aliquo modo eorum incommodis prouideatur. Auditis à leone animalium querelis, lupum citauit, qui ad eius iudicium perueniens, obiectis reſpondit: tandem concluſum fuit, nè die pluſquam decem carnis libras illum edere debere. Qui paucis diebus præcepto obtemperans, poſtea ad priſtinum reddidit; de quo iterum animalia conclamantia, iterum etiam reuocatus fuit lupus, qui, vt ſe ab accuſatoribus liberaret, per ſuam iurauit conſcientiam, ſemper ſe præceptum leonis obſeruaſſe, & in eius lance numquam pluſquam decem carnis libras ponderaſſe: licet die integras oues, & iuuencam ederet. Alia ex parte, quia contrarium cetera animalia ſciebant, ac experta erant, lancem conſcientiæ lupi falſificatam eſſe cognouerunt. Vnde prouerbium natum eſt, conſcientia lupi. Non nulli reperiuntur, qui libere confitentur, ſe decem nummos, vel maiorem, vel minorem ſummam debere; ſed quia creditori ſe aliquod obſequium, vel beneficium præſtaſſe videtur, ideò pecunia non eſſe reddenda. Hic duo ſunt conſideranda, lanx conſcientiæ, quæ illum incitat ad reddendum; & falſificatio excuſationis, quæ ad non reddendum perſuadet. In primo loco ſynderesis eſt lanx iuſta, in ſecundo falſificata. Mercator confitetur, ſe caro vendere merces, huc vſque conſcientia eſt iuſta; ſed poſtea aliquam quærentes excuſationem, dicit, ſe multo impendere pro familia: pro domo ſoluere. In principio iuſta eſt conſcientia: in fine falſificatur: Pater familias ſæpe ſæpius aliquid mercedis famulis defraudaſſe confitetur; ſed aliquando veterem ſubuculam, ac fruſtes calceos ſe illis dediſſe memoratur, ideò ad reſtitutionem nõ teneri; primo conſcientia eſt iuſta, ſecũdo falſificata: Et ſic

Simile.

Deut. 25. 15.

Conſcientia eſt verum, & iuſtum pondus.

Simile.

Simile.

de ſin-

de singulis. Vbi clarè videtur, conscientiam, & syndereſim naturaliter homini, ac mulieri veritatem ostendere; sed peccatis vitiatam, falsum determinare videtur.

SECVNDA PARS.

ET erat vir ille simplex, intrinsece, nempe animi, mentisque puritate. *simplex*: extrinsece, veritate tàm in verbo, quàm in opere. Simplex quiete sui ipsius: simplex denique recta conscientia, & iusta synderesi. Nunc quintus remanet simplicitatis gradus; & est, hominem verè realem esse, & talem nominari posse: ita affirmant Origenes, ac D. Chrysostomus in hoc loco à Septuaginta translatione moti, qui, loco *simplex*, verus transtulerunt, dicentes: *Et erat ille homo verus*: Et iidem Doctores addunt, illum vèrum, ac realem hominem nominari posse, qui haud erroribus, ac vitijs imaginem, quam Deus suis ipsius illi impressit, cum dixit; *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, non polluit, ac maculauit. Circa quam materiam aliqua necessaria, quæso, notate. Primum imago secundum D. Thomam p.1.q.113. art. 1. diuiditur in duo capita. In primo, pro essentiali natura, sicut imago Regis in suo naturali filio: & hoc modo solus Filius Dominus noster Iesus Christus est imago Dei, & naturalis Filius ipsius substantiæ, ac essentiæ; Vnde D. Paulus Colos. 1. de ipso loquens, ait: *Qui est imago Dei inuisibilis*. In secundo pro imagine similitudinis, ac figuræ; quæ imago, licet non secundum naturam repræsentet; repræsentat tamen secundum similitudinem totius, ad differentiam vestigij, quod solum partem refert. Et hoc secūdo modo hominis anima, immò ipsius Angeli essentia facta ad similitudinem Dei dicitur, iuxta speculi morem, in quo repræsentatur tota imago illius, qui se in Deo perspicit, & contemplatur, & instar ceræ, in qua signaculum imprimitur. Et meritò, quia, sicut in Deo in vna, eademque substantia sunt tres personæ: ità in vna essentia animæ, ac Angeli sunt tres potentiæ; memoria, intellectus, & voluntas: quæ, licet inter se formaliter differant; attamen sunt vnum in substantia, & essentia. Notandum iuxta doctrinam nostri Scoti totalis imaginis rationem non solum consi-

Simplicitatis quintus gradus.

Origenes, & Chrysostomus.

Homo verus quis est.

Imaginis primus punctus D. Tho 1. p q. 113. a. 1.

Imago duplex.

Coloss. 1. 15.

Imago totum repræsentat, vestigium vero partem.

In Deo tres personæ.

Anima habet tres potentias.

consistere in animæ potentijs simpliciter consideratis; sed etiam in eorum actibus, & operationibus. Et hoc ad omnino repræsentandum in Deo naturæ consubstantialitatem, & personarum realem distinctionem. Sed quia hæc materia ad cathedram potius pertinet, scire satis est, quòd, sicut in Deo sunt tres personæ in vnica essentia (vt dixi) sic in nobis vnica anima cum tribus potentijs; & sunt memoria, intellectus, & voluntas. Memoria, à qua intelligentia oritur, Patrem refert, qui filium generat. Intellectus, Filium, qui est sapientia Patris; tandem voluntas, Spiritum sanctum, qui est mutuus amor inter Patrem, & Filium: & hoc consulto Deus ordinauit, vt, sicut ipsemet se intelligit, & amat: sic anima nostra illum intelligere, & amare possit; & per consequens illo summo bono frui. Vnde D. August. 14. de Trinit. aiebat: Anima ad imaginem Dei creata, quia potest, & meminisse, & intelligere, & amare Deum. Secundo, hæc imago in nobis, & in Angelis duplex est: Vna naturalis, altera verò gratuita. Naturalis est, de qua vsque adhuc locuti sumus: gratuita est quoddam lumen, & quædam qualitas à Deo creata, & in anima infusa, quæ gratia & caritas nuncupatur. Tertio, per hanc gratuitam imaginem anima sic cum Deo coniungitur, vt Patrem in memoria, Filium in intellectu, Spiritum sanctum in voluntate habitare dicatur. Exempli gratia. Princeps iubet magnum palatium, illud, habitandi causa, fabricari; non satis est illi, vt tota moles construatur ad habitandum; sed, vt pingatur, & diuersimodè ornetur, curat, & imperat: *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Quasi diceret Regius Vates Ps. 92. Hoc palatium animæ Deum fabricasse, vt ibi habitaret: sed ad hoc perficiendum, necesse est, vt ornatum etiam sanctitate, & gratia sit: & tunc verè est dignum suæ Diuinæ Maiestatis hospitio. Quarto, notandum, quòd, licet imago naturalis ab anima, ac ab Angelo deleri non possit, vt in dæmonibus perspicuum est, qui etiam post peccatum illam retinent: imago tamen gratuita deleri, ac annullari potest; & hoc peccati causa, non quia peccatum gratiam destruat; sed est causa, vt Deus à nobis gratiam auferat: ideò dicitur, quòd peccatum demeritoriè annihilat gratiam. Exempli gratia. Idem princeps, ædificato palatio, & sericis ornamentis decorato, vt sit suis ipsius dignum habitaculum; accidit aliqua occasione, aut tristi aere, aut aliquo alio incommodo eo hinc abire: tunc, quamquam pala-

Imaginis ratio consistit in potentijs & operationibus animæ.

Memoria generat intelligentiam.

Anima mediante imagine potest intelligere, & amare Deũ.

D. August. 14. de Trinit.

Imaginis secundus punctus.

Gratiæ effectus.

Imaginis, tertius punctus.

Simile.

Psal 92. 5.

Imaginis quartus punctus.

Peccatum demeritoriè annihilat gratiam.

Simile.

tium iubeat non prosterni; tamen sericis pannis, pretiosis picturis, magni pretij statuis, & quidquid in ipso ornamenti reperitur, spoliari imperat: tunc palatium, quo ad molem, remanet; sed taliter ornamentis spoliatum, vt principis hospitium non sit, & sic potius auium nocturnarum, vespertilionum, aranearum, ac aliorum similium animalium habitatio efficitur; & (quod peius est) paulatim cadit, & ruit. Hoc est, quod Regius Vates Psal. 48. aiebat: *Homo, cum in honore esset, non intellexit: Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*; ac si diceret, illud palatium, illa domus, illa, anima in qua Princeps Principum, & Rex Regum, Deus omnipotens, & immortalis medijs gratiæ ornamentis habitabat, & morabatur; nunc, medio peccato, brutalium animalium domus euasit, & effecta est: & hoc optimo iure, quia cum homo, vel mulier peccatis inficitur, in brutorum mores mutantur.

Psal. 48.13.

Peccator similis bestijs.

Hinc peccati effectum facillimè colligere poteris, qui hominem in bestiam, aut (vt melius dicam) in bestiales mores conuertit: vnde Genes. 2. non dixit Deus Adæ: I*n quacumque die peccaueris, te interficiam, sed morieris in manus iniquitatis tuæ*; nam supremus Iudex numquam obit tortoris munus, quòd, si nemo sit, qui tortor esse velit, certè Regi indignum est, vt suis ipse manibus sceleratos iugulet, aut in crucem agat: illum verò dignissimum à iugulo reuocare tortorem, & capitis reum ab extremo supplicio, dicente Osea 13. *Perditio tua Israel tantummodo: in me auxilium tuum*: iccirco peccatum similatur pisci Ephimeræ, qui nascitur sine concubitu (vt ait Iorach in lib. suo de animalibus) ad significandum, quòd peccatum præter naturæ ordinem ex appetitus corruptione contrahitur. Vnde D. Augustinus dicit, quod peccatum non est natura, sed vitium naturæ appetentis id, quod non est sui ordinis. Et D. Hieron. appellat peccatum vestẽ peregrinam. Vnde explicans illa verba Soph. 1. vbi inquit: *Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super* P*rincipes, & super omnes filios* Regis, *& super omnes, qui induti sunt veste peregrina*, ait: V*isitabo super eos, qui induti sunt vestimẽtis alienis, qui recesserunt à protectione, & indumento* Dei; *& suo errore cooperti sunt.* Hæc ille. & infra sequitur. I*n die autem iudicij visitabit Dominus super omnes, qui induti sunt vestimentis alienis. Vestis filiorum* Regis, *&* P*rincipum indumentum* C*hristus est; quod accepimus in baptismo, iuxta illud:* I*nduite*

Gen. 2.

Oseæ 13.8.

Peccatum assimilatur pisci Ephimeræ.

Peccatum præter naturæ ordinem generatur.

D. *August.*

D. *Hieron.*

Peccatum vestis peregrina.

Sophon. 1.8.

Romaa. 13.

vos

vos Iesum Christum, & iuxta illud: *Et induite vos viscera misericordiæ. In quibus præcipitur, vt induamur nouo homine cælesti, iuxta Creatorem nostrum; & proijciamus indumentum veteris hominis cum operibus suis. Cum ergo debeamus talibus indui vestimentis, pro misericordia induimur crudelitate, pro patientia, impatientia, pro iustitia, iniquitate (vt semel dicam) pro virtutibus, vitijs, idest, pro Christo Antichristo: vnde dicitur de istius homine, & indutus est maledictione, sicut vestimento.* Hæc ille. Cum ergo Hieronymus vocet peccatum vestem peregrinam, & alienam, vult annuere, non esse conforme naturæ, sed alienum à natura: immò contra naturam; &, per consequens, hominem in bestiam mutare, immò non solum est peregrinum à natura, & contra naturam, sed destructor naturæ: vnde D. Augustinus lib. soliloq. tom. 9. inquit: *Nunc igitur toties nihil factus sum, quoties a te separatus sum, quia bonum, quod tu es, oblitus sum; & ideò malum effectus sum, Væ mihi misero, vt quid hoc non cognoscebam? quia te deserens nihil fiebam? Si ergo nihil fui cum sine te fui, quasi nihil fui, & quasi idolum, quod nihil est: quòd quidē aures habet, & non loquitur; manus habet, & nō palpat; pedes habet, & non ambulat; & omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum. Cum igitur fui, sine te non fui, sed nihil fui; & ideò cæcus eram, surdus, & insensibilis, quia, nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi, vulnerauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi, quia nihil eram, quia sine vita eram: ideò Domine, lux mea, inimici mei fecerunt quæcunque voluerunt; percusserunt, nudauerunt, polluerunt, corruperunt, vulnerauerunt, & occiderunt.* hæc ille. Ex quibus peccati effectibus liquido colligere possumus, verum esse quod dixi, peccatum hominem in bestiam mutare, & illum iumentis comparare.

Coloss. 3. 12.

Peccatum destructor naturæ.

D. August. lib. soliloq. tom 9.

Hinc est, quòd Ecclesiast. vlt. dicit: *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* Et vox Hebraica dicit, *totus perfectus*, & quidquid homo est: immò ipsa vox latina omnis sæpe significat etiam perfectum, vt si diceret: Non potest, nec debet homo ille vocari perfectus, qui imaginem gratiæ non habet, sed potius imperfectus, & similis brutis. Erit Princeps, qui amore flagrans pauperem mulierem

Homo perfectus quis est.

Ecclesi. vlt. 31

Simile.

proſequitur, & tali illam induit veſte, vt, videntes eam, inuideant. Sed poſtea in errorem incidentem, Rex, omnibus pretioſis veſtibus, ornamentiſq. iratus, ipſam non modo ſpoliat, ſed è domo ſua magna ignominia, ac dedecore pellit: Tunc quia primo inuidebant ſpernunt, ac illudunt. Quòd optimè
Nahum. 3.5. deſcribens Nahum 3. aiebat: *Reuelabo pudenda tua in facie tua; & oſtendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* O miſerrimum hominem, qui tam faciliter peccato te tradis; cuius cauſa imagine gratiæ teipſum ſpolias, & omni gratuitu ornamento te priuas: qua propter potius belluam, quam hominem refers. Inter omnia metalla ſolum aurum talis eſſe perfectionis dicunt, quòd numquam rubiginem adducat; &, ſi ad rubiginem peruenerit, ſignum eſt multum incommodi ſuſtuliſſe? *Ruginitum eſt aurum, mutatus eſt color optimus.* O inexcogitatum malum (inquit D. Hieronymus 4. Thren.) aurum princeps metallorum, quod rubiginem nō ſolet adducere, formam mutauit: ſed dic mihi, quæſo, homo, quis es tu niſi aurum inter metalla? Deus te principem omnium creauit; ſed ad quid te peccatum adduxit? Colorem mutaſti, te in animantium formam transformaſti: Luxuria in ſuem, Gula in Lupum, Auaritia in Tigrem, Muſitatio in venenoſum anguem, itá, vt de te iuſte dici poſsit, Hic *homo cum in honore eſſet*: nempe ornatus gratiæ imagine, propter peccatum poſtea ſpoliatus, *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

Aurum perfectiore omnia metalla antecellit.

D. Hieron. 4. Threnorum.

OCTA-

OCTAVA LECTIO.

De Christiana rectitudine.

IN QVA TRES RECTITVDINIS GRADVS, quos erga proximum homo, ac mulier habere debet, explanantur.

Et erat Vir ille simplex, & rectus. Iob 1.

PRIMA PARS.

ET *erat Vir ille, &c.* Non solum (vt in proxima diximus lectione) *simplex*, sed etiam *rectus*: vbi, licet prima fronte verbum hoc *rectus* per reduplicationem, synonimum, ac expositionem primi verbi additum sit, quasi diceret, *simplex, & rectus*, hoc est, erat in isto homine recta simplicitas, perfecta, & vera. Tamen melius est dicere hoc verbum *rectus*, ad secundam conditionem iusti pertinere. Qui non solum debet esse simplex in seipso, & quo ad cor, & quo ad linguam, & quo ad operationes; sed rectus etiam cum proximo, & cum alijs. Quæ rectitudo tres gradus habet. *Rectus*, idest, amabilis, amorosus; hic est primus. R*ectus*, qui nihil in se mali continet; hic est secundus. R*ectus*, denique ille dici potest, qui rectè suo fungitur officio, hic est tertius. De quibus omnibus in hac Lectione verba faciemus. De duobus primis in prima: de tertio in secunda parte. Attendite. *Iusti alia conditio.* *Lectionis diuisio in tria capita.*

R*Ectus*, hoc est amabilis, ac gratus gentibus, & proximo; & probandi causa illi, qui linguæ Hebraicæ student, *Rectus quid significat.*

 aiunt,

aiunt, quòd hæc dictio deriuatur à verbo Iasar, quòd non solum rectum esse, sed etiam iucundum esse, & alijs placere significat. Hac analogia, qua recta sunt oculis, pulchra, & iucunda. Ita intelligitur locus ille Isaiæ 40. *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri,* idest, res facta grata oculis perspicientium. Et Psal. 118. *Ad omnia mandata tua dirigebar,* hoc est suauiter, iucunde ad illa ferebar: & ideò vult dicere Iob non solum erat simplex, idest, sine permixtione rei sibi ipsi repugnanti; sed rectus etiam, hoc est, amabilis, omnibusque gratus. Hæc est illa amabilitas, ad quam D. Paulus Colos. 3. alios hortans aiebat: *In qua, & vocati estis in vno opere, & grati estote.* Et Philipp. 4. *Quæcumque amabilia sunt, hæc cogitate.* Et 1. Cor. 10. *Sicut, & ego per omnia omnibus placeo.* Alia ex parte D. Paulus sibi ipsi contradicere videtur, cum Galat. 1. dicat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Cui obiectioni idem D. Paulus in eodem loco respondit, cum pro hominibus homines carnales intelligat: & eos, qui carnaliter viuentes, quæ Dei spiritu sunt, non sapiunt. Et istis, ait D. Paulus, non placere necesse est; præsertim in Religionis, ac Fidei materia: ideoque in eodem loco aiebat. Ego non acquieui carni, & sanguini. Hinc oritur, quòd Euangelium, & Lex Iesu Christi Domini nostri, quæ cum simplicissima sit, & nulla erroris macula permixta in hoc sensu recta nuncupari debebat, idest, grata, amabilis; & ideò vbi antiquam Legem timore plenam esse dicebatur, nouam verò amore plenam esse dicitur. Et Origenes verba illa Iosue 8. *Tunc ædificauit Iosue altare ex lapidibus integris, quibus ferrum non est iniectum,* expendens, ait, *Quid hæc sibi voluerint? Nisi quòd à Domino nostro factum dicimus, cum nouam traderet Euangelij legem, & Iesus noster post superatos dæmones, & vitia, ædificauit altare, in quo Patrem propitium reddat ex fidelibus puris, integris, & qui ignita malignæ iacula concupiscentiæ non receperint; quiuè ferrum pugnæ, ac litium numquam admiserint, & pacificis: scripsit autem in eorum cordibus Deuteronomium, quod secundum legem sonat, scripsit legem amoris, quam vocat ab Ecclesia efflagitatam, cum diceret Psal. 118. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas: idest, satis iam te mihi exhibuisti terribilem, cum me per primam edocuisti legem; & cum compertissimum mibi sit te summa præstare bonitate, & benignitate; & ingenti me prosequi dilectione, il-*

[Marginalia: Isai. 40.4. — Ps. 118. 128. — Colos. 3.15. — Philipp. 4.8. — 1.Cor. 10.33 — Galat. 1.10. — *Lex vetus timoris.* — *Lex noua amoris.* — *Origenes.* — Iosue 8.31. — Psal. 118.68.]

ne, illud vnum iam oro, vt in bonitate tua doceas me iustificationes tuas, hæc ille. Et D. Ambrosius: *Considera*, inquit, *vtilia apponentem medicamenta vulneribus: ea tamen, quæ mordeant vulnerum virus, aut certè ferro putrefacta resecantem, cum in eo ipso bonus sit medicus, quia vtilitatem operatur ægroti, & faciat quod prodesse nouerit: tamen quia æger dolorem, aut non vult, aut non potest sustinere propter infirmitatem affectus sui, rogat vt medicus eum quadam bonitate, & suauitate sua curet, & non asperitatem adhibeat medicamentorum: non ferrus incidat vulnerum fibras: aut, si aliter non potest, vt cum moderatione faciat, & quadam subtilitate mitiget vim doloris.* Et idcò cum in Euangelij bonitate melius, & suauius doceatur Ecclesia iustificationes Dei, quam in legis seueritate, congruentissimè Lex vetus dicitur Lex timoris: Euangelium autem Lex amoris. *Hinc est, quod in* Cantic. 1. Sponsa *post hanc doctrinam, scilicet, veterem, expectans nouam, aiebat: Osculetur me osculo oris sui: quibus verbis omnem nostram declarat intentionem; nam, dicens osculetur me osculo oris sui, quod signum maximi amoris, & affectus est, denotat Euangelium, de quo rogabat totum esse amoris, affectusque plenum.* In alijs verò verbis, *quæ sequuntur in* Cant. *vbi fit comparatio inter vbera, ac vinum, & vbi ait, quia meliora sunt vbera tua vino; in vberibus Euangelium è cælo, & in vino* Lex *vetus è terra prodijsse testatur. Nam, quemadmodum vbera carnis carnalia sunt, eo quod ex eis profertur, ex intimis eiusdem corporis prolatum, carnale etiam quodammodo est, eodem pacto ex* Christi *veri Dei, ac hominis doctrina, diuina, atque cælestis dicenda est: & quod ex illa profluit, cæleste, atque diuinum fore dicendum.* Contrarium verò; quia Lex vetus, per vinum significatur, indicare videtur, legem illam esse terrenam, atque ex ea nihil, præterquam terrena profluere, cum vinum terrena res sit, & ex vino terrena tantum proueniant. Hinc Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas (idest Euangelium) per* Iesum *Christum facta est*. Moyses terrenus, Christus cælestis: ergo doctrina Moysis terrena, doctrina Christi cælestis, & per consequens amoris, ac caritatis plena.

D. Ambros.

Ecclesia suauius docet iustificationes Dei.

Cant. 1. 1.

Lex noua per vbera significatur.

Lex vetus per vinum significatur.

Ioan. 1. 17.

Lex vetus terrena.

Lex noua cælestis.

Rectus est, quòd nihil obliqui retinet, ad indicandum, quòd non solum sancti Iob singulas operationes rectas esse, sed etiam tales veri fideles, esse debent. Vnde Ioan. Apoc. 11. narrat aliquando Deum vidisse non solum obliquitatem fa- Apoc. 11.

bricæ templi mensura funiculi, sed etiam rectam illius partem mensura calami metiri. Dicite, quæso, non satis erat relinquendo rectam, obliquam metiri partem? Non, quia Deus non solum malum fieri prohibet, sed & bonum etiam operari omni diligentia iubet. Fertis aliquando aurum aurifici, qui prius, an perfectum sit probat; deinde in lance appendit, & non solum cum ponderibus grauibus pensitat, nempe libra, vncia, & similibus, sed minimis etiam granis, ac acinis ponderat: *Omnis æstimatio siclo sanctuarij, ponderabitur*, dicitur Leuitici 27. Vt sic diceret. Omnis existimatio, hoc est, quælibet nostra operatio, & æstimatione digna à Deo acino sanctuarij pensabitur: ideò Prouerb. 16. dicitur, Deum non solum hominis intrinsecum, sed extrinsecum etiam iudicare. Et, vt verum sit: *Omnes viæ hominis* (inquit) *patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus*. Morabatur lætus Baltasar in solio suo, cogitans operationes eius Deo non displicere. Sed ecce repente aspecta manus in pariete verba hæc scribens: *Techel*, quod à Daniele interpratatum est, *appensus es in statera, & inuentus es minus habens*. Dicit ille, meum aureum libra erat, sed apud aurificem minus inuenitur. Beneficiatus magnis potitur redditibus, quorum est solummodo dispensator, & non dominus, iuxta D. Pauli præceptum: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*, qui licet dictorum reddituum aliquid pauperibus impertiatur: tamen cum fructuum valore comparatum, quasi pro nihilo reputatur. Mercator bona pluris, quàm valent, vendit: nunc iulium, nunc nummum furans; attamen aliquã paruam eleemosynam dispensat, ita, vt pro mille, iulium soluat. Quid est hoc? Nihil. Pater familias, cui famuli, ancillæq. inseruiunt, modo eorum alteri iulium vnum, alteri tres; modo scutum alteri furantur, sic vt tandem vberem, ipsemet cumulum paulatim efficiat; tamen, vel quatrantem, vel vnicum panem interdum propter Deum elargiendo, multa bona perpetrasse videtur. Demum omnes isti prouerbium adimplent illius, qui bouem furatur, cornua verò amore Dei elargitur. Quid plura? Vxor erit, vel virgo, aut vidua, quæ famæ, honestatisq. suæ decori non obesse quæret, ac perscrutabitur, in fenestris autem mimos, aut bubones propterea imitari, atque pomposa, seu luxuriosa incedere non desinet, ita, vt quamuis non malefaciat: attamen, vt de ipsa ipsam videntes suspicentur omnes, facul-

Marginalia: *Simile*. — Leuit. 27. 25. — Prou. 16. 2. — *Deus non solum extrinsecum, sed & intrinsecum iudicat.* — Daniel 5. 27. — *Simile*. — 1. Cor. 4. 1. — *Simile*.

facultatem præbebit: En opera ista nunc siclo sanctuarij ponderabuntur: ita est, à Deo minutim, & examinabuntur, & pensabuntur.

Sed quid accidit, vt aliud, quàm Christi Domini nostri exemplar in hoc velimus, aut quæramus? In quo vniuersale ipse iudicium describens, peroptimè declarauit, & innuit quidquid iam desuper vobis explanaui: nam quidquid in terreo hoc iudicio, ac tribunali efficitur inter nos, totum tunc in vniuersali iudicio adimplebitur. Duo nempe in hominum iudicio fiunt: in quorum primo citationibus operam datur, quæ quidem tres existunt, scilicet, monitoria, præceptoria, ac peremptoria, quibus in vniuersali iudicio agetur; & quod hoc verum sit, Paulum mihi in testimonium adhibeo 1. Thessal. 4. exclamantem: *Ipse Dominus in iussu*, en ista non ne præceptoria? *Et in voce Arcangeli*: non ne monitoria? *Et in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*: non ne peremptoria? insuper (quod ad nostram rem valde facit) in nostro iudicio quærenda examinantur: at in vniuersali perpetrata non solum delicta discutientur, sed prætermissa videbuntur opera bona. Vnde non modo D. Paulus 11. Roman. aiebat: *In die cum iudicabit Deus occulta hominum: secundum Euangelium meum*, iudicabit, occulta hominum intelliguntur illa, quæ ipsimet non cogitant: verum (quod magis expedit) clarissimè Christus ipse est locutus: *Exuriui enim* (dixit) *& non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere.* quasi dicat, animaduertite homines, quòd etsi satis operatos esse vobis videtur cum à peccatis abstinueritis; hoc non sufficit; quoniam bene operari, & præsertim misericordiæ, proximiq. pietati incumbere etiam est opus. Secundum, quod nostrum circa iudicium efficitur, est, vt personis legitimetur; nam, vt personarum tria interueniant genera, est necesse, scilicet, vt Reus, Iudex, & Accusator assistant, ideò legistæ volunt, quòd iudicium sit actus legitimus trium personarum: ita in vniuersali iudicio sequetur: iudex enim Christus erit Dominus noster; iudex, inquam, viuorum, & mortuorum: Rei, homines, ac mulieres: denique Accusatores (quod meo consonat iudicio) non modo dæmones, & ipsamet omnium conscientia; verum minuta discussio, atque examen, tam boni, quam mali intrinsece, & extrinsece à Deo exactè conficiendum. Vnde D. Paulus propterea Hebr. 4. dicebat: *Viuus est enim sermo*

1. Thess. 4. 15

Rom. 2. 16.

Matt. 25. 35.

Iudicium est actus trium personarum.

Hebr. 4. 12.

ſermo Dei, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens, vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intenſionum cordis.*

Simile. Princeps edictum promit, quòd ſub pœna amiſsionis dictarum rerum, ac aliarum pœnarum ſuo arbitrio infligendarum nemo prohibitas apud ſe res, ſuo in edicto contentas, retineat, vel conſeruet: interim adeſt quidam, qui tale Principis non bene legendo edictum, & hinc inde oſcitanter viuendo, nec minus quod debet animaduertendo, ſed incautè nimis, & abſque neceſſaria diligentia, tam ea, quæ non ſunt, quam ea, quæ contra Principis edictum exiſtunt, omnia ſimul inter ſe mixta, atque confuſa tenet venalia: accidit, vt interea eiuſdem Principis exactores exeant, ipſi tandem iſta venalia retinenti occurrentes, & vna eum interrogantes, an contra Principis imperium aliquid venale retineat: negat ipſe; exactores ſuis verbis fidem præſtare nolentes, minutim in officina quærunt, ſoluunt ſaccos, & hippoperas, & arcas aperiunt, ac denique omnia minutiſsime inueſtigant, vbi plurima contra Principis imperium apud ipſum inuenientes, rerum pœnam capiunt indictam, eumdemq. Principis imperio contrafacientem ſeuerè mulctant, quod explicans Propheta

Ezech. 5.10. Ezechiel cap. 5. talibus minatur verbis: *Et faciam in te iudicia, & ventilabo vniuerſas reliquias tuas in omnem ventum.* Nonnulli exiſtunt, qui incauti, & ignaui in orbe, quaſi iudicio orbati viuunt, ac ſe gerunt (dicit Ezechiel vt ſupra) quibus Miſſam audire, recitare coronam, ſimiliaque operari ſatis videtur, ſic neceſſaria multa, quibus tenentur, præcipueq. pietatis erga proximum, operibus, parui æſtimantes; ſed cum exactor, ideſt, iudex iudicij, ac mortis tempore aduenict, tunc iſti ſuos errores clare ſentient, & cognoſcent. Nulla ars, ſcientiaq. nulla inuenitur, quæ præuio, præmaturoque

Simile. ſtudio non indigeat: Niſi prius diſcit incidere, & ſuere veſtem, eam ſarcinator, nec incidit, nec ſuit vnquam; quod idem euenit in qualibet arte eorum reliquis artificibus: *Di-*

Iſai. 1.17. *ſcite benefacere*, Iſaias exclamat cap. 1. ac ſi dicere velit; Animaduertite homines; diſcite bene operari, ac benefacere; nec veſtra opera fortuito operamini: ſed diſcite, ideſt, Chriſtianam perfectionem attendite; nam ſuper vos in magno iudicij die cumulatè examinabuntur, ac minutim veſtra omnia inquirentur. Eueniet, aliquando, quòd ali-

Simile.

quis potionem bibere vult; at, quia super illa nauseat, tot alia ei iniungit, vt mali massilici succum, saccharum, & similia, quòd, ita alterata, seu variata potione, fructum minimè affert. Tolle resinam Virgo filia Egypti, frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. O pauperes Christiani, qui licet Christi legis, omnem peccati morbum omnino expellentis, potione fruamini; attamen tot existunt defectus peccatorum, quos medicamini adiungitis, quòd ipsum medicamen, vel parum, vel nihil vobis tandem prodesse potest. Hierem. 46. 11.

SECVNDA PARS.

Simplex erat, *& rectus*. *Rectus*, idest, amabilis, & omnium oculis periucundus. Insuper. *Rectus*, idest, absque labe, & sine culpa suis in operationibus se gerens. Rectus demum, quia incumbebat quibus suum erat incumbere, quibusque eum Deus addixerat, eius (vt dici solet) artificio, eiusque mercimonio. Quæ quidem rectitudo quam necessario in Christianis excellere debeat, Doctorum tuba D. Paulus Apostolus perbelle nobis patefecit, dicens: *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus*: ac si diceret: Nos non inquirimus nisi illud artificium, & mercimonium, quibus nosmet Deus addixit, atque decreuit. Iam Christus Dominus noster suis Christicolis declarare volens, cui nam debebant artificio incumbere, cuique muneri erant addicti, ipsos mercimonio operam dare eisdem communicauit; & propterea non modo in Matth. 3. dixit: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*: sed in eodem Matthæo: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed thesaurizate vobis thesauros in cælo*. Vbi Deum mercimonijs Christianos addixisse perspicuè cernimus. Vel est, (quod non ignorare oportet) quibus isti debent vacare negotijs. Quæ omnia, vt à nobis exactè percipiantur, sublimiori ex sede, vel loco incipienda esse cognosco. Homini, ac mulieri Christicolis duas (nulli dubium) cognitiones; rerum, scilicet, corporearum, ac visibilium naturalem: incorporearum, inuisibiliumque supernaturalem Deus est elargitus.

Rectus ille est, qui suo ministerio vacat.

2. Cor. 10. 13

Christiani mercatores effecti.

Matt. 3. 45.

Matt. 6. 19.

Duas cognitiones Deus dedit suis fidelibus.

tus. Naturali, inquam, animantia, plantas, arbores, petras, ceteraq. omnia norit vterque ipsorum, quibus viuentes in orbe vti debent; supernaturali verò Deum, Angelos, beatitudinem, & cuncta, quibus in gloria fruentur. Hinc emanat, quòd, vt ipsi vtrumque adipiscantur, & vtrisque peroptimè dominentur, duo quoque media, actiuam, scilicet, & contemplatiuam vitam contulit; vt per actiuam sicuti laborare debent, pro primarum corporearum, ac visibilium adeptione laborent; per contemplatiuam verò incorporearum, atque inuisibilium rerum fructui vacent, hac tamen ratione, quòd vna alteram non impediat, scilicet, quòd corporeis, præsentibusque rebus incumbendo, incorporeas, spirituales, ac futuras non prætermittant. Vnde D. Gregorius super 1. Regum cap. 1. illa verba exponens: *Affligebat Annam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret, quòd Dominus conclusisset vuluam eius*: ad rem hanc, inquit ipse D. Gregorius: *Sic velut in pace vtramque vxorem possidet, qui nec tempora operis contemplationi deputat, nec contemplationis otia per intensionem operis inquietat. Ab æmula autem Anna affligitur, cum immoderata intentio boni operis turbat quietem internæ visionis: affligitur cum ei illa præponitur, quæ esse ignobilior comprobatur, & vehementer angitur, quia electæ mentis contemplatio angustiatur, dum is, qui in contemplatione sublimem esse desiderat, se se in actiuæ vitæ operibus immoderatius dilatat, mentis quippe visio stringitur, cum impedita occupationibus operum in illa internæ lucis immensitate dilatatur. Et quia hanc vehementer angere dicitur; notandum est, quia etiam boni operis immoderata solicitudo contemplationi non parum nocet, Phennam quippe Annam vehementer angit, quia mens dum actiuæ vitæ immoderatè impenditur, valde difficile est, vt cum ad disponenda terrena se occupat, in visione cælestium potenter surgat; cui etiam velut sterili Phennna exprobrat: quia dum ex actiua vita bonorum operum fructus citò proficimus, ad internæ contemplationis gaudia facilè pertingere non valemus. Sterilis ista cernitur, dum rudes de eius fœcunditate desperamus. Dum ergo pro fœcunditate Phennam diligimus, Anna affligitur, angitur, & sterilitatis opprobrio vocatur; quia dum bonarum actionum solicitudinem, non ea, qua debemus, discretione restringimus, puritatem contemplationis tanto nobis difficiliorem reddimus, quanto nobiliorem vitam excellenti studio nequa-*

Fidelis duas habet vitas.

D. Gregorius in 1. Reg. 1.

nequa-

nequaquam retinemus. Porrò Anna flebat, & non capiebat cibum. in fletu quidem ardens, desiderium Diuinæ *contemplationis ostenditur: Cibum autem fastidiebat, sicut qui dicebat, Renuit consolari anima mea, quia cibum solatij capere de oblectamento rerum conditarum dedignatur; sed quia epulas deliciarum suarum in Deo inuenit, ait, Memor fui Dei, & delectatus sum.* Hæc D. Gregorius. Psal. 76.4.

Hinc sequitur, quòd, licet vita actiua sit necessaria, tamen, vt pedissequa, debet inseruire contemplatiuæ: vnde in Cantic. 7. dicta contemplatiua assimilatur mandragoræ, cum dicitur: *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris*: & merito, primo propter odoris suauitatem: Mandragora enim sic est dicta, idest, quòd mala, idest, poma, habeat miræ redolentiæ; vnde Plato dicit: *Quasi autem poma mandragoræ sunt studia contemplatiuæ vitæ, quæ multum redolent* Deo. Hæc ille. Et ideò in Genes. 30. Rachel, quæ contemplatiuam vitam signat, mandragoras à Lia accepit, & sibi filiorum partum concessit, quia, scilicet, vita actiua, quæ per Liam signatur, viro suo, idest, Deo in laboribus, & doloribus præsentis vitæ fructificet, qui per partum filiorum significatur, pro quibus Rachel mandragoras obtinet, quia scilicet contemplatiua vita suauia Deo, & grata valde studia possidet. Et ideò dicit Prosperus lib. 1. de vita contemplatiua: *Actiua vita habet solicitum cursum, contemplatiua gaudium sempiternum: in hac acquiritur regnum, in ista perficitur; hæc facit pulsare bonorum operum, velut quibusdam manibus, ianuam, ista vocat consummandos in patria: in hac contemnitur mundus, in illa videbitur Deus*; hæc ille. Secundo assimilatur mandragoræ propter assimilitatem saporis, quia huius herbæ cortex vino immixtus, & potatus, hominem insensibilem facit, vnde illis, quorum aliqua pars corporis incidenda est, datur, nè dolorem sentiant. Nam, sicut dicit Dioscorides, ista potata, vt dictum est, ità dormire facit, quòd omnes dolores compescit, ita, vt, nec ferri, nec ignis sentire dolorem quis possit: sic continuæ contemplationis intuitus cum vino etiam Diuini amoris, atque æternæ consolationis admixtus abstrahit animam quandoq. à sensibilibus; sicut, secundum Augustinum, fuit abstractus Paulus in raptu; & ideò dixit: *Siue in corpore nescio, siue extra corpus, nescio; Deus scit*. Vnde ipsa contemplatio est, quæ sanctos Martyres, dum secarentur, & vrerentur, insensibiles fecit sic, vt nihil de illis pœnis curarēt, tamquam

Vita actiua debet, vt pedissequa inseruire vitæ contemplatiuæ.

Cant. 7. 13.

Plato.

Genes 30.15

Rachel vitam contemplatiuam signat.

Prosper. lib. 1 de vita contemplatiua.

Mandragora effectus.

Dioscorides.

Augustinus.

2. Cor. 12. 2.

quam

Contemplatio Martyres insensibiles fecit. quam si eas nullatenus sentirent. Tertio, contemplatiua vita asimilatur mandragoræ propter fœcunditatẽ prolis; quia, secundum Constantium, & Plinium, mandragora dicitur præbere seminis virtutem ad concipiendum; & hoc si ex nimio calore matrix sit impedita; quia cum herba frigida sit, & sicca, matricem ad conuenientiam reducit, & sic ad conceptum disponit; propter quod mulieres frigidas non iuuaret, sed potius impediret: sic contemplatio cælestis regni dum ad bene operandum solicitat, ipsam animam fructibus meritorum fœcundat: si tamen non sit à contemplatione propter nimiam solicitudinem rerum sensibilium, & vitæ actiuæ impedita, & frigefacta: vnde Luc. 10. Christus dixit Marthæ: *Martha, Martha solicita es, & turbaris circa plurima.*

Constantius.

Plinius.

Contemplatio cælestis regni ad bene operandum incitat.

Luc. 10. 41.

D. August. lib. 4. in Genes. ad litteram.

Et D. August. lib. 4. in Genes. ad litteram, ait: *Deus sanctificauit diem septimum, eum, videlicet, in quo requieuit, non eos, in quibus condidit mundum, sic dicens;* Deus *nec cum creauit defessus est, nec cum cessauit refectus est, sed nos voluit per scripturam suam ad quietis exhortare desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quieuit ab omnibus operibus suis, nam nusquam omnium sex dierum, quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, sed diem istum, in quo requieuit ab omnibus operibus, quæ fecit, sanctificauit, tãquam, si apud ipsum, qui nihil in opere suo laborabat, plus quies, quam operatio, valeat: hoc quidem in hominibus Euangelium istis intimè præferens Mariam sedentem ad pedes Domini Marthæ, quæ satagebat circa frequens ministerium.* Hæc ille.

Qua de re nostris temporibus contrariè penitus agitur; nam prætermissa cælestium rerum contemplatione, ad alia non incumbunt, quàm ad terrena, ac fluxibilia: tamq. habendi cupiditas, reiq. creuit, vt iam (quidam Doctor ait) huiusmodi sola causa dicere possumus mundi finem fere attingere, & iure merito, nam à microcosmo repræsentatur orbis: Orbis, tota est ista mundana moles; microcosmos autem homo est; vnde Græci ipsum microcosmos vocant, idest, paruus mundus: & hoc, quia restrictus in se omnes continet creaturas. At quando Christus ait: *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ*, de homine, ac muliere intelligere voluit ad vnguem, qui quo ad esse eorum insensibiles continet creaturas, quo ad incrementum vegetabiles, quo ad sensum sensibiles, & quo ad intelligere rationales. Insuper accedit his,

Homo microcosmos idest, paruus mundus.

quòd

quòd per omnes illos gradus, per quos ambulat orbis, etiam transit per illos microcosmus. Iste, qui homo est, in pueritia helluosus fuit; & orbis in sua origine tàm edosus extitit, quòd Adam vnico pro pomo ipsimet, ceterisq. exitium peperit. Homo est in adolescentia luxuria affectus: at orbis, postquam valde multiplicauit, ita luxuriæ morbo laborauit, vt de ipso diceretur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: Gen. 6. 12.
& propterea Deus aquarum inundationem in ipsum immisit. Microcosmus in virilitate nimium sibi placet: at orbis post abluuium tanta fuit elatione vsus, quòd Nembrothus vnà Gen. 11. 4.
cum suis bellum inire volebat in ipsum Deum; & tandem homo ex sui natura ordinariè est in senectute auarus: at orbis, cum auaritiæ cumulatum culmen attingat, dicere possumus, quòd in illa sic inueteratus existat, vt ad mundi finem peruenerimus: & iure quidem; nam quo vultis egredimini, & quoslibet alloquimini, ab ipsis de nihilo, præterquam de re, ac facultate, agitur.

Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit, sic legitur Leuit. 11. In Leuit. 11. 27.
quo loco, quo ad litteram est sermo de illis animalibus manus humanis manibus similes habentibus, sicut est simia, & vrsus, quorum pedes anteriores sunt quasi manus: immundum erit, idest, illicitum ad comedendum. Vrsus enim excoriatus, & simia habent magnam similitudinem cum homine, & puero excoriatis: & ideò fuit vna ratio prohibitionis, ne per talem esum inclinarentur Hebræi ad esum carnis humanæ, sicut, & aliqui Barbari: quod tamen est horrendum. *Auarus semper manibus terram tenet.*
Mysticè tamen significat auari monstruositatem, qui totaliter cælestes opes derelinquens semper manibus terram tenet, & quasi pedibus per terram graditur; ideò ad instar monstri iudicandus est: vnde D. August. in Psal. 62. explicans illa verba: *Introibunt in inferiora terræ, &c.* sic ait: *Inferiora terræ* D. August. in Psal. 62. 10.
sunt terrenæ cupiditates: omnis, qui contra salutem suam capit terrena, sub terra est, quia terram sibi præposuit, terram super se posuit, & se subterfecit. Hæc ille. Vnde merito auaritia terræ sterili, & infructuosæ assimilatur: primo, propter Ecclypsim, quia dum terra se interponit inter nos, & Lunam, causat vmbram, & obscuritatem: sic auaritia impedit animæ lumen gratiæ; vnde Regius Vates Psal. 73. *Repleti sunt qui* Psal. 73. 20.
obscurati sunt terræ domibus iniquitatum. Et D. Gregorius: *Tenebræ animæ est cupiditas*. Secundo, propter frigiditatem; D. Gregorius.
nam

nam terra est sicca, & frigida; sic cupiditas,& auaritia calorem caritatis extinguit: vnde Ioan. 2. *Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo*. Tertio, terra sterilis est serpentium habitaculum, & colubrorum nutritiua: Ita auaritia maximè est serpentibus infernalibus accepta, quia maximè per eam animas illaqueant. Vnde D. Paulus 1. Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*. Quarto, quia, sicut terra sterilis numquam satiatur aqua: sic auarus numquam impletur pecunia. Vnde D. Augustinus serm. 48. ad fratres in Heremo, sic ait: *O homo auaritia plenus, an ignoras, quia tria sunt insatiabilia, & quartum numquam dicit sufficit? Nisi animus hominis, qui numquam dicit, satis est? O homo, an ignoras, quòd omnium malorum radix auaritia est, & seruitus idolatriæ, mater vsuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, pœnæ via, nutrix gehennæ? O auaritia abyssus insatiabilis semper famescis, semper doles, semper tristaris in cunctis. O pestis interminabilis, ò famelica rabies; nam omnia suis terminis clauduntur: sola auaritia nullo clauditur fine, omnia in homine senescunt vitia, sola auaritia iuuenescit. O rabies omni fine carens: terra suis finibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aer suo fine concluditur, cælum suis terminis arctatur, sola auaritia terminum nescit. O auare, qui, si cæli, & terræ Dominus fueris, numquam quiesceris, donec te Deo adæquaueris, vel fueris superior Altissimo. O pestis dæmone sæuior; nam dæmon similis Altissimo esse voluit: sed auarus super Deum, si posset, se extendere vellet*. Hæc ille. Quinto, & vltimo, ad nostrum faciens institutum, terra sterilis est infructuosa; sic semina Diuinorum verborum crescere, & fructus producere nequeunt vbi est auaritia, vel ad minus solicita, & frequens cura terrenorum, ita, vt homo se totaliter à Dei contemplatione alienet, & procul distet. Amen.

Ioan. 2. 15.

Auaritia maximè grata est dæmonibus.

1. Timot. 6. 9

Auarus numquam impletur pecunia.

D. August. ser. 48. ad fratres in heremo.

Auaritia fructus diuinæ gratiæ impedit.

NO-

NONA LECTIO.

De Fide.

IN QVA DVO EXPLANANTVR.
In primo, quid sit Fides informis. In secundo, quid sit Fides formata.

Ac timens Deum, & recedens à malo. Iob 1. 1.

PRIMA PARS.

IN duabus, iam præteritis Lectionibus Iobis bonitatem, & quo ad sui ipsius simplicitatem, & quo ad eiusdem erga alios rectitudinem copiosè patefecimus. Nunc duæ aliæ eius erga Deum bonitatis condiciones enucleandæ supersunt, quæ quidem sunt, & prima in adorando eum timor, qui ad informem Fidem pertinet: secunda autem à maculis, vitijsq. alienatio, quæ ad formatam Fidem conuenit, & ad Caritatem bonis operibus plenam. De omnibus duabus his hac in hodierna Lectione sermonem faciemus, idest, de informi Fide in prima parte ad rem primæ particulæ huius propositæ clausulæ, in qua de Iob dicitur, quòd erat timens Deum. In secunda autem parte de formata Fide ad rem secundæ particulæ etiam dictæ clausulæ, in qua de eodem dicitur: *Et erat* (nam sic intelligitur) *recedens à malo*. Prima pro primæ partis, secunda verò pro secundæ partis materiebus nobis inseruient. Attendite. *Lectionis diuisio in duo capita.*

AC *timens Deum, &c.* Hoc in loco timorem, quo ad latriæ adorationem, pium, ac verum cultum significare, ambiguum minimè est, in hoc ideò præsupponens, omnes vos, vel ex vobis maior omnium pars inter adorationem duliam, *Adorationis differentia.*

vel hiperduliam, & latriam differentiam ſcire duliam, vel hiperduliam ſanctos conſonam, latriam verò ad Deum pertinentem: nam latria ad omnium doctiorum Græcorum, ac Fauorini in Theologicum lexicon mentem, nil, præterquam, actus intrinſecus, intenſus, ac vehemens eſt, qui ad timoris donum pertinet. Vnde D. Thomas in 2. 2. q. 19. art. 9. & q. 18. ar. 2. honorem, ac cultum, qui Deo debentur, doctè timoris dono connectit: immò hoc myſterium à Græcis non modo, verum abipſiſmet Latinis, & apertum, & cognitum fuit. Propterea Ouidius in 5. Metamorph. dixit:

Fauorinus in lexicon. *Latria pertinet ad donum timoris.* *D. Thom. 2. 2. q 19. ar. 9. & q. 18. ar. 2.* *Ouid. 5. Metam.*

Emathion equi cultor, timiduſque Deorum.

Hinc ſcaturit, quòd in ſacra Scriptura pro cultu Dei, & Dei adoratione timor perſæpe capitur. At vbi in S. Matth. 4. Chriſtus dæmoni dixit: *Dominũ Deum tuum adorabis*: tamen in Deuteron. 6. ex quo hoc habemus præceptum, dicitur: *Dominũ Deum tuum timebis*: & iure optimo, quia latriæ cultus duo refert: cum primo maxima, cui nos cultum præſtamus, obſeruantia denotatur; cum ſecundo autem apertiſsimũ cultum exterioribus cũ cærimonijs habetur: qui ambo actus in ſacris Scripturis ſub timoris nomine ſignificantur, & appellantur. Primus eſt in Pſal. 2. vbi dicitur: *Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore*; videlicet; Deum recta illa, qua debetis cum reuerentia, adorate: ità, quòd coram ipſo bonorum ſeruorum ad inſtar, & gloriari, & congratulari valeatis. Secundus verò in Pſal. 137. vbi etiam dicitur: *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo:* ita, vt hoc in loco *timens* Deum, *adorans Deum*, inferre videtur: quod quidem vetuſtæ Legi, Legiq. naturali, in qua ſanctus Iob viuebat, quàm nouæ Legi, magis concernebat: quoniam in eo quod iſta Lex appellatur amoris, illa Lex nuncupatur timoris: propterea D. Paulus Roman. 8. ait: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore: ſed accepimus ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba* Pater. Et ideò dum Lex dabatur, Moyſeſque docebatur, tanto terrore, ac timore id fiebat, quòd Populus in Exod. 20. perclamabat: *Non loquatur nobis Dominus, nè forte moriamur*. Sic eſt igitur (vt ad locum, vnde fui egreſſus, redeam) in hoc timens Deum, illum, qui Deo, tamquam ſupremo, abſolutoq. omnium Domino, debetur, actum intrinſecum vult dicere: quod à Græca voce, noſtraq. iam effecta, latriæ dicitur actus; & ad ſimplicem credulitatem, informemq. Fidem pertinet: dæmones

Matth. 4. 10. Deuter. 6. 13. *Latria duo dicit.* Pſal. 2. 11. Pſal. 137. 2. *Lex vetus timoris, noua amoris.* Rom. 8. 15. Exod. 20. 19.

mones enim, & credunt etiam, & contremiſcunt. Quæ quidem Fides (ò Patres Theologi) nouem prærogatiuis decoratur, quam prima eſt huius Fidei eſſentia, atque ſubſtantia: ſecunda ſubiectum, ſeu fundamentum ipſius; tertia obiectum, quod perſpicit; quarta actiones, fructuſque, quos producit; quinta neceſſitas; ſexta veritas; ſeptima nobilitas; octaua vnitas, & (vt finiam) nona eiuſdemmet quantitas illius. Prima autem quo ad eſſentiam eius, & quidditatem, quid nam eſt Fides? *Fides eſt ſubſtantia* (dicit D. Paulus Hebr. 11.) *rerum ſperandarum argumentũ non apparentium*: vbi duo notantur, vnum, ſcilicet, quod eſt ſubſtantia, & aliud, ſcilicet, quod eſt argumentum: ſubſtantia namq. non propriè dicta, dicit D. Bonau. in 3. diſt. 23. in litterali expoſitione, ſed tranſumptiuè (vt præcipuis terminis vtar) ipſa enim omniũ aliarum Theologicarum virtutum baſis eſt, & fundamentum. Argumentum verò eſt, nõ quia rationibus demonſtratiuis, ac Scholaſticis res docet; ſed eſt argumentum, ideſt, arguens mentem; nã intellectum ità illuminat, ac patefacit, vt occulta videat, & credat. Et hæc quo ad eſſentiã definitionis Fidei.

Fidei nouẽ prærogatiuæ à Patribus traditæ.

Fides quid eſt.

Hebr. 11. 1.

D. Bonauent. 3. diſt. 23 in expoſitione litterali.

Quo autem ad ſubiectum, & fundamen eiuſdem, ipſum principaliter eſt noſter intellectus: & iure, quia noſtra anima à tribus Theologicis virtutibus, Fide, ſcilicet, Spe, & Caritate, informatur, & ducitur; & ideò veluti Spes, & Caritas voluntatem ducunt, ità Fides comitatur intellectum: & veluti in cælis Spei, Caritatiq ſecuritas correſpondent, & fruitio: ità Fidei Diuinæ eſſentiæ viſio refertur.

Fidei ſubiectum eſt noſter intellectus.

Anima tribus virtutibus Theologicis trahitur.

Quoad obiectum. ipſum eſt duplex: formale, videlicet, & materiale. Formale eſt prima veritas reuelata, quæ ipſemet Deus exiſtit, à quo dependent, & procedunt omnes reliquæ veritates. Materiale duodecim ſunt Fidei articuli Apoſtolico in Symbolo contenti, & clarius, ac limpidius in D. Athanaſij Symbolo cum ceteris omnibus, quæ reducuntur, ac in ipſis & habitualiter, & virtualiter continentur.

Fidei obiectum quid eſt.

D *Athanaſius in Symbolo.*

Quo ad operationes, & effectus ſuos etiam ipſi duplices ſunt, dicit Albertus Magnus in Compendio Theologicæ veritatis; primi quorum vocantur, & exiſtunt eſſentiales, & accidentales ſecundi ſunt. Eſſentiales profectò ſunt illi, qui animam noſtram, ità, & illuminant, & fulciunt, quod per ipſos initiatiue Dei filij euadimus. Accidentales ſunt illi, qui liberum arbitrium dirigunt, & ducunt, ac voluntatem illigant, ac diuinis reuelationibus, ipſum cõſentiendo abſque diſcurſu

Albertus Magnus in Compendio Theologicæ veritatis.

Fidei effectus. vincunt, & ſine naturalium rerum inquiſitione ad confitendũ inducunt, ſcilicet, quòd, ſicut Deus debet à nobis vehementer amari; ita etiã ei ſummopere à nobis Fidem præſtari debet.

Fidei neceſſitas. Quo ad neceſſitatem, Fides (dicit Damaſcenus) ea eſt, vt *D. Damaſcenus.* ſine ipſamet totũ vniuerſum, omniaq. tàm diuina, quàm humana confunderẽtur, cum ſit, quod eorum magis alludat nobis Fides, quam ſcientia: ac inter alias theologica Fides ne-
Heb. 11. 6. ceſſaria eſt, de qua nunc loquimur; nam *ſine Fide impoſsibile*
Alexand. Alenſis, 3. par. q. 78. *eſt placere Deo*: & iure quidem (dicit Alex. Alenſis. 3. p. q. 78.) quia cum Creatoris cognitio creaturæ neceſſaria ſit; & quia ipſe Creator ſumma eſt Maieſtas, Veritas ſumma, ſummaq.
Cognitio Creatoris neceſſaria creaturæ. Bonitas; vt ſumma Bonitas, ei debetur amor; vt Maieſtas ſũma, debetur obedientia, atque ſumma veritas, & aſſenſus, & credulitas (in qua Fides conſiſtit) eidem profectò debentur.

Fidei veritas. Hoc ſexto in loco conſideranda eſt eius veritas, quia cum à Deo hæc reuelatio procedat, qui fallere non poteſt, neceſ-
Fidei tria notanda. ſario oportet, quod ſit vera; ſed, vt de ea certi ſimus, tria, (præter naturale lumen) animaduertere debemus; quorũ primum ſcire nobis eſt opus, ſcilicet, qui nam illi exſtiterunt; à quibus hæc reuelatio procedit. Secundario, quid in ea docuerũt. Tertio quibus primo patefacta eſt. Qui ipſam reuelarunt, & docuerunt, Apoſtoli fuere, idiotæ quidem, ſimpliceſq. homines, & conſequenter ad tam alta, ac ſeria docenda, per ſemetipſos non idonei, niſi prius eos Deus inſtruiſſet. Vnde
1. Cor. 1. 27. D. Paulus 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quaq. confundat.* Illi, quibus reuelata fuere, eorum nonnulli doctiſſimi, ac ſapientiſsimi Philoſophi cuiuſlibet ſectæ extiterunt, quemadmodum Dionyſius Areopagita, Lucas, Marcus, & alij, & tandem ob eamet reuelata, omnia ſenſui, & carni aduerſantia, & tamen tanto ardore, amoreq. recepta.

Fidei nobilitas. Septimo loco, eius nobilitas patet, nam hæc ſcientia homines diuina, æternaq. doceat: At, ſi melius eſt (vt inquit
Ariſtoteles. Philoſophus) vnicum tantum ſcire Dei myſterium, quam ſingulas mundi ſcientias, tanto magis hæc ſcientia, quæ omnia ſimul, Dei myſteria tam ad intra, quam ad extra inſtruit (ſicut noſtra Chriſtiana Fides docet) omnes excedit.

Fidei vnitas. Octauo loco, miram habet vnitatem, & hoc patet quia in omnibus credentibus vnica tantum eſt Fides. Vnde ad
Epheſ. 4. 5. hanc rem D. Paulus Epheſ. 4. aiebat: *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*: & iure, quia, cum vnicum eſt obiectum (ait D. Th. lib. de ſenſu, & ſenſato) vna etiam debet eſſe

poten-

potentia; & quia Fidei obiectũ vnicus est Deus, sola, simplicissimaq. substantia, vna etiam scientia, quæ ipsum respiciat, debet esse. Sed vbi ista Fides existit, quæ tales circumstantias habeat, nisi illa, quam sancta Romana Catholica, & Apostolica tenet Ecclesia?

Fidei quantitas duplex.

Quo ad quantitatem, quæ vltimo loco describitur, duplex ipsa consideratur; vna intrinseca, scilicet, & implicita: alia autem extrinseca, & explicita. Explicita in creditarum rerum numero consistit, quoniam plura credit, idest, plura in numero Theologus cognoscit, quàm simplex, quæ quidem quamuis ipse ea simpliciter credat, non tamen ea cognoscit. Implicita verò in rerum claritate consistit credendarum: lucidius enim Theologus Fidei res videt, & cognoscit, quam rudis idiota; & in hoc sensu illud Lucæ dictum 17. percipitur, scilicet, *Adauge nobis Fidem*; & omnia alia dicta, vbi ipse, & alij de Fidei augmento locuti fuere. Luc. 17. 5.

Fidei munus maius extitit in Euangelio, quã in lege Naturæ, & Scripta.

Verum est, quòd, & si Fidem hanc, hocq. munus suis fidelibus, suisq. familiaribus tam in naturæ Lege, quam in Lege scripta Deus semper dedit; tamen non ita perspicue, sicut in noua Lege, patrauit. Hinc est, quòd sponsus laudans in Cant. 7. sponsam ibidem dicit: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*. Hic quæritur, cur sponsus Libani turri sponsæ nasum comparat: quam autem symmetriam cum naso turris habet? & inde quam tanta magnitudine pulchritudinem, aut speciem reddere potest? His respondetur, quòd, cum nasus odoratus organum persistat, cum quo res, quæ etiam non cernuntur, percipiuntur, & cognoscuntur, perbelle Fidem nostram nimis repræsentat, per quam vidimus, & tangimus occulta, & ab omni humana cognitione aliena: ipsam verò sponsus sponsam montis Libani turri comparat; quia, cum ipsa turris, & per seipsam, & ob situm altissima sit, plurima, & alienissima, remotissimaque cernit, vt sponsus vobis annuat sponsam sanctam Ecclesiam debere Fidei munere non ignorare, ac videre maiora, quàm vidit, fidelium congregatio, & in naturæ tempore & in tempore scriptæ Legis. Hinc oritur, quod Hieremias propheta cap. 1. de hac materia loquens, aiebat: *A, a, a, Domine nescio loqui*. Ter dixit a, a, a, quæ infantis est pronunciatio, qui non dum bene verba explicare valet, vbi è conuerso Apostoli tam eloquentes euasere, quòd varijs linguis loquebantur; & hoc non aliam ob causam, inquam, nisi quod vbi Hie- Cant. 7. 4.

Spõsæ nasus quare turri Libani comparatur.

Hierem. 16.

remias Fidei obscuritatem antiquæ Legis annuebat, è conuerso clarissimum nouæ Legis lumen Apostoli insinuabant. Ex quibus sequitur, quòd Apostolorum perfectio lateri assimilatur: vnde Glossa super illud Psal. 90. *Cadent à latere tuo mille*, dicit, Christum illis in iudicio collaterales fieri promisisse. Quæ similitudo eis triplici ratione conuenit. Primo, ratione compositionis; nam partes laterum, quæ dicuntur costæ, quia interiora custodiunt, componuntur ex ossibus: sunt enim (vt ait Constantius) in costis 14. ossa, septena, & septena ex vtroque latere collocata, septem costæ, quæ sunt in latere sinistro, sunt septem virtutes, tres Theologicæ, & quatuor Cardinales; quibus in præsenti vita Apostoli instituti, & muniti fuere. Vel forte Spiritus sancti septem donorum perfectionem repræsentant. Septem verò costæ in latere dextro signant septem dotes, scilicet, tres animæ, quæ sunt visio, quæ Fidei; inhæsio, quæ Spei, & fruitio, quæ Caritati succedit, Et quatuor erunt corporis glorificati, scilicet claritas, quæ prudentiæ, subtilitas, quæ iustitiæ, agilitas, quæ temperantiæ, impassibilitas, quæ fortitudine respondet. Secundo, ratione passionis; quia, licet latus multipliciter patiantur ex ventusitate: tamen ex ciborum multitudide generata miro modo comprimitur; ita, vt sæpe homo moriatur. Sic Apostoli quamuis multa passi sint aduersa, in eis ventus superbiæ, vel vanægloriæ locum non habuit. Tertio, & vltimo, ratione discretionis: distinguuntur enim in corpore, duplex latus, sinistrum, scilicet, & dextrum. Ex qua distnictione intelligitur duplex perfectio eorum. Vna quantum ad statum gloriæ; & ista significatur per latus dextrum, quod est perfectius sinistro. Vnde dextera Dei vocatur, vbi sunt potiora bona, videlicet, gloriæ: & ideò Christus ibi sedere dicitur. Alia perfectio est quantum ad præsentem vitam; & hoc pertinet ad latus sinistrum: sinistrum enim latus est, quod clypeo munitur, quod gladio, vel ense accingitur, & quod ponderibus portandis subijcitur: vnde, & leua vocatur à leuando, eò quòd sit aptior ad aliquid leuandum, & portandum. Et hæc omnia bene Apostolis competunt, quia ipsi scutum Fidei fortiter tenuerunt. Ense, vel gladio verbi Dei fortiter pugnauerunt, ac tribulationum, laborum, persecutionumque onera longanimiter portauerunt; & sic Fidei mysteria portando (& quod ad nostrum facit institutum) omnibus declarauerunt, & clarè prædicarunt:

Apostolorũ perfectio assimilatur lateri.

Psal. 90.7.

Constantius.

Costæ habent 14 ossa.

Animæ tres dotes.

Corporis quatuor dotes.

Sinistrum latus leua dicitur à leuando.

runt: vnde optimo iure de ipsis dicitur: *In omnem terram exiuit sonus eorum*, non solum quantum ad prædicationem, sed etiam quantum ad declarationem mysteriorum. Psal. 44.5.

Hoc autem mysterium (vt in Apocalyp. 10. narratur) notabile est, videlicet, quòd tonitrua loquebantur. Nos scimus tonitrua non loqui; bene quidem resonant, sed articulatam vocem, ac aliquid significantem formare non valent: tamen Diuus Ioannes ait, quòd loquuta sunt tonitrua. Quod Rupertus Abbas exponens ait: *Notate, quod post Angeli rugitum loquuta sunt tonitrua, vt annuerent, quòd ante Christi aduentum Prophetæ bene resonabant, sed ità obscurè, vt eos non intelligentes homines, ab iisdem ipsos articulatim, non loqui dici potuisset: sed, quòd ad instar infantium clamabant, vt de Hieremia dicitur, quod desuper attingimus, scilicet, A, a, a, Domine, nescio loqui. Vbi omne è conuerso post Christi aduentum accidit: quoniam tonitrua non modo resonarunt, sed speciali priuilegio, portentoque articulatim loquuti sunt, & ita, vt ab omnibus nostræ Fidei mysteria, & cognita, & intellecta fuere. Et ideò, vbi Moyses, tamquam antiquæ Legis Legislator, & caput, blesus, ac lingua hæsitans erat: è conuerso in nostra Lege capita, quæ Apostoli exstitere, non modo linguas disertas, & solutas habuere, sed super ipsos descendendo Spiritus sanctus in igneis linguis venit: & hoc non ad alium finem, nisi, vt sciremus, quòd, sicut ignis suo virore omnes abstrahit à rebus imperfectiones, vt in ære, & splendere, & nitere vehementer cernitur: ità Apostolica prædicatio tantam habere efficaciam debebat, vt vbique micando, obscuritatemque, & antiquæ Legis velamen expellendo omnibus quoque Dei mysteria apertè communicarent.*

Apoc. 10.

Rupertus Abbas.

* * *

SECVNDA PARS.

ET *recedens à malo.* Sanctus igitur Iob non tantum erat timens Deum, sed recedens etiam à malo, vt dici posset: non tantum fidem informem habebat, sed etiam formatam fidem possidebat, idest, non tantum rectè credebat, sed recta etiam opera efficiebat. De informi fide iam in prima huius lectionis parte sufficienter locuti sumus: nunc in hac secunda de formata Fide verba facere superest. Sed antequam ad aliud transeam. Primo hac in materia aliqua necessaria puncta lynceis oculis animaduertite. Quorum primum est, quòd nos cũ corporalibus potentijs Deum, (qui totus spiritus est) nec tangere, nec intelligere valeamus, per spirituales potentias, idest, per intellectum, & voluntatem, eumdem, & tangere, & intelligere est opus: & ita duæ tantum Theologicæ virtutes inuenirentur, nisi esset, quòd duas, voluntas, portiones habet, vna commodi, scilicet: iusti altera: à quibus duo exeuntes actus, illis intellectus iunctis, tres inter se simul, & fiunt, & existunt actus, per quos anima (vt ita dicam) Deum tangit, & percipit; & consequenter tres etiam exquirit habitus, qui eos possint concomitari, & instruere debeant: & propterea, cum actus intellectus credere sit: voluntatis autem, quod ad iusti actum, amare, & quo ad commodum optare existat, tres habitus etiam sibi necessarij sunt, scilicet, Fides, Spes, Caritas: Fides pro intellectus actu, pro voluntatis actu, quo ad commodum, Spes; &, quo ad iustum, Caritas. Secundum punctum est, scilicet, quòd tribus modis à nobis Deus perpenditur, vel, vt expositor, vel vt imperator, vel vt sponsor: itaque rectè credo, cum illud omne, quod Deus exponit, credo: bene diligo, cum omne, quod præcipit Deus, operor: & non incongruè spero, cum quodcumque Deus pollicetur, spero. Tertium punctum est, quod & si inter voluntatem, & intellectum aliqua currit differentia, atque distinctio: tamen idemmet realiter sunt, & vnicam tantum animam componunt, & inferunt: quæ quidem cum singularis existat, etiam oportet, vt singulariter, ac coniunctim actus intellectus, ac voluntatis sibi alligatos teneat, ita vt nec vnus ab altero, nec alter ab vno deformetur,

Deus potentijs corporalibus nõ potest intelligi.

Anima tribus actibus Deum attingit.

Deus tribus modis à nobis perpenditur.

Anima rationalis licet differat in potentijs, est tamen vna.

tur,

tur, aut differat. Et ideò si intellectus quidquid ei Deus exponit, tenet: Voluntas etiam, quidquid Deus ei præcipit perfectè operari debet: ac si intellectus quidquid ei à Deo exponitur perfectè credit, & voluntas quidquid à Deo ipso ei præcipitur, non operatur, inter se & deformantur, & differunt, ac consequenter seiunguntur: & sic seiuncti Deum perfectè attingere nequeunt; & hinc est, quòd intellectus parum interest credere (vt iam supra dixi) quantum ei Deus exposuit: si voluntas à seipsa deformatur, & differt, nec quidquid ei præcepit Deus, inde operatur; & vbi dicere intellectui, ac informi Fidei; facere voluntati, ac formatæ Fidei conueniunt: & quia horum vtrumque Iusto sunt opus: propterea sanctus Iob non tantum erat timens Deum quo ad informem Fidem, & quo ad intellectum, sed

Recedens à malo quo ad formatam Fidem, & quo ad voluntatem. Quam quidem credendi, aut operandi vnitatem, D. Paulus Hebr. cap. 10. plenitudinem appellauit, dicens: *Accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei.* Hinc D. Thomas docte inquit: Duobus modis, Fides plena vocari potest, vno modo, scilicet, quo ad materiam; quo ad formam, altero: Quo ad materiam Fides tunc plena dicitur, cum quidquid credendum proponitur, creditur. Quo autem ad formam, est, cum Fides caritate, ac operibus formatur: vnde idem D. Paulus cap. 13. aiebat: *Plenitudo ergo Legis est dilectio*. ac de sua vocatione dicebat 1. Cor. 15. *Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius omnibus laboraui*; ita, quod suam vocationem Fidem plenam aduocat, rationemq. affert, idest, quia abundantius laborauerat, idest, eam bonis operibus, tandem repleuerat, ac cumulauerat: & cum sic Iob perpetrauerit, postquam de ipso fuit dictum erat timens Deum, adiungitur.

Hebr. 10. 22. *Fides duobus modis potest plena nuncupari.* Rom. 13. 10. 1. Cor. 15. 10

Et recedens à malo. Sed qua re Spiritus sanctus hoc in loco parte potius negatiua, quam affirmatiua, loquitur? Qua re citius non dicitur, erat operans bonum, sed potius, ait: *Recedens à malo*? Vt sciamus, eidem bona opera grata non esse, nisi prius malum, ac peccatum relinquatur. Quamobrem nostra opera in peccato confecta, licet in seipsis bona existant, tamen mortua opera iure vocantur: nam vbi gratia, ibi est vita, & vbi peccatum, ibi mors animæ est: & consequenter opera cũ peccato perpetrata Deo displicent. Quam quidem doctrinam hanc Christus Dominus noster docuit per

Fides sine operibus mortua est.

illam

Matt. 25.1. illam ſapientium, fatuarumq. Virginum parabolam admirandam, ſcilicet, quod vbi prudentes operationum oleum apud ſe habentes ſponſi domus ianuæ ingreſſu dignæ extitere: fatuæ tamen, quia hoc ipſas oleum defecit, excluſæ, ac foris detentæ fuere; nec iſte Chriſti nouus hoc in loco dicendi modus extitit, ſcilicet, fatuos, ac inſanientes vocare illos, qui credunt, & non operantur; nam ſub eodemmet titulo Spiritus ſanctus in Eccleſ. c. 4. quamdiu vocat illos, dicens:
Eccleſ. 4.5. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Vbi notandum eſt, quod manus in ſacris Litteris multipliciter accipitur: aliquando accipitur pro officio, vt in Prouerb. 18. *Mors, & vita in manu linguæ*: aliquando pro poteſtate, vt in Ioſue 9. *Nunc autem in manu tua ſumus*. Aliquando pro flagello, & percuſſione, vt in Iſa. 1. *Conuertam manum meam ad te*. Et in Pſal. 20. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat eos, qui te oderunt.* Et in Iob 19. *Manus Domini tetigit me*. Aliquando pro ſpiritu prophetico, vt in Ezech 8. *Et cecidit ibi ſuper me manus Domini*, hoc eſt fui diuino lumine illuſtratus, & raptus, & ſplendore interno ſpiritus prophetici repletus. Aliquando pro diuina conſolatione, & auxilio, vt in eodem Ezechiele 3. *Manus enim Domini erat mecum confortans me.* Et in Iſaia 8. *In manu fortis erudiuit me*. Et in Pſal. 138. *Poſuiſti ſuper me manum tuam: & manus tua deducet me*. Denique manus accipitur pro opere, ſic in Aggæo 1. *Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ*, hoc eſt, locutus eſt Dominus Aggæo prophetæ, qui talia fecit opera, vt dignatus fuerit Dominus cum ipſo loqui; & ſic accipitur in hoc loco Eccl. *Et manus complicare*, eſt illas ad opera non extendere, ſed turpi otio, & quieti ſe tradere. Carnes autem ſuas comedere, eſt carnis operibus oblectari, & carnis prudentiam ſequi. Et
Rom. 8.7. quia merito D. Paulus Rom. 8. mortem appellat, eo quod aduerſus Dominum, qui vita eſt, effrænato impetu feratur, nam ſubdit ſtatim: *Sapientia carnis inimica eſt Deo*: vel (vt poteſt etiam è Græco verti) inimica eſt aduerſus Deum, qui virtutibus non ſtudet, manus, ideſt, operat, claudit; Et è contra carnibus ſuis paſcitur: & oblectatur; quod imprudentium, & ſtultorum hominum eſt. Huc etiam ſpectat illud
Prou. 24.31. Prouerb. 24. vbi dicitur: *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerant ſuper faciem eius ſpinæ, & maceria lapidum de-*

ſtructa

Manus in ſacris litteris multipliciter accipitur.

Prou. 18.21. Ioſue 9.25. Iſai. 1.25. Pſal. 20.9. Iob 19.21. Ezech. 8.1. Ezech. 3.14. Iſai. 8.11. Pſal. 138.5. Aggæi 1.1.

Manus complicare eſt illas ad opera non extendere.

ſtructa erat: quem locum expendens D. Hieronymus, ait: *Per agrum, vineamq. pigri, & ſtulti tranſire eſt cuiuslibet vitam negligentis reſpicere, quam vrtica, vel ſpinæ replent, quia in corde negligentium prurientia terrena deſideria, & punctiones pullulant vitiorum, iuxta quod ſcriptum eſt, in deſiderijs eſt omnis otioſus*; Hæc ille. Igitur ſecundum Hieronymum de mente ſapientis, anima otioſi, ideſt, Fidem ſine operibus retinentis, vinea ſtulti dicitur, & nuncupatur. D. Hieron. in cap. 24. Prou.

Hinc fit, quòd retinens Fidem cum operibus plantæ maturos fructus, atque perfectos producenti aſſimilatur. iuxta illud Matth. 7. *Arbor bona bonos fructus facit*; & meritò: Primo, ratione loci, nam arbor, quæ eſt in terra montuoſa (auctore Ariſtotele) quia dulcis eſt, dulcem continet humorem, fructuſque eius citius maturantur, ac ſapidiores, & ſalubriores inueniuntur. Hæc planta in terra montuoſa viri iuſti vita eſt: montuoſa propter operum laborem, & difficultatem: vnde dicitur Matth. 7. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam*. Secundo, ratione cauſæ; nam planta (auctore Philoſopho in lib. de vegetabilibus, & plantis) recipit tres vires; nam à terra fixionem, ab aqua coadunationem, ab igne conſolidationem, & partium terminationem, ab aere fructuum complectionem, & maturationem habet. Similiter iuſti anima habet fixionem, ideſt, firmitatem in Fide, nam, ſicut terra eſt immobilis, & alijs quietem, & ſtabilitatem tribuit, & concedit: ſic Fidei veritas, & in ſe manet immobilis, & animam ſtabilem reddit. Vnde Dionyſius de diuinis nominibus ait: *Fides eſt perfecta credentium ſtabilitas, quæ eos ſtabilit in veritate*. Ab aqua verò coadunationem habet, ideſt, à Spe; quia, ſicut omnis aqua recolligitur, & coadunatur in mari: ita diuina Spes habet colligi, & collocari in Deo: vnde Pſ. 61. *Sperate in Deo omnis congregatio populi*, habet ſoliditatem patientiæ, & perſeuerantiæ ab igne, & aere, ideſt, à Caritate, quæ in Fidei formatæ operibus reperitur. Quæ Caritas, dum reſpicit proximum, dicitur aer: dum reſpicit Deum, dicitur ignis; nam Dei amor eſt calor ignis interior; & amor proximi eſt calor aeris exterior; & tunc arbor, ideſt, anima, producit maturos fructus, ac dulces: iuxta quod diximus: *Arbor bona bonos fructus facit*. Huc ſpectat etiam illud Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat*. Vbi ſenſus integer, hic eſt: *Ego ſum vi-*

Simile. Matt. 7. 17. *Ariſtoteles.* *Fidem cum operibus retinens plantæ maturos fructus producenti aſſimilatur.* Matt. 7. 14. *Ariſtoteles in lib. de vegetabilibus, & plantis.* *Dionyſius de diuinis nominibus.* Pſal. 61. 9. *Amor Dei eſt calor ignis interior.* Ioan. 15. 2.

tis

tis (inquit Christus) *& Pater meus agricola est: vos autem*, *& omnes qui in me credunt, palmites sunt*. Sicut igitur agricola solet in vitæ palmitem, qui fructum faciunt, purgare, & alios, qui fructum non afferunt, rescindere: sic pater meus faciet, alios, qui bene operantur, purgabit, vt fructus maiores producant. Sed alios, qui mihi per Fidem informem exterius solummodo adhærere, & nomen tantummodo meum profitentur, tollet, & à me resecabit, quia, cum sint inutiles, & infrugiferi, tamquam stulti recidentur. E conuerso illi, qui Fidem cum operibus iunctam habent, verè sapientes vocari possunt, sicuti Christus inquit, & ego superius in Virginum parabola vobis indicaui; nam vbi illis, quas oleum defecit operum, fatuarum nomen impositum fuit, quinque fatuæ: aliæ tamen, quæ oleum sibimetipsis bonorum operum procurarunt, sapientium nomine sunt affectæ, quinque prudentes. Ideoq. in sacris Scripturis perbellum oritur arcanum; quæ quidem (vt hoc annuerent mysterium) illorum Patriarcharum tàm æstimatorum, nedum iucundorum, ac familiarium Deo, sed sapientium, ac prudentium, scilicet, Abraham, Isaach, & Iacob nominum notas, seu elementa duplicauere, vt intelligeremus, quòd, cum sit elementum A, alphabeti principium, ac omnium reliquorum elementorum, ex quibus dictiones formantur; & in ipsis Patriarchis simplex non erat, sed duplicata ad significandam Fidem est, quæ ianua est, & initium ceterorum omnium: at quia illi sancti homines duplicata, idest, informi quo ad credulitatem, & formata quo ad operationem, hac Fide vsi sunt: propterea in eorum nomine elementum A, reduplicarunt.

Fideles palmites sunt.

Simile. Et iure quidem optimo, nam miles, quamuis ad bellum proficiscatur, tamen nec præmium, nec coronam meretur, nisi strenuè pugnet, ac superet: *Hæc est victoria, quæ vicit mundum*, *Fides nostra*, sanctus ait Ioannes cap. 5. ac si diceret.

Ioan. 5. 4.

Simile. Animaduertite fratres, quòd non sufficit, vt Fidem habeatis, & credatis simpliciter, quæ Deus nobis reuelauit, sed credendis ita operari oportet nobis, vt de inimicis victoriam denique reportemus.

Simile. Si vir ille, ac illa mulier ad eorum domum atra de nocte redire volentes, & ob id quidam maximum eis lumen prouideret: attamen hic, vel hæc in aliquo loco considerent; nec vltro plus iter sequerentur; nihil eisdem lumen esse, aut inseruire ambiguum non est: *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant,*

Christus Dominus noster in Ioan. cap. 12. ait: tamquam diceret; Fidei munus, quod vobis sum elargitus, mirabile lumen est, & id est, quòd, & videre, & percipere Dei secretiora facit, & inter noctis tenebras huius vitæ sic vos ducit, & respicit, quòd facilè, ac opportunè domum, quæ cælum est, attingere valetis. Interea vos nec pedem figere debetis, nec manum in assidue de bono in melius iter conficiendo in via Dei; sed deniquè tales adimplere operationes, vt hæc Fides ex informi formata, plenaq. fiat, atque euadat. Ioan. 12. 35. *Fides est quædam lumen.*

Fides soli assimilatur, qui omnia atra, ac frigida illuminat, ac calefacit loca, ea ingrediendo: sed ianuas claudentibus nullam vtilitatem affert, & fructum: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ; & sanitas in pennis eius*, c. 4. ait Malachias; tamquam diceret. Respicite: Messias enim veniet, ac veluti micantissimus Sol, & illuminabit, & illustrabit mirabili Fidei dono vestram animam. Et ideò vestra ex parte huius animæ potentiarum fenestras patefacite, alioquin, aut parum; aut nihil proderit; & ideò etiam in Apocalyp.cap. 3. exclamabat: *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit, intrabo ad illum*. Demum (vt finem dictis imponam) credere non sufficit, sed etiam operari oportet. *Fides est Sol.* Malach. 4. 2. Apoc. 3.

Verum est, quòd aliqui inueniuntur, qui aliquo pro paruo temporis momento peccata omittere acquiescunt, ac ea confitendo de eisdem veniam accipiunt: sed paulo post ad vomitionem redeuntes, eadem peccata, immò peiora, resumunt. Elianus lib. 12. c. 15. & cap. 23. & Plinius lib. 9. c. 23. & Cælius antiquar. lect. lib. 26. cap. 13. narrant de vipera, quòd, cum sit callidissima serpentium species, ipsa libidine ardens, ad marisque litus se approximans, murenam sibilo aduocans, antequam carnali inter se modo coniunguntur, addunt ijdem, quòd hæc in quodam præcipuo loco virus relinquit, ac, sua euomita libidine, dictum virus resumendo ad eius specum redit, & latibulum: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid prodest lauatio illius?* Dicit Eccles. cap. 34. Quid oportet, quod in paschate, vel in quouis alio tempore per confessionem peccati virus relinquas, si paulo post iterum idem resumis? Ille, & illa Patritij, manus, & vultum expolire volunt, sed prius ex digito annulum, quem habent amouent, in arculam collocant, ac inde, expolito vultu, eundemmet resumunt: *In circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur*, ait Eccles. cap. 1. *Simile.* *Elianus lib. 12. cap. 15. & 23.* *Plinius lib. 9. cap. 23.* *Celius ant. qu. lect. lib. 26. cap. 13.* Eccl. 34. 30. *Simile.* Eccles. 1. 6.

tamquam

tamquam diceret, tu ex tuo digito annulum remouisti peccati, immò ex animæ ceruice demisti, & optimè hoc effecisti: verum, si paruo temporis spatio inde resumisti, aut nihil, aut parum tibi proderit; nam, vt credamus, denique non sufficit; sed etiam, vt operemur necesse est; quemadmodum sanctus Iob operabatur, qui non tantum erat timens Deum, immò recedens à malo.

Amen.

DE-

DECIMA LECTIO.

De bonis à Deo in Iuſtos collatis in hac vita.

IN QVA DE TRIBVS BONIS, quæ à Deo in Iuſtos, in hac vita conferri ſolent, explanabitur. Et in ſecunda parte ad quid tenentur filij erga parentes, & parentes erga filios.

Natique ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ. Iob 1. 2.

PRIMA PARS.

POSTEAQVAM præcedentibus in verbis hactenus explanatis intrinſeca, ac ſpiritualia ſancti Iob bona Spiritus ſanctus, & numerauit, & enarrauit; nunc proſequens ad exteriora, ac temporalia eiuſdem bona enucleanda pergit, dicens: *Natique ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ*: quæ circa verba plura connotari habent. Primum eſt, cur ſancti Iob extrinſeca, ac corporalia bona enarrare incipiens, à filijs inchoat, & non ab alijs? Secundum eſt, qua re non ſimpliciter ait, quòd filios, & filias habebat, relicto particulari quatuor maſculorum, & trium feminarum numero? Tertium eſt, cur obliquo (ideſt, datiuo) & non recto (ideſt, nominatiuo) vtitur nomine? Qua re non dicit, habebat quatuor filios, ac tres filias, ſed potius ait: *Natiq. ſunt ei quatuor filij, & tres filiæ*? Hæc tria hac in præſenti Lectione explicabimus. Prima duo, ſcilicet, in prima; tertium verò, in ſecunda parte. Attendite.

Bona corporalia in Iob collata à Deo.

Lectionis diuiſio in tria capita.

Natique

NAtique sunt ei septem filij, & tres filiæ. At primum hic ego peto, cur Iobis corporalia bona Spiritus sanctus explicare volens, à filijs exorditur? Hic pernotate, quòd in tribus, & præcipuè, & principaliter Deus hac in vita iustis fauet. Primo, quòd illorum memoria apud posteros numquam decidat, sed in orbe æternè permaneat, operatur. Secundo vsque ad decrepitatem vitæ diu eos gaudere facit. Tertio, & vltimo, varios filios masculos, scilicet, & feminas eisdem largitur, & concedit. Prius nomen eorum hac in vita in Scripturis sacris conseruari vult, quemadmodum de Abraham, Isaach, Iacob, Moyse, Dauid, & decem, & centum legitur. E conuerso improborum nomina etiam conseruari, ac in orbis scripturis prophanis de illis memoriam haberi, etiam cernimus, & non ignoramus: iustis igitur hoc

Differentia inter iustos, & reprobos. tantum dari priuilegium quo modo verum erit? Huic respondeo, quòd, licet vtrorumque memoria seruetur: hac tamen fit differentia, scilicet, quòd dum reprobi de ipsismet memoriam relinquere laborant; iusti, hoc abutentes, in Dei manus se exponunt. Vnde Isaias ad rem hanc aiebat, de Deo

Isa. 49. 1. ipso loquens: *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei*. Ille filius familias, facultatem patris legitima de hære-

Simile. ditate sibi conuenire, suamq. futuram probè noscit: tamen dum pater vita gaudet, de eadem sibi solicitudinem com-

Ioan. 8. 50. mittit, nec studium quidem in ea adhibet: *Ego autem non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet*, ad hoc dicebat institutum Ioan. 18. Christus Dominus noster. Præcipuam de ipsis curam Deum gerere iusti optimè norunt: ei ergo eorum famæ, honoris, existimationis, ac nominis eandem

Ezech. 15. 6. curam omittunt; & quod hoc nulli dubium extet, Eccl. c. 15. audite dicentem. *Nomine æterno hereditabit illum*. Et Isaias

Isa. 65. 5. cap. 16. *Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit*. E conspectu, inquam, reprobi, quia Deum de ipsis omnem memoriam deleturum perspiciunt, semetipsi, vt illa permaneat, laborant; & ideò ipsimet in Sapient. cap. 2. exclamabant.

Sap. 2. 2. & 4. *Post hoc erimus quasi non fuerimus*, & postea addit, *& nomen*

Gen. 11. 4. *nostrum, obliuionem accipiet*. Et in Gen. cap. 11. *Celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur*. Videte, quæso, vos quem adhibuere in hoc laborem; nam Babylonicam turrim propterea construxere: sic etiam sequi mundanos vidimus, scilicet, hunc Mausolea componere, alterum testudines, seu fornices, Pyramides alium, & ista istum, illaque illum

lum ædificare. Secunda differentia, quæ inter reproborum, ac iustorum memoriam viget, ea est, videlicet, quòd quamquam ambo nominantur, tamen in eo, quòd laudis, & encomij titulis iusti exaltantur, in eodem opprobrij, ac dedecoris impij nominibus magnificantur. Et ideo Prou. 18. egregie loquebatur: *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contendit, sequitur eum ignominia sua*. Et vbi proborũ, & iustorum bonorũ operum memoria retinetur: improborum, ac peccatorum vitia cõmemorantur, videlicet, peccatorum auaritia, impietas, & huiusmodi: iustorum pietas, & religio. Et (vt denique finem his demus) in quibus iustorum nomen semper superest, & excrescit, in his reproborum nomen deficit, & imminuitur. Exempli gratia, vos dicitis in Autumno agricultorem varia poma seligere, illa, quæ marcescunt, vt Domini eius ore indigna, à se abijcit, belluisq. offert: sed quæ syncera, intactaq. sunt, seruat, vt Dominus cumulate eis in annum potiatur. Et ideò vbi de primis dixit Ps. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*: de iustis autem ait Sponsa Cantic. c. 7. *Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi*. Immò bona interdum poma sacchаro, alijsq. aromatis condiri solent, vt gustui gratiora, atque iucundiora existant: sic iustorum nomina, tam pretiosiora euadunt, atque cariora, quod quicumque viuens ea exaltare, & manificare peroptat. Vnde Eccles. 49. de sancto, iustoq. Iosia ait: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij*. Et merito, nam nominis iustorum in mundo custodia, siue conseruatio prædestinationis in cælo argumentum parit. Pater familiás duos libros habet, quorum vnum apud generalem suum Procuratorem seruat, alterum verò apud se tenet: nihilominus quidquid in vno scriptum, in altero etiam delineatum est, vt inde omnia in ambobus descripta, atque delineata æquiparari, & coæquari possint. Iustus in æterna prædestinatione, in Deiq. mente iam descriptus, ac delineatus existit, in præsentis vitæ libro etiam descriptus, ac delineatus esse debet, qui quidem sacra Scriptura est, atque memoria, quam ipsorum omnium Deus seruare facit.

Altera differentia inter iustos, & reprobos.

Prouer. 18. 3.

Simile.

Psal. 15. 4.

Cant. 7. 13.

Simile.

Eccles. 49. 1.

Prædestinationis signum.

Simile.

Secundo, eos, vt diu vitam degant, beneficijs afficit: vnde de omnibus Patriarchis, Deique familiaribus dicitur: Mortuus est plenus dierum, & præcipue in Genes. cap. 35. in Isaach obitu: *Completi sunt dies Isaach centum octoginta annorum, consumptusq. ætate mortuus est, & appositus est populo*

Gen. 35. 27. 28.

Plenum quid significat. *pulo suo senex, & plenus dierum*. Vbi sciendum est illud appellari plenum, quod habet totam perfectionem suæ consonam naturæ: quo sensu in Genes. eodem cap. 41. Septem illæ spicæ, quas Pharao vidit, fertilitatem septem annorum protendentes, appellantur plenæ; sicut è contrario vacuum, & inane dicitur quod eam non habet: quo sensu terra in principio mundi dum non erat vestita floribus, consita arboribus, animalibus referta, *inanis, & vacua* dicitur in Gen. 1. videlicet, quia finem illum, cuius gratia condita erat, non assequuta fuerat. Ex quo iam multa intelligas, quæ in sacris Litteris dicuntur habere, aut non habere plenitudinem. Primum enim is, qui illud vitæ spatium sibi à natura definitum attingit, neque casu, aut euentu, fortuito, aut ex Dei iudicio ante illud è vita tollitur, dicitur obire diem suum plenum, vt de Isaacho dicitur, vt supra, ad illud confirmandum D. Athanasius in Apologia de fuga sua affert illud, quod dixit Eliphaz amicus Iob cap. 5. *Venies (si iustus fueris) in sepulcrum, vt seges matura suo tempore demessa, & vt manipulus arcæ in tempore collectus*, seu (vt nos habemus) *ingrederis in abundantia sepulcrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo*. Hinc colligitur iustus vir, tritici aceruus appellari, quia post laborum trituram plenos dierum in Dei horreum congregabitur; quemadmodum dicitur Matth. 3. & eleganter expendit D. Gregorius lib. 6. Moral. c. 24. Vbi *recte*, inquit, *dicitur, sicut refertur aceruus tritici in tempore suo: frumentum enim in segete sole tangitur, ventis concutitur, atque ad arcam deductum triturationis pondere premitur, vt à pallearum connexione soluatur; Denique relictis paleis ad horreum ducitur: sic enim anima iusti in hac vita à superno lumine illustratur, tentationibus exercetur cælesti disciplinæ supposita, correctionis flagella percipit, à satietate carnalium mundior recedit; &, relictis paleis, ad horreum ducitur, quia foris remanentibus rebus, ad supernæ mansionis gaudia subleuentur. Dum enim post afflictionem iusti præmia patriæ cælestis inueniunt, quasi post pressuras ad horreum grana deferuntur*. Hæc Gregorius.

[Margin: Gen. 1. 1. — *Vacuum dicitur quod non habet totam perfectionē suæ naturæ.* — *D. Athanasius in Apologia de fuga sua.* — Iob 5. 26. — Matth. 3. — *Greg. lib. 6. mor. cap. 24.*]

Eccles. 19. 3. E contrario de immatura morte impiorum dixit Eccl. 19. *Et tolletur de numero anima eius*. Et Regius Vates Psal. 54.
Psal. 54. 24. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Vnde
Eccles. 7. 18. est illud Eccles. 7. *Non impie agas multum, & noli esse stultus, nè morieris in tempore non tuo*. Hinc fit, quòd mors sancto-

sanctorum somno in sacris Litteris assimilatur: vnde in Patriarcharum morte sedulo dicitur: *Dormiuit cum patribus suis*. Primo propter dormientis firmitatem; nam, dum homo dormit, nullius aduersarij potentiam pertimescit: sic sancti per mortis somnum ex omnium aduersariorum manibus eripiuntur, & æternæ securitatis fiducia perfruuntur: vnde Dominus aiebat Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere*. Sic igitur in hoc conueniunt mors, & somnus, quia vtraque securitatem tribuunt; somnus ex insensibilitate, mors ex libertate, de qua dicebat Psal. 123. *Laqueus contritus est: & nos liberati sumus*. & in Ioan. cap. 11. *Si dormit saluus erit*. Secundo propter dormientis figuræ mutabilitatem, quia exterius videtur mortuus, qui maxime interius viuit, sic sancti, cum mortui sint secundum carnem, tunc vera viuunt vita. Vnde Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Tertio, & vltimo (& ad nostrum pertinet institutum) propter quietis suauitatem, quæ tanta est, quòd non solum nullorum laborum dormiens meminit, & dulciter requiescit: vnde Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*; sed est ita in sensibus plenus, quòd nihil aliud cupit, & quærit. Vnde merito D. Chrysostomus homil. 6. in epist. ad Thessal. super illa verba: *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, inquit: *Mox in ipso exordio fundamentum consolationis iacens; ergo propter mortuos, immodestè plangere eorum est, qui spem non habent*. Meritò: *animus enim resurrectionis ignarus, & mortem hanc corporalem mortem esse putans, non immeritò mortuos tamquam perditos plangit, atque intolerabiliter luget. Si ergo morientium gratia lugere gentium est immodestè plangere, genasque lacerare, quorum est, dic quæso? quam ob rem lamentaris virum si credis, & resurrecturum, & non perijsse somnum, & dormitionem*. Hæc ille. Et D. Hieronymus lib. 1. cap. 3. Prouerb. super illa verba: *Si dormieris non timebis, quiesces, & suauis erit somnus tuus*, ait, *patet iuxta litteram, quia securus & dormit, & vigilat, & quiescit & ambulat qui se innocentem ante Deum, & iustè viuere meminerit: sed & iustus cum in morte dormierit, non solum potentias malignorum spirituum non metuit, sed in pace quiescit, ac securè diem resurrectionis expectat, quia Deum vbique præceptorem habet, & custodem quale est in Psalm. 22. Nam*

Mors pro somno.
Mors somno assimilatur.
Matt. 10. 28.
Psal. 123. 7.
Ioan. 11. 12.
Psal. 126. 3.
Sancti cum mortui sunt carne, tunc verè viuūt vita.
Apoc. 14. 13.
D. Chrysostomus homil. 6. in ep. ad Thessal.
D. Hieronymus lib. 1. c. 3. Prou.
Psal. 22. 4.

etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Hæc D. Hieronymus.

Tertium beneficium, quod Deus hac in vita in iustum contulit, varios filios, amplamq. sobolem sibi elargiri est, quod quidem, & in naturæ Lege, & in Lege scripta præcipuum, ac singulare beneficium extabat. Vnde non modo in Gen. 22. Abrahæ inquit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*; sed clarius in Psal. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris*. Quod Theodoretus exponens, ait: *Quod Deus Optimus Maximus eius electis tranquillam, ac pacatam vitam elargietur, prole amplam, ac filijs*. Et hoc est illud, quod in eodem psalmo Dauid canebat: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam*, vt demonstraret plurimorum filiorum possessionem præcipuum Dei munus existere. Et in Genes. cap. 30. expresse legitur, quod formosa Rachel de impotentia ad filiorum generationem cum viro suo Iacobo conquerens, aiebat: D*a mihi liberos*, patriarcha Iacob respondit ei: *Numquid pro* Deo *ego sum*? Vt, si dicere vellet, à meipso filios procreare non valeo, quia, cum hoc sit præcipuum Dei munus, idem à Deo etiam obtinere oportet. Et in Gen. 33. ab Esau fratre suo dum ad propriam remeabat patriam requisitus ipse Iacob, quod nam (inquiente) gentium genus erat illud, quod secum ducebat; & si casu sui erant filij: respondit Iacob: *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo suo*. Itaque hic clare videtur, & experitur præcipuum existere Dei beneficium, atque priuilegium: Modo cum sanctus Iob Dei coniunctus existeret, ius requirebat, quod hoc etiam beneficio Deus ipsum afficeret: & ecce, quòd eidem Deus masculos, atque feminas filias elargiens, dicitur, & optime.

Gen. 22. 17.
Psal. 126. 3.
Theodoretus super Psal.
Psal. 126. 1.
Gen. 30. 2.
Gen. 33. 5.
Liberos habere donum Dei est.

Natiq. sunt ei septem filij, & tres filiæ. Sed cur hinc septem masculorum, & trium feminarum præcipuum numerum tantum amplectitur? D. Gregorius 11. Moral. c. 12. suo de more locum istum allegoricè exponens, ait, quòd intelligitur Christus cum tota Apostolorum prædicatione, & quo ad audaciam, qua ab ipsis concionandum erat, & quo ad illorum numerum, qui prædicaturi erant, & quo ad locum, in quo prædicare debebant, & quo ad ipsamet prædicanda. Quo ad audaciam, quia impauidi, & intrepidi prædicationis officium exercere debebant; en, quia textus à virili sexu orditur, Natiq.

D. Gregorius 11. Moral. c. 12.
Apostolorum prædicatio significata per septem filios Iobi.

tiq. sunt ei filij, quod virilitatem denotat, & vim. Et quo ad numerum, quia Apostoli duodecim esse debebant, en, septenarium numerum signat, qui (inter se vna diuisis quatuor à ter, & ter à quatuor) mutuo multiplicatus duodecim numerum perficit: nam quatuor per ter multiplicatus duodecim efficit; & ter per quatuor multiplicatus etiam duodecim dicit. Quo ad locum, in quo erant prædicaturi, en quatuor numerum assignat, quatuor hoc mundi partes numero significans. Et quo ad prædicanda, quæ mysterium erant sanctissimæ Trinitatis, en ter alterius partis numerus. Ita etiam in femineo sexu textus inquit: *Et tres filiæ*. Hic (D. dicit Gregorius in prætacto loco) & perfectio annuitur, & imperfectio: Perfectio, scilicet, in ternario numero, in femineo autem sexu imperfectio. Quibus duobus Fidem innuit, simul & opus: Fidem, videlicet, Christi, cuius Iob perfectissimum typum gerebat, fideliumque operationes ex semetipsis imperfectorum) sed sanctissimæ Trinitatis gratia ſtandorum, atque comprobandorum. Non ne hos videtis vos perpulchros allegoricos sensus, quos ex hac in Iob textus auctoritate tantus Diuus Gregorius hauritur? Sed hinc ad meam rediens rem, dico, hoc Spiritum sanctum efficere, etiam, vt maximopere Iobis bonitatem nobis aperiat: Cui quidem, cum dederit, atque diuersos concesserit filios; & beneuolentiam, & amorem Caritatis, quibus erga ipsos afficiebatur, innuit; & præcipuè in septenario masculorum natorum, & in ternario feminarum filiarum numeris hoc accidit: in septenario equidem numero; nam (veluti Philo ait Hebræus:) *Gaudet natura in hoc numero, quæ septem diebus perfecta fuerit*: Et quemadmodum septem diebus tota mundi moles perfecta extitit: ita ad septenarium numerum tota eiusdem perfectio. Quæ perfectio etiam ad ternarium reducitur. Vnde Aristoteles in lib. de cælo, & mundo dicit, omne trinum esse perfectum. Et hæc pro præsenti hactenus Lectionis prima parte sufficiant. Quiescite.

D. Gregorius.

Philo Hebræus.

Septenarius numerus est perfectus.

Ternarius numerus perfectionem designat.

SECVNDA PARS.

N*Atique sunt ei septem filij, & tres filiæ.* Conclusimus adhuc Deum patientiæ typo sancto Iob tot esse natos elargitum, vt hoc munere, hocque beneficio quam gratitudinem ex ipso acciperet, & quam ipsum amabat idem Deus, experiremur. Nunc exponendum superest, quare hoc volens Spiritus explicare mysterium, obliquo, & non recto, casu, idest, datiuo, & non nominatiuo, indicauit: nam dicit: N*atique sunt ei septem filij, & tres filiæ*, & non ait potius; *Habebat septem filios, & tres filias*? Vt parentum erga suos filios, Dominum, & filiorum è conuerso in parentes eorum debiti onus indagandi, & mihi, & vobis præstet occasionem. Et primum: *Natique sunt ei septem filij, & tres filiæ*, datiui casu vtitur hic, vt (inquam) nobis aperiat Patrem in filio dominium habere, & in rebus, & in ipsomet. Quod, vt

Chrysost. homil. 67. in Genesim.

probem, D. Chrysostomus hom. 67. in Genesim totum, quod in Genesi cap. 48. suo filio Iosepho Patriarcha Iacobo dixit,

Gen. 48. 22.

repræsentat, scilicet: D*o tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhei in gladio, & arcu meo.* Certum est equidem Iacob filios, & ipsum Iacobum Sichar vrbem cepisse: attamen ipsemet eam cepisse, dicit, & esse assequutum: vt nobis hoc significaret suum esse quidquid sui adepti sunt filij, & eiusdem ipse Dominus erat; & vt suum id agere, &

Arist. 1. Polit. 8.

de eodem loqui poterat. Et Aristoteles 1. Politic. 8. ait Persianos eorum filijs, tamquam famulis, ac mancipijs, vti. Hinc

Persiani tamquam famulos, ac mancipia filio reputabant.

oritur, quòd in sacra Scriptura hæc domini, & patris nomina vna confunduntur: ita in Matth. 11. Christus ait, videlicet: C*onfiteor tibi pater Domine cæli, & terræ*. Et in Eccl. 23.

Matt. 11. 25.
Ecclef. 23. 4.

Domine Pater, & Dominator vitæ meæ. Et ideò è conuerso, cum parentes sint suorum filiorum absoluti Dominatores, filij eis in tribus etiam debent, & tenentur. Primo, vt ipsis iuste, æquaque via temporalia bona quærant. Secundo, vt ad spiritualia bona dirigant; & tertio, vt bonum eis exemplum præbeant. Primo (inquam) eam æquè facultatem indagare, quam suum statum spectat, atque condicionem. Secundo, in Dei via perbelle erudire. Et tertio denique, tale eisdem exemplum communicare, quod, & imitatione, & grati animi de-

Parentum obligatio erga filios.

mi demonſtratione omnino dignum exiſtat, & videatur.

Hinc inde etiam debiti onus hauritur, ad quod, & tenētur, & quod etiam habent filij erga ſuos parentes: quoniam, cum abſolutus ſit filij Dominus Pater (vt iam diximus) inde ſequitur, quòd quidquid poſſidet filius patri debet; & id debitum ſic ſupereminet, quòd quamuis Chriſti Domini noſtri tempore omne vitium Phariſæi redolebant: attamen huius tantum in D. Matth. 15. eos redarguit, videlicet, parentes non eſſe veneratos, dicens: *Nam Deus dixit, Honora patrem, & matrem*. & poſtea: *Vos autem dicitis quicumque dixerit patri, & matri munus quodcumque eſt ex me tibi proderit*. An neſcitis qua re? quia hoc præceptum, ità connaturale eſt omnibus creaturis, vt meritò de eo tranſgreſsio, & dedecus maximum, ſummamque pœnam meretur. Et Ariſtoteles 1. Topic. 9. ait, quòd ſi aliquis in hoc dubium quæreret, aut faceret, ideſt, non confitendi magnum debitum, quod erga parentes filius tenet, iſte inſanus eſſet exiſtimandus; & verè eſſet hoc de niue, an alba eſſet, diſceptatio: ac de eodem dici poſſet, quod Valerius Maximus lib. 1. c. 1. de neglecta Religione aſſerit, in quo dicit, quòd Athenienſes Diagoram philoſophum in exilium eiecerunt, quia, an Deus inuenitur diſputationi tradere voluit. Eadem pœna ille mulctari debet, qui (ait Ariſtoteles) dubio vteretur parentibus deberi quid, quid eorum filius habet.

Filiorum obligatio erga parentes.

Matth. 15. 4. & 6.

Valerius Maximus lib. 1. c. 1. de neglecta Religione.

Diagora philoſophus.

Ariſtoteles.

Et ob maiorem huiuſmodi materiei Fidem, ac claritudinem vos ignorare nolo. Quatuor nos ducunt, ac de debito, quod parentibus filius habet, certiores faciunt. Primum eſt, quod Deus non modo illud præcipit, ſed omnia inter præcepta primæ tabulæ, quæ ad proximum ſpectant, hoc principale exiſtit: ita quod poſt præcepta, quæ Deum reſpiciunt primæ tabulæ circa proximum, hoc (inquam) primum eſt, & dicit: *Honara patrem tuum, & matrem tuam*. Et, vt demonſtret quantum expediat, ſtatim adiungit quoque tranſgreſſoribus pœnam, ac obſeruantibus præmium, his dicens: *Vt ſis longæuus ſuper terram:* illis autem, *Morte moriantur:* illis, ſcilicet, obſeruantibus vitam: & illis, videlicet, tranſgreſſoribus mortem: quod quidem in reliquis præceptis non inueniens, clarè denotat, quanti apud Deum hoc valeat, ac quantæ eidem ſit gratitudinis, præceptum.

Exod. 20. 12.

Præceptum honorandi parentes gratiſsimũ Deo.

Secundum, quod nos ad huiuſmodi præcepti obſeruantiam impellere debet, veri Patris, Dominatoriſque Chriſti Domi-

Chriſti exempla circa parentum honorem,

ni noſtri exemplum eſt; qui talis, ac tantus huius præcepti obſeruantiæ fuit affectus, quòd & viuus, & moriens, ac poſt mortem ſua cara genitrix maximæ ſibi curæ extitit. Viuus, nam ipſis penitus obediuit: vnde apud D.Lucam dicitur c.2.

Luc. 2. 51. *Et erat ſubditus illis:* & D. Bernardus adiungit: *Quis quibus? Deus hominibus*, ideſt, paululum animaduerte, quòd, & ſi Chriſtus Dominus noſter Deus erat; & Mater, ac putatiuus Pater erant homines: nihilominus eos veneratur, illiſq. ſubeſt.

D. Bernardus.

D. Auguſtinus. Et D. Auguſtinus dicit: *Erubeſcat homo fieri ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus*. Eſt veneratus moriens: nam Cruci dum fixus pendebat, numquam ſuorum dolorum obliuione captus genitricem Ioanni commendat. Et eſt eoſdem poſt mortem denique veneratus, quia, eo præſente, maximo cum Angelorum comitatu (vt varij affirmant Doctores) ſecum illam duxit in Paradiſum.

Filij tria bona à parentibus habuerunt. Tertium, quod nobis debitum parit, & quod hac in materia habemus, eſt, quia eſſe à parentibus accepimus, alimoniam, ac documentum; pro eiſe maximè eos venerari debemus, vnde in Eccleſ.7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ nè obliuiſcaris: memento, quoniam niſi per eos natus non fuiſſes*. Pro eo quod alimoniam accepimus magna erga illos, debemus vti diligentia, ac cura; ita, vt ipſi quemadmodum tanta ſolicitudine in pueritia noſtra nos nutriere, etiam nos ipſi in eorum ſenectute auxilium eis præſtare debeamus.

Eccleſ. 7. 29.

Eccleſ. 3. 14. Vnde Eccleſ.3. *Fili ſuſcipe ſenectam patris tui*. Et tandem, quia ab ipſis documentum percepimus, eiſdem maxime obedire debemus. Vnde D. etiam Paulus Epheſ.6. ait: *Filij obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt*.

Epheſ. 6. 1.

Quartum, & vltimum, quod ad hunc pietatis actum nos, & impellere, & animare debet, ipſe naturalis eſt inſtinctus, qui non modo rationales creaturas, ſed irrationales etiam docet, vt auxilium dare, & opitulari ſuis in ægeſtatibus parentibus debeant. Quid plura? Inſenſibilia quoque ipſa hanc veritatem non ignorare videntur. Hinc emanat, quòd ipſæmet plantæ, & arbores, dum excreſcunt, circa truncum ramos expandentes, vt illos defendere, ac tegere ab omnibus valeant contrarijs, quæ obeſſe eis poſſent: quaſi memores, quod ab eo & eſſe, & incrementum habuerunt. Atque Ariſtoteles in lib.9. Ethic. cap.2. dicit, quòd filius tunc rationabiliter operabitur cum amore parentum, ipſe, vt illos viuos ſeruet, fame periret, cum à ratione non diſtet illis nos eſſe

reddi-

reddituros, à quibus accepimus: immò proprijs filijs anteponi debent: quoniam multo magis dantibus nobis debemus, quam quibus damus: sed parentes esse dederunt; quod & nos filijs damus: ergo parentibus magis, quam filijs ipsis debemus. Et (vt finem attingam, vti dixi) hoc est secundæ tabulæ præceptum. Et ideò quemadmodum primum primæ, quod Deo seruire est, reliquis serius existit prætactæ primæ tabulæ: ita hoc secundæ tabulæ nostra magis interest.

Parentes præferendi sunt proprijs filijs,

Et ille quidem, qui erga parentes ferus, atque immanis est legitimi filij nomine carere debet, sed nothi, ac spurij illud mereri; nam in parentum ægestatibus non conuenire, & eisdem obedientiam non reddere valde inhumanum est, ac contra ipsam naturalem propensionem. Bernardinus de Bustis, nostræ Religionis pater narrat in quodam suo opere, quod cum iam inueniretur quædam cuiusdam vxor, ira, ac furore ardens maximo suum in virum, in eius conspectu ait, quod ex tribus masculis filijs, quos habebat, vnus tantum legitimus erat, & reliqui duo spurij, ac nothi extabant: inde vxor è vita migrauit, & post paululum temporis vir etiam eius mortuus est, qui verbis suæ vxoris motus, in conficiendo testamento facultatem omnem tantum illi reliquit, quem suum filium legitimum vxor nominauit: mortuo patre, duo filij ab hæreditate exclusi, cum tertio litem iniere, qui paternæ rei hæres remansit. Iudex cum ambarum partium causas, & rationes audisset, patrem de sepulcro extrahi iussit, tribusq. illis fratribus præcepit, quod capto arcu vna cum sagitta ipsorum quisque paternum erga cadauer tela dirigeret: quique sic ea tela dirigens erat, vt paterni cadaueris cor configeret, omnium suarum rerum hæreditatis gauderet dominio. Duo fratres, vere nothi, animose iacula emittere cœperunt: tandem cum tertij esset idem efficere, qui legitimus erat, arcum, sagittamq. in manus capiens, vt iacularetur, à paterno deuictus affectu, naturaliq. propensione superatus, ex arcu sagittam minime emittere volés acriter exclamans dixit. Auertat Deus tanta me feritate affici, vt me patri meo viscera transfigere accingam: & hinc arcum deponens, amittere (dixit) hæreditatem potius gaudeo, quam ita inhumanam, ac diram erga meum patrem proferre actionem: ex qua veritatis lumine iudex suffultus, huic tertio filio totam paternam hæreditatem attribuere commisit. Igitur (vt dixi) amare, honorare parentes, parentibus obedire, & eisdem suis

Parentibus non obedire inhumanum est.

P. Bernardinus de Bustis.

Exemplum notabile.

in ægestatibus opitulari naturale esse, naturęq. penitus conforme non ambigitur.

Atque filius, & filia, qui parentes audiunt, & venerantur, sic grati Deo existunt, quod Moyses sancti patriarchæ Ioseph
Genes. 37.2. historiam incipere volens Genes. 37. dixit: *Hæ sunt generationes eius; Ioseph, cum duodecim esset annorum.* Et quámuis sanctus Iob duodecim filios haberet: nihilominus in hoc tantum (dixit) totam sui genealogiam consistere, non ob aliam causam, quam propter Iosephi bonitatem, in parentum amorem, obedientiam, atque auxilium.

Dum Rex Saul Dauid prophetam pro morte insequebatur, non modo propriam, sed parentum quoque quæsiuit seruare vitam, sicuti clare patet in 1. Reg. 21. Et propterea in Masphath pergens, ad secum parentes ducens, Regi Moab illos
1. Reg. 22.3. vehementissime commendauit, dicens: *Maneat (oro) pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus*: vt sciremus non solum in secundis rebus, sed etiam in aduersis, vbi persecutiones, & miseriæ vigent, suis in ægestatibus parentes á nobis subleuandi memoriam obliuio non deleat.

Et quidem, si omnes parentes curare debemus, eò magis pro illis procurare tenemur, qui bonum nobis exemplum communicantes, & christianam, & spiritualem vitam degunt: quoniam Deus per bonitatem, & sanctimoniam parentum plurima in filios beneficia conferre solet. Hinc emanat, quod quotiescumque Hebræus populus requirebat, & in eum Deus aliquam gratiam ei conferre debebat, & beneficium, aut alicui in ipsum populum flagello obuiare, ac reijcere, tres illos Patriarchas, scilicet, Abraham, Isaach, & Iacob, in oratione præponebant ipsi, qui cum essent tunc totius populi, nec non sanctissimæ vitæ Patres, sic Deus per ipsos moueretur ad elargiendas eis gratias, quas illum efflagitabant. Ideoque in Scriptura sæpe sæpius illud repetitur, scilicet, propter Abraham, Isaach, & Iacob.

Sic Deus moleste fert paucam venerationem, ac existimationem, quibus filius erga parentes vtitur, quod, vt sæpius
2. Reg. 18. immaturi cadant, permittit; quemadmodum in 2. Reg. 18. legitur de ingrato Absalone, ex quo è conuerso obediens á
Hebr. 7.3. Deo diu seruatur, vt D. Paulus egregiè ad Hebræos cap. 7. scribit de magno sacerdote Melchisedech, dicens: *Melchisedech sine patre, & sine matre, & sine genealogia, neque initium*

tium dierum, neque finem vitæ habens. Vbi notandum est, quod non est, Melchisedech parentes nō habuisse, nec principium, nec finem: sed hoc in loco inferre vult, tantum temporis vixisse, quòd Scriptura longæ antiquitatis causa, nec parentes, nec principium, nec eius finem vitæ tangit. Quem Melchisedech, & D. Hieronymus, & Lyranus expositione Hebræorum cōsonantes, Sem esse volunt, Noë filium, qui proprio pallio retrogrediens Noë patris sui pudenda cōtegit, dū ille vinolentus sub eo conopæo detectus dormiebat: & hoc in oppositum maledicti Cham, qui non modo patrem cooperuit, verum ridens alijs pudenda detecta patefecit. Quam ob rem propter hanc amoris huiusmodi actionem, quam Sem adimpleuit erga patrem, tanto temporis interuallo viuere meruit, quòd D. Paulus absque patre, & sine matre eum proclamat: ita, vt vsque ad Abrahæ tempus superuixerit.

D. Hieronymus *Lyranus.* D. Paulus.

Aiunt nonnulli, inter animantia nullum esse coruo ingratiorem, quoniam in proprium eius nutricium crocitat, qui suis manibus diu ipsum aluit: quod quidem alia non perpetrant animantia. Ideoq. ait Salomon, ille filius, & illa filia, quæ ingrati animi fructum parentibus afferunt, vt ipsimet corui eis oculos eruant, merentur, idest, vt ingratum animal, ingratum alterum sibi simile puniat: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ*. Prou. 30.

Exemplum ingratitudinis. Prou. 30. 17.

Verum, quid de filijs verba faciemus, qui nec minimum quid existimationis subsecuntur, nec minus parentum maledicta, nec benedicta timent? Et quo ad benedictionem, quod eam maximi æstimare debeamus in Genes. c. 27. & 28. patet. Vbi legitur, quod, licet sanctus patriarcha Ioseph in Agypto Vicem Regis gereret, & suus pater Iacob humilis pastor esset: tamen Ioseph ad eius pedes genua flectit, & omni erga eamdem humilitate, omniq. obseruantia benedictionem petit: & deinceps eius vitæ metam senio confectum, & cæcum eum adire cognoscens, ipsemet suos præ manibus capiens filiōs, idest, Ephraim, & Manasse, vt eosdem sua afficiat benedictione, canum patrem expostulat. Item ex pluribus sacræ Scripturæ locis habemus, quòd quotiescumque suum populum benedicere volebat, Abraham, Isaach, & Iacob nominat Deus. Deus Abraham, Deus Isaach, & Deus Iacob, vt benedictionem, quam in eos effundebat, non eorum bonitatis gratia, sed meritorum causa illorum

Gen. 48. *Benedictio parentum vtilis valde filijs.*

suo-

suorum Patriarcharum effundere sibi significaret.

Maledictio parentum timenda. Quo vero ad maledictionem paternam, & maternam, heu, quantum illam formidare debemus Aliquis pergit, vt quamdam domum dextruat, & euertat, quid nam agit? Scalprum sumit, & tam pulsat, conuerberat, & accudit, quod illam sternit, & proculcat: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Scitote (ait Eccles. 3.) quod scalprum non est, non est ligo, nec vectis; ita solidus, nec idoneus ad euertendam domum, vt parentum maledictum ad domum diruendam, perturbandamq. familiam: at filij, & filia inobedientes, atque scelestes, nec in his curam ponitis? sed potius causam maledicendi vobis, vosq. execrandi parentibus affertis? Graue quidem peccatum, tam parentum, quam filiorum est; illorum, quia impatientia superati, assidua ferè occasione capta, natos ipsos improperant: istorum autem, quoniam opportunitatem nanciscuntur, vt è parentibus ipsis improperentur.

Simile.

Ezech. 3.11.

Simile. Si in regionem incideretis, in qua gentes ita inhumanæ, & barbaricæ viuerent, ac inuenirentur, quòd patres filios, & è conuerso filij parentes comederent, quid diceretis? Non ne in vos de tali dira, ac barbara gente stupor descenderet? Ezech. 5.10. *Patres comedent filios suos in medio tui, & filij comedent patres suos.* Scitote (inquit Ezechiel cap. 5.) quod aliquod gentium genus tam à patientia alienarum, & obedientia simul: immò tam inhumanitate, immanitateque affectarum, quod parentes comedunt filios, & è contra filij parentes: at en parentes, qui in filiorum imperfectionibus impatientia abundantes, in illos statim maledicta mittunt, & imprecantur. Et è conuerso en filij, qui, nè parentibus obediant, & venerationem præstent, vt debent; eis maledicendi, ac eos execrandi ipsis opportunitatem, sæpissime præbent. Ite in pace.

VNDE.

VNDECIMA LECTIO.

De Diuitijs, & Paupertate.

IN QVA QVATVOR EXPLANANTVR. Primum est, diuitias per seipsas malas non esse: immò prodesse eis, qui illi bene vtuntur. Secundum, quo modo homo circa ipsas gerere se debet. Tertium, paupertatem etiam malam, & bonam fieri posse. Quartum, & vltimum quis verè pauper censeri debet.

Et fuit possessio eius septem millia ouium, & Iob 1. 3.
tria millia camelorum, quingenta quoque iuga bouum, & quingentæ Asinæ, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes orientales.

PRIMA PARS.

CVM in præterita Lectione copiose satis de sancti Iob excellentia circa filiorum masculorum, & feminarum numerum à Deo sibi concessum, locuti simus: nunc textus ad eiusdem excellentiæ locutionem circa facultates, & diuitias ipsius transit, dicens: *Et fuit possessio eius, &c.* vt supra. Vbi narrata, conclusaq. pecoris quantitate, quam possidebat, quæ septem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga bouum, & quingentas

gentas asinas, ac familiam multam nimis amplectebatur, tandem concludit: *Erat vir ille magnus inter omnes orientales*. Quæ circa verba D. Gregorius Moral. 1. c. 13. Hunc locum allegoricè exponens, ait: *Quo ad oues Hebræum populum intelligi, qui à legis pascuis ad Euangelij pabula profectus fuit. quo ad camelos, qui curua sunt animantia pro Gentili populo accipi, recta, ac vera cognitione carente: quo ad boues pariter accipi illos, qui fidem non dum amplecti, sed etiam bene agere debebant: Et quo ad asinos intelligi tandem pigros, ac carnales:* ita, vt hac clausula D. Gregorius omnem post Mesſiam Ecclesiæ statum comprehendat. Præterea in c. 15. illam clausulam exponens, scilicet: *Ac familia multa nimis*, ait, *tunc nos possidere, & multam nimis familiam dominari cum nostrarum curarum varietatem pluribus amplectentes, sic ipsas attendimus, quòd rationi penitus subiaceant, quemadmodum fuit dictum in* Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus*: concluditq. quod ille, qui ita operatur, verè appellari potest magnus inter omnes orientales: quoniam sic, quantum possibile est, humana natura Angelicæ similis fit. D. Chrysostomus in homil. 2. de pœnitentia dicit: *Scripturam, Iobis diuitias nominare, non vt admirentur, & optentur, sed per ipsas animum, voluntatemque eiusdem Iobi perpendat: qui quidem omnes amittens, non propterea* Deum *offendit, non ideò bac're se commouit; verum inuincibili patientia, fortique, intrepidoque animo omnia sustulit*. Quæ expositiones licet optimæ sint. Attamen ego ex his plurima fortasse, pro legentibus, aut audientibus vtiliora, ac opportuniora exhaurio. Primum quorum est, quòd diuitiæ in seipsis malæ non sunt. Secundũ, quo modo eisdem vti debemus, nè malę efficiantur. Tertium, quòd paupertas in seipsa etiam non est bona, nec mala. Quartum, & vltimum, qui nam sunt illi, qui vere pauperes vocari possunt? Prima duo pro primæ, secundaq. duo pro secundæ partis materia inseruient. Attendite.

D. Greg. Mor. 1. c. 13.

Oues hic pro populo Hebræo accipiuntur.

Cameli pro populo Gentili hic capiuntur.

Boues pro veris fidelibus hic accipiuntur.

Asini pro carnalibus hic accipiuntur.

Gen. 4. 7.

D. Chrysost. homil. 2. de pænit.

Lectionis diuisio in quatuor capita.

ET *fuit possesio eius septem millia ouium, &c.* Et à primo incipiens, idest, quòd diuitiæ in seipsis, & per seipsas malæ non sint, nulli dubium accidit; nam, & Abraham, & Isaach, Iacob, Dauid, noster sanctus Iob, & innumerabiles Dei familiares diuites fuere, & potentes: hinc est igitur, quòd clare patet, diuitias minime quidem inutiles, & malas esse, quemadmodum scelestis ille Pelagius falso affirmauit,

vt D.Augustinus refert in epist.89. q.45. & sanctus Paulus in 1. Timoth. 6. absolute non damnat diuitias, sed modum docet, quo quisque vti debet, dicens: *Diuitibus huius seculi præcipe, ne sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Et Prouerb. 14. diuitiæ sapientium corona appellantur: *Corona sapientium diuitiæ.* Cyrillus autem Ierosolymitanus Catech. 8. dicit, quod diuitiæ dæmonis minime sunt, sicuti falso aliqui affirmauere: sed pro hominis ministerio Deus omnia fecit, & ideò perbelle: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: immò magna honoris, ac gloriæ sapientium pars, in diuitijs sistit, vt in prætactis Patriarchis, ac sanctis antiquæ Legis videtur, & Legis naturæ; præcipue in D. Iobo.

D. August. epist. 89 q. 45.
1. Tim. 6. 17.
Prou. 14. 24.
Diuitiæ corona sapientium.
Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 8
Gen. 1. 31.

Sed quid nam est, quòd interdum sacra Scriptura eas perniciosas vocat, & malas? priuatim in Ecclef. 5. vbi dicitur: *Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.* Huic obiectioni facile respondetur (& pro primæ partis secundo capite inseruiet) quod verum est, diuitias in seipsis malas non esse: sed quia homines male eis vtuntur, male euadunt; & tunc efficiuntur Principum arca, præda latronum, omnium ludibrium, insatiabiliumque abyssus: Deo exosæ, hominibus abhominabiles, sibimetipsis formidabiles, infernarumq. belluarum cibus: Et denique clara patet distinctio, quod, licet bonis bona sint omnia, ita prauis omnia praua: bonis diuitiæ vitæ causa sunt, dummodo Dei voluntate in eorum vsu se adhæreant, & illam à pauperibus emant. Malis mortis sunt causa propriam voluntatem adimplentibus, & à semetipsis, illam acquirunt: etiam eadem causa diuersis in argumentis diuersos producit effectus. Sol ceram liquet, limumq. constipat, & ignem; metalla ornat, nigrosq. facit carbones: ergo ab vnica eadem re salus dependet, & damnatio, paradisus, & infernus, mors, & vita: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum*, ait D. Paulus. O quam differunt humilium, ac seruorum Dei diuitiæ ab illis magnorum præceptorum mundi: hæ veræ sunt, apparentes illæ: hæ sempiternæ existunt, transeuntes illæ: hæ desiderabiles sunt, fugiendæ illæ; & quod pateat, antithesim, quam de his Deus ipse facit, audite, Isai. 65. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini; ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos*

Ecclef. 5. 12.
Diuitiæ vitam, & mortem pariunt.
Titi 1. 15.
Isa. 65. 13. & 14.

& vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis. Et Auctor operis imperfecti super D.Matthæo peroptime ad hanc rem, inquit: *Quia non estis de terra, nec de terra venistis, sed pro tempore de terra accepistis terram, vt per terram vincatis terram; sed de cælo estis, & de cælo venistis, & iterum redituri estis in cælum, nisi vltimo remanere volueritis in terra. Illic ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam habes.* Ecce quo modo differunt inter se diuites boni, & mali.

Auctor operis imperfecti super Matth.

Theophylactus.

Theophylactus hac de materia agens, pulcherrimam afferens distinctionem, inquit: Vobis notandum est quemadmodum Christus Dominus noster dupliciter diuites nominans, diuersimode ait: & vbi in vno loco difficile asserit à diuitibus saluari, in alio etiam impossibile esse ponit. In D.Matt. 19. impossibile ponit, dicens: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Marc. autem c. 10. difficile habet, non dum impossibile dicens: *Quam difficile qui pecunias habent in Regnum Dei introibunt.* Quæ re nunc varietas ista? Iste Doctor respondet dicens: Animaduertite, quòd Dominus non semper vnimode de his loquitur, sed semel de diuitibus, & semel de his, qui diuitijs abundant: esse diues, & firmiter tenere absolutum diuitiarum suarum esse dominum, & expendere posse illas sicuti sua ipsum trahit voluptas, ita, vt numquam putet se rationem de illis redditurũ. Verum diuitias habere, & recordari, quòd, quamuis diues illis dominatur; recordans tamen à Deo se easdem accepisse, omnia secundum Dei voluntatem expendere debet: Itaque qui diuitias habent, saluantur, sed qui diues est hoc in sensu saluari impossibile est. Et si ergo vlterius progredior dicens, quòd camelus per foramen acus pertransire, intelligi non debet pro cannabo, seu pro fune, prout dicere velimus, nec pro acus foramine simpliciter acus cauum, sed pro animali vere camelo vocato; & pro acus foramine quædam Ierusalem porta ita appellata, quæ cum angusta existat, & depressa, transeuntibus per eam camelis, & plurimo labore genuflectere, & per eamdem proficisci necesse erat: nunc Dominus in vtroque tam Matthæi, quam Marci loco quidem pro difficili habet, sed non pro impossibili diuitem saluari posse: & dicere vult, quòd, sicuti camelus, pondere oneratus, per angustam portam, quæ acus vocatur, transiens, sibi genuflectere, multum pati, & sufferre

Matt. 19.24.

Marc. 10.23.

Diuitum distinctio pulcherrima.

Camelum per foramen acus pertransire quid est.

ferre

ferre laborem est necesse: ita diues ob diuitiarum pondus, quod in se conseruat, ipsum maximo labore cæleste Regnum adipisci nulli dubium accidit.

Et quidem quatuor sunt illa, quæ peccato magnam subministrant occasionem. Primum nobilitas est, secundum libertas, corporis forma tertium, quartum autem diuitiæ. Nobilitas, quia nobile, ac potente errante, nullus inuenitur, qui eum redarguat, & ideò secundum voluntatem suam agit: ac, si consulitur, non audit: de hac prima D. Gregorius in Pastoral. loquebatur: *Nemo* (scilicet) *tam in Ecclesia nocet, quam vir peruerse agens, si nomen vel ordinem dignitatis habet, delinquentem autem eum redarguere nullus præsumit*. De secunda autem Aristoteles 6. Ethic. *Praeminentes nihil curant*. Secundum, quod peccatum nutrit, ac conseruat, est libertas: iuuenes fræno carentes, & duce, facile vitijs se committunt, præcipue mulieres. Vnde Eccles. 25. hoc ad institutum aiebat: *Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum*. Tertium est corporis forma, quæ quidem nisi à Dei timore cohibeatur, statim se præcipitem dat: *Fallax species, & vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur*, Prouerb vltimo clamant. Quartum, & vltimum diuitiæ sunt, quæ diuersa subministrantes commoda, vt edendi, & bibendi, spatiandi, ac luxuriandi, animas molles, debilesque reddentes eas facile in peccata præcipites incidere faciunt. Vnde nondum Poëta ille cecinit:

Peccatà ex quatuor augetur.

D. Greg. in pastorali.

Arist 6. Ethic.

Eccl. 25. 35.

Prou. vlt. 30.

La gola, e'l sonno, e l'oziose piume
Hanno dal mondo ogni virtù sbandita:

Petrarcha.

Sed Ezech. 16. melius satis, dicens: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium*. Pratum, si aqua satis abundet, magna quantitate, flores, herbasq. emittit; at si superfluit aqua, ita coercetur, ac demergetur, quòd nil producet boni: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*. Quid nam putatis (ait Propheta Dauid Psal. 72) diuitias esse? nil quidem aliud sunt, nisi vberrima aqua, quæ ob plurima commoda pratum mentis hominis suffocat, & mulieris: eamq. omni virtute, omnique bona qualitate sterilem reddit. Aliqui (& doctissime quidem) diuitias sic male ministratas coëquant montibus Hiperboreis appellatis, in Scythia existentibus; & hoc tribus ex causis. Primo, quia in ipsis pretiosiora oriuntur, vt aurum, argen-

Ezech. 16. 49

Simile.

Psal. 72. 7.

Diuitiæ vberrima aqua sunt.

Simile.

Diuitiæ similes montibus quibusda scythiæ.

 cum,

tum, margaritæ, & similia. Immò quidam alij dicunt hos montes in producendis talibus diuitijs omnibus alijs supereminere; & ideò diuitijs de iure æquari possunt. Secundo ex siluarum vastitate; nam dicti montes à densissimis, vastissimisque siluis circumdantur. Quamobrem eosdem difficile ascendere quisque potest. Sic diuitiæ maxima vigilia custodiuntur,&,vt acquirantur,magnum inest onus. Tertio,& vltimo (quod ad nostrã rem attinet)in dictis siluis omnia brutorum ferorum animalium genera, & præcipue quinque immanissimorum,ac feracissimorũ animantium species nascuntur. Quorum prima gryphes sunt immensitatis tantæ,quòd non tantum homines, sed equos, bouesq. in aerem attrahunt & vnguibus, & rostro. Secunda sunt pardi diuersorum colorum animalia. Tertia tygres cursu velocissimi,ac leuissimi. Quarta pantheræ, quæ odore animalia, vt ea deuorare, ac deglutire possint, alliciunt. Et demum sunt tanti valoris,ac immanitatis canes, quòd ipsosmet tauros interiungunt,leonesq. interficiunt: Et en ad vnguem tria diuitum genera,quæ in orbe inueniuntur, qui diuitijs male vtentes,quas Deus eis est elargitus, peroptime his quinque animalium generibus assimilari possunt. Et primo, quæso dicite mihi, quidnam gryphes sunt, nisi diuites illi,atque potentes,qui per fas, nefasq. ceterorum facultates volunt? Quid nam sunt, inquam, nisi tyranni illi, qui vectigalibus, nouisq. machinationibus pauperum cruorem exugunt? Quibus optimo iure accomodari potest illa ouiculæ parabola à Nathan propheta reperta, vt Regi Dauid peccatum, & exprobaret, & improperaret, in pauperem Vriam perpetratum; quemadmodum in 2. Reg. c.12. legitur, vbi clare dicitur, quòd *diues habebat oues,& boues plurimos valde; pauper autem nihil habebat omnino*, tamquam diceretur; Hoc est profecto inhumanum, dirumq. principes, mundiq. domini, tantis potiuntur prouentibus, fructibus tantis, tantisq. vectigalibus: attamen nouas inuenientes machinationes, parum sanguinis, quod in pauperum visceribus viget, ac remanet, vel superest, etiam bibere diligenter inquirunt. Secundario quid nam pardi sunt diuersorum colorum, nisi diuites illi, qui varijs tergiuersationibus, modisq. negotiorum, permutationum, emptionum illico maximum diuitiarum cumulum efficere volentes, rem mille iniustis modis, ac vijs, milleq. latrocinijs acquirunt? Vnde Prou. 28. ad hoc institutum dicebant: *Melior est pauper*

Diuitiæ maxima vigilia custodiuntur.

Diuites mali animalibus brutis assimilantur.

2. Reg. 12.

Prou. 28.6.

per ambulans in simplicitate sua, quam diues in prauis itineribus. Tertio quid nam sunt tygres in cursu leuissimi, nisi illi diuites mercatores, qui ambitione ducti euadendi principes, ac domini, maiori pretio, quam valet vnum pro altero vendunt, & hunc, illumq. modo defraudantes, præcipuè simplices, ac pauperes, illos statim domos, vineas, oppida, castra emere cernitis, & tam alta petere, quòd aliorum, & domini, & heri efficiuntur? At de his Ecclesi. 13. aiebat: *Diues iniuste egit, & fremet*. Quarto quid nam sunt pantheræ, quæ odore alia ad se animalia liciunt, nisi diuites illi, qui sub hypocrisis velamine, vel huius, vel illius rerum substantias ad semetipsos trahunt ita, vt sæpe sæpius, & familiæ, & domus, dirutæ, & quassatę euadãt? Et de quibus Ezech. 27. clamabat: *Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos*. Et denique quinto, quid nã sunt canes tantæ magnitudinis, tantiq. valoris, nisi illi diuites ipsorum inuidi æmulatores omnia optantes, vectigalia, mercimonia, negotiationes amplectuntur, & tandem tamquam famelici canes, nihil est, quin præ manibus habere velint, vt insatiabilitatem, & rabidum animum, quibus auri, & argenti afficiuntur, saturarentur. Et de his aiebat Isaias 56. *Et canes imprudentissimi nescierunt saturitatem*: quemadmodum illi nempe canes, qui hinc, illinc per diuersoria, per lanienas, per domos vagantur, & qui denique immorantur numquam, nec vmquam saturati videntur: ita, inquam, isti tales vbique, & manus, & curas ponunt, nec præter ipsos neminem negociari, & nundinari posse vellent.

Ecclesi. 13. 4.

Ezec. 27. 33.

Isa. 56. 11.

SECVNDA PARS.

DVO hactenus capita Lectionis percepistis. Primum quorum fuit, diuitias in seipsis malas non esse. Secundum extitit, easdem tales (scilicet malas) euadere cum eis quidam male vtitur. Duo altera nunc enucleanda supersunt, idest, quòd etiam paupertas indifferens accidit, & bona, vel mala esse potest: & demum, paupertas quomodo talis euadit. Hæc ergo duo in hac secunda parte exactè tangemus. Et primum, paupertas non modo mala non est, sed tam grata Deo existit, quòd ipsemet pro throno, suaq.

sede illam habet. Quod autem hoc veritatem redoleat, audite quid nam de ipso in Exod. 24. dicitur: *Et viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis saphyrini, & quasi cælum cum serenum est.* Quem locum expendens D. Ambrosius lib. Examer. cap. 8. sic legit: *Super quem requiescam, nisi super pauperem?* Esse enim pauper thronus Dei palam est: ex Isai. 66. vbi dicitur: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu?* Est ergo paupertas thronus saphyrinus, in quo Deus cum maiestate residet: nam, sicut saphyrus est cælestis coloris, sic paupertas saphyrina est, ac cælestis, in Deo solum opem collocans, ipsumque cælorum regnum, tamquam mercedem expectans, iuxta illud Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hinc videre potestis igitur quanti splendoris apud Deum paupertas habeatur.

Exod. 24. 10. — *Ambr. lib. Examer. c. 8.* — *Isa. 66. 2.* — *Paupertas thronus Dei.* — *Saphyrus est cælestis coloris.* — *Matth. 5. 3.* — *Pauperum distinctio.*

Verum est non quemquam pauperem istam laudem mereri, sed tantum verè pauperem. Et hoc secundum, & vltimum Lectionis caput erit. Vbi notandum est, tria pauperum genera inueniri: pauperes scilicet, re non autem spiritu: pauperes spiritu, & non re: pauperes verò, & spiritu, & re simul. Primi, qui re, non autem spiritu pauperes sunt, non modo cari, & grati Deo sunt, sed potius exosi, morosiq. ei sunt: illiq. existunt, qui licet pauperes sint, non ideò quiescunt. Et propterea, vel per fas, nefasq. indirectè, grassationum, latrociniorum, & fraudum vijs rem habere, manusq. implere quærunt: vel saltem de Deo conqueruntur, quod tã pauperes eos fecit: & de his ipsemet Deus aiebat, Eccl. 25. *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde anima illorum, pauperem superbum.* Secundi spiritu non re sunt pauperes; & illi sunt, qui fortunæ bonis gaudentes, secundum Dei voluntatem ea expendunt; & relictis rursus nouis vijs indirectis, nimiaque cura, cum Diuo Paulo dicunt: *Nos autem non immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulaque mensus est nobis Deus.* Tertij (& hi sunt verè pauperes) re pauperes existunt, & spiritu: illiq. sunt, qui re non abundantes, sed rem habere possunt, rem minime volunt: immò eam paruipendentes, & amore Dei à se amouentes, sponte seipsos eis priuant. Et de hoc Christi consilium sistit in Euangelio Matth. 19. cum dixit: *Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus,*

Pauperes bonorum & non spiritus, qui sunt. — *Pauperes spiritus, & non bonorũ, qui sunt.* — *Pauperes bonorum & spiritus qui sunt.* — *Ecclesi. 25. 3.* — *2. Cor. 10. 13* — *Matt. 19. 21.*

Hinc

Hinc est, quòd pauper spiritu comparatur à non nullis arbori abieti. Vnde Isai. 55. *Pro saliunca ascendet abies*. (Simile. Isa. 55. 13.) Primo, quia abies ipsa sublimiter augmentatur: vnde secundum Isidorum dicitur, abies ab eundo, eo quod præ ceteris arboribus in altum eundo porrigitur: est enim expers terreni humoris; ideoq. leuis arbor est. (*Pauper spiritu abieti comparatur. Isidorus.*) Vnde secundum Aristotelem, qui arbor subtilis humoris est; ideò eius naturalis calor à Solis calore fortificatus, humiditatem illam sursum trahens, ac illam in substantiam arboris conuertens, arborem ipsam altam facit, & reddit. (*Aristoteles.*) Similiter pauper spiritu, cum sit expers terreni desiderij, spiritualiter leuis ad ascendendum, subtilisque ad contemplandum efficitur. Vnde diuino confortatus amore, ac sursum tractus vsque ad cælum miro modo crescit, surgitque, iuxta illud Genes. 41. *Crescere me fecit in terra paupertatis meæ*. (Gen. 41. 52.) Secundo, quia, sicut abies rectilinealiter eleuatur: est enim arbor nihil quasi habens tortuositatis; & hoc propter caloris attrahentis, & humoris obedientis virtutem: sic pauper spiritu recto itinere ad cælum scandit: ita quod in nullam partem, neque ad dexteram prosperitatis, neque ad sinistram aduersitatis retorquetur; (*Pauper spiritu nō retorquetur, nec ad dexterā prosperitatis, nec ad sinistram aduersitatis.*) quia ex quo mundum contemnit, nec eius aduersa metuit, nec prospera quærit; nam calor diuini amoris eum ad superna trahit, cuius abstractioni animus eius per terrenum affectum non resistens, directo spiritu sursum tendit, obedit, & sequitur. Vnde D. Chrysost. ser. 18. super epist. ad Hebræos ait, quòd paupertas est manuductrix quædam in via, quæ ducit ad cælum, vnctio authentica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, & portus tranquillus. (*D. Chrysost. ser. 18 super epist. ad Hebræos.*) Tertio, & vltimo, quia abies est faciliter inflammabilis; nam, quia eius humiditas vnctuosa est, igni applicata, facile inflammatur: sic quoque pauper spiritu habet humiditatem vnctuosam, idest, affectionis mentis, deuotam. Ideoq. igni diuini eloquij, vel ipsius sancti Spiritus applicatus, statim inflammatur. Vnde Psal. 104. *Eloquium Domini inflammauit eum*. (Psal. 104. 20.)

Et tam hoc in sensu pauperes Deo grati sunt, quòd vbi in alijs occasionibus, & querelis, quæ ad ipsum pergunt contra peccatores, solum pro pauperibus spiritu iudex efficitur, & fit iudex simul, & paraclitus. (*Deus pro pauperibus iudex, & paraclitus efficitur.*) Quatuor querimoniarum genera Deum adeunt contra varios peccatores. Primum contra eos, qui naturæ consuetudinem in contrarium muta-

runt; & in hos feuerissimus est iudex, sicut in Gen. 18. cernitur, vbi dicitur: *Clamor Sodomorum, & Gomorrheorum multiplicatus est; & peccatum eorum aggrauatum est nimis*. Secundum est in eos, qui mercedem operarijs fraudarunt: vnde D. Iacobus 5. aiebat: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Tertium est homicidiariorum: vnde Deus de innocenti cruore Abel ab iniquo Cain perfuso dicebat: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Quartum, & vltimum est veros in pauperes oppressio: vnde Exod. 3. dixit Deus: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui*. Omnibus his in locis Deus inquam, vt iudex, sed in hoc pauperum parte non modo tamquam iudex, sed tamquam ipsorum patronus, & procurator questus intendit, & accipit. Et quod verum extet, audite Psalm. 9. *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor*. Quidam patricius gallinam habet domi, & accipitrem: dum ambo viuunt, accipitri ab ipsismet heri manibus cibum porrigitur, & ipse domi, & cõmodis magnis, & blandicijs seruatur, ac retinetur: sed paupercula gallina in pullario, in specu, & similibus in locis clauditur: sed in morte tandem hoc integrum non seruatur, & aliter accidit; gallina interficitur, & bene parata, & condita in argenteis maponomis collocatur, & in mẽsam portatur à seruis sic, vt denique cibus heri fiat, & ipsiusmet domini. Moritur accipiter, & omni demissa æstimatione, in sterquilinium deijcitur, & ignem. *Mortuus est pauper, & portatus est ab angelis in sinu Abrahæ: mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Nonne videtis hinc quam gratitudinem pauperes spiritu Deo afferunt?

Gen. 18. 20. D. Iac. 5. 4. Gen. 4. 10. Exod. 3. 7. Psal. 9. 14. *Simile*. Luc. 16. 22.

Quam egregiè paupertatis virtutem innuit Spiritus sanctus in Apoc. 2. cum dixit: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam; sed diues es*, & est sensus, scio opera tua bona esse, & quod bonorum tuorum temporalium iacturam feceris: sed quia scio etiam, quod omnia libenter sustinuisti, & voluntariam paupertatem amplexus es; igitur diues es bonorum spiritualium, vt intelligant omnes ipsos vna Dei confidentia, & morum probitate diuites, ac potentes esse; virtutumq. opibus, ac præsidijs abundare, quæ sola debet in veris diuitijs poni. Itaque quilibet virtutis studiosus, & si pauper sit quo ad vulgi opinionem; ditissimus tamen coram

Apoc. 2. 9.

Deo

Deo est æstimandus. Cuius rei gratia traditur ab Vgone Cardinali, videlicet, iustus peregrinus est, dum hic agit, & instar peregrini pauperem vitam ducit; sed in patria tamen sua, quæ cælum est, habet repositas diuitias, sicuti pauper non debet censeri mercator, qui maximis in patria opibus circumfluit, quamquam extra patriam egenus videatur. qua de re legendus est D. Augustinus lib. 1. de Ciuitate Dei c. 10. Vbi inter alia: *Sancti* (inquit) *amiserunt omnia, quæ habebant: Numquid Fidem? Numquid pietatem? Numquid interioris hominis bona? Quis est ante Deum diues? Hæ sunt opes christianorum*. Hæc ille. Concludendus est etiam Clemens Alexandrinus lib. 3. Pedag. c. 6. & D. Paulus 1. Timoth. 6. ait: *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia*. Et Regius Vates Psalm. 64. inquit: *Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.* Quem locum non de terræ elemento, eo quod hæc terra, qua vtimur, non locupletetur, sed ipsa potius homines fructuum suorum vbertate locupletat: sed de humano corde, qui tunc dicitur diues cum omnia Dei amore à se abiecit, & repulit: vel si ei auferuntur, turbationem non patitur, sed Deum ipsum laudat, & glorificat, vt noster egit Iob.

Pauper voluntarius ditissimus apud Deũ. Vgo Cardin.

August. lib. 1. de Ciuit. Dei c. 10.

Clement Alex. lib. 3. Pedag. c. 6.

1. Tim. 6. 6.

Psal. 64. 10.

Hinc oritur, quòd Scriptura de eius facultatibus mentionem faciens, quatuor animantium genera nominat, scilicet, oues, boues, camelos, & asellos. Et D. Thomas hunc exponens locum dicit: quod in ouibus victus denotatur, & indumentum: Cameli significant quod res ante, & retro ferant, boues pro excolenda tellure, & asini pro mulorum generatione, qui inde sibi inseruient, & alijs curiæ suæ magnatibus equitandi. Vlterius idem dicit. Dici etiam potest, quòd oues, & boues pro sacrificijs inseruiebant, cameli pro prælio, & asini pro oneribus hinc, illincque ferendis. Et familia multa, vt bene ipsam custodiret. Origenes ait, quòd Iob nec aurum, nec argentum habebat, sed pecora solum: quod quidem esse non potest; nam, vltra quòd Rex potens esset, & diues, hinc est quod rationi consentaneum non est, ipsis carere: immò post infortunia, vel miserias dicitur in c. 28. quòd omnes coniuncti inaurem auream vnam ei fuere largiti. Sed Scriptura hæc appellat animantia, vt Iobis bonitatem diuinitus innuat, qui licet facultatibus abundaret: pauper tamen spiritu erat; & ideò appellat animalia viua propter spiritus viuacitatem: & non ea mortua nomi-

D. Thomas.

Origenes.

Aristot. 1. Polit. c.5. & 6.
Bona quæ sunt vera, & naturalia.

nat, ſicuti aurum, & argentum; & quia Iob ſolum animam erga illas ob vitæ humanæ fulcrum retinebat: de illis agitur, & non de iſtis. Et propterea ille ab Ariſtotele 1. Polit. cap. 5. & 6. veræ, ac naturales facultates vocantur. Et iure optimo, quia in ipſis humanæ vitæ neceſſitas collocata eſt. E contra noſtris temporibus, niſi aurum, & argentum non quæritur. Et ideò mundi finem attigiſſe dicere poſſumus: nam aurum ſub humo extat: res autem, vt cernimus, in terram reducuntur.

DVO-

DVODECIMA LECTIO.

De Fidelium Congregatione.

IN QVA QVATVOR EXPLANANTVR. Primum, quòd Congregatio hæc filiorum, ſcilicet, Iob, ad conuiuium in vnum collecta, vbi dicitur: Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium, fidelium Congregationem ſignificat. Secundum, quòd domus vbi conuiuium celebrabatur, vbi dicitur per domos, Eccleſiam catholicam denotat. Tertium, quòd epulæ, quibus veſcebantur, vbi dicitur, vt comederent, & biberent, partes pœnitentiæ ſunt. Quartum, & vltimum, quòd conuiuium, quòd ſine intermiſsione fiebat, vbi dicitur, vnuſquiſque in die ſuo, conuerſionem peccatoris differri non debere demonſtrat.

Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnuſquiſque in die ſuo. Et mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent, & biberent cum eis. Iob 1. 4.

PRIMA PARS.

CARA equidem, ſemperq. grata Deo ſic extitit pœnitentia, & peccatoris conuerſio, quòd vt ſatisfactionem particularem (vt ita dicam) ipſe de ea demonſtret, & verbis, & factis ſub cenæ, conuiuijq. nomine, & depinxit, & deſcripſit. Et quod pateat quo ad facta, nō ne reminiſcimini Magdalenæ conuerſionem; quæ, cum fuerit illuſtrior, celebriorq. omnibus, quæ in orbe extitere, Phariſæi *Conuerſio peccatoris Deo ſemper grata.*

riſæi

risæi domi fuit confecta, dum ad lautum conuiuium Christus Dominus nôster vocatus fuit? Et quo ad verba, cetera relinquens, dico, quòd non solū ipsemet Christus in Matt. 22. cum conuiuio à magno rege confecto depinxit eam, cum ait:

Matth. 22. 2. *Simile factum est regnum cælorum homini* Regi, *qui fecit nuptias*; sed & Spiritus sanctus hoc in loco mystice pro Iobis filiorum conuiuio, & innuit, & ostendit. Et ecce, in his breuis textus verbis omnia conuiuio vniuersaliter conuenientia inueniuntur. In conuiuio multi vocantur: hic autem Iobis filij. Vnde dicitur: *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium*. Vlterius conuiuium insignibus, præclarisq. domibus celebratur: en hoc in Iobis filiorum regalibus domibus conficiebatur. Vnde dicitur: *per domos suas*: quod ita intelligitur: In tertio loco, in conuiuio varia interueniunt fercula: in hoc autem laute edebatur, & bibebàtur, vnde dicitur: *Vt comederent, & biberent*. Et tandem quarto in loco, conuiuium non differtur quemadmodum exorditur: hic verò in determinatis diebus exequebatur: vnde dicitur: *Vnusquisq. in die suo*. Quatuor hæc ad peccatoris conuersionem spectantia hac in præsenti Lectione enucleabo: duo, scilicet, in prima, ceteraque duo in secunda parte. Attendite.

Conuiuium in præclaris domibus celebratur.

Lectionis diuisio in quatuor capita.

IBant *filij eius, & faciebant conuiuium, &c.* At primum textus ait, quod filij masculi feminas natas vocantes conuiuium celebrabrant. Quod quidem nil aliud mystice designat, quam fidelium congregationem, ex iustis compositam, & peccatoribus, & prædestinatis, & præscitis: Et quod non sit dubium, masculos filios innuere iustos, & prædestinatos: feminasque peccatores, & præscitos, ex sacris Litteris, & chartis patet. Et ego iam in secunda Lectione perfuncta dixi vobis, quod Origenes illum Exod. 1. locum exponens, in quo Pharao obstetricibus præcepit, quòd in filijs hebræorum recolligendis, masculos interficientibus, feminas tantum seruarent; ait, quòd in feminis carnis debilitas intelligitur; in masculis verò rationis vis, & fortitudo, quæ nempe rerum cælestium ad contemplationem erecta, terrestres, ac transeuntes fugit, & floccifacit. Et ideò dum Deus Numer. 1. præcipit, vt populi numerus describatur, tantum de masculis mentionem fieri vult, non autem de feminis: immò de illis tantummodo masculis, qui vigesimum annum attige-

Fidelium congregatio ex iustis, & peccatoribus, nec non ex prædestinatis, & præscitis composita.

Exod. 1. 16.

Numer. 1.

attigerant: quo in tempore vires magis virent, & valent. quo modo (vt dixi) iusti pro masculis, peccatores autem pro feminis designantur: & iam tunc diffuse hæc explicauimus. Nunc addo, quòd omnes isti vnà vsque ad iudicij diem congregari debent, quo in die boni à malis inde seligentur. Hinc est, quod Christus Dominus noster hanc congregationem, & militantem Ecclesiam delineans, nunc agro, frugibus, zizanijsq. repleto comparauit hoc pacto, quòd fruges pro iustis, & prædestinatis, zizaniæ autem pro peccatoribus, & præscitis haberentur. Nunc areæ frumento plenæ, & paleolis: frumento, videlicet, pro illis; paleolis, pro istis. Nunc verriculo bonis, malisque piscibus abundans: bonis, pro illis, malis pro istis. Nunc gregi agnis, & ouibus cumulato; Agnis pro illis, ouibus pro istis. Nunc Virginum sapientium, ac fatuarum socialitate: sapientium pro illis, fatuarum pro istis. Et (vt his finem imponam) ideò Sponsa in Cantic. 1. pro sancta Ecclesia dixit: *Nigra sum sed formosa*: nigra dixit, pro malis, formosa, pro bonis. Et ratio (ò docti) hæc est, quòd Ecclesiæ coniunctio non est iustitia (vti Anabatistæ perperam affirmant) & quòd soli iusti in Ecclesia viuant, nec minus est prædestinatio (vti falso Caluinistæ affirmant) sed sancta est Fides; itaq. aliquis quamuis magnus operum peccator existet, & licet vti præscitus debet in peccato mori, & damnari. Attamen veram dum retinet Fidem, dumque illud credit, quod ipse verè credere, profiteri, & tenere debet, veræ Christi Ecclesiæ membrum verissime semper dici potest. Nec minimum quidem obijcitur, quin Ecclesiæ Christi simus, nisi error in Fide. Duæ vniones, duæq. coniunctiones in Christo existunt; vna, scilicet, illorum, qui Christo vniti sunt propter iustitiam confirmatam, & irreuocabilem; altera illorum, qui vera Fide sibi sunt coniuncti. In prima existunt Beati; in secunda nos viatores sumus tam iusti, quam peccatores. Et ideò dicimus conuiuium, quod filiorum Iob hodie textus narrat, clarissimam esse eius figuram; nam omnes concurrunt, & masculi, & feminæ; masculi, pro iustis; feminæ, pro peccatoribus.

Ecclesia militās quibus comparata est.
Matt. 13.25.
Matth. 3.12.
Matt. 13. 47.
Matt. 25. 32.
Matt. 25.1.
Cant. 1. 5.
Ecclesia ligamen non est iustitia, nec prædestinatio, sed Fides.

Per domos vnusquisque, &c. Et ecce secundum conuiuio necessarium, domus, scilicet, vbi celebrari debet, quæ, etsi hic à textu plurali numero assignatur: hoc (ait Origenes) intelligi debet quo ad præcipua habitacula; nā omnes, tam pater, quam filij palatium habitantes, vt fieri solet, singuli à singulis

Origenes.

gulis

gulis distinctum habitaculum habebant: & ideò per domum dici potest quo ad principalem domum, domos quo ad singulas, atque particulares. Vel (& melius est) diuersis vtebantur habitaculis vno ab alio discretis: quoniam illo primogeniti habitaculo ruente, omnibus congregatis, Iobum, vt ei excidium nuntiaret, quidam procul accersiuit. Ecce ergo quòd eâdem domum, nō simul habitabant: quinimmò textus dicit: quòd singulis domus angulis quatuor ruentibus, omnes etiam corruerunt: quamobrem ipsemet Iob etiam in mortem incideret, si domus ipsis vnica tantum fuisset; attamen hoc non contrariatur illi, quod ego dixi: nam sanctæ Ecclesiæ domum repræsentans, per optimè quadrat; quæ licet vnicum corpus extet, tamen diuersa ei membra existunt, & in Oriente, & in Occidente, & in Septentrione, & in Meridie. Iobis filij diuersas habitabant domos, verum est; sed pro conuiuio in vnica inde congregabantur. Itá Ecclesiæ variæ sunt; sed omnes in Fidei conuiuio celebrando, & Sacramentorum, in vno conueniunt, quod est Ecclesia sancta, Catholica, Romana: & in hac tantum gratia inuenitur, ac peccatorum remissio. Vnde iure Christus sponsus Cant. 6. eius caræ sponsæ dicebat: *Vna est columba mea, perfecta mea*. Et Psal. 21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*. Et in Exod. 12. magis ad rem nostram: *In domo vna comedetur*, idest, hoc admirabile conuersionis peccatoris conuiuium non potest fieri, nisi intus hanc domum vnicam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

Ecclesia licet vnica sit habet tamen diuersa memb a.

Ecclesia vniuersalis vna est.

Cant. 6.8.

Psal. 21.21.

Exod. 12.46.

Hoc innuere voluit Abacuch 3. cum Ecclesiam Lunam nuncupauit, dicens: *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo*. Quem locum D. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 32. de Ascensione Domini esse vult dicens: *Ascendit Christus in cælum, & ordinata est Ecclesia sub regno suo*. Idem docet epist. 119. ad Ianuarium cap. 5. super illud Eccles. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol, stultus sicut Luna, mutatur*; sed multo luculentius idem docet in Psal. 10. super illa verba: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum; parauerunt sagittas suas, vt sagittent in obscuro*: seu (vt habent Septuaginta) *in obscura Luna rectos corde*. Vbi D. Augustinus docet Ecclesiam appellari Lunam, & hoc pluribus de causis. Primo, quia ex parte spirituali lucet, ex parte autem carnali obscura est, sicut Lunæ globus semper partim lucet, partim verò est obscurus, & aliquando spiritualis pars in bo-

Abac. 3.11.

D. Aust. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 32. & in epist. 119. ad Ianuarium cap. 5.

Eccl. 27.12.

Psal. 10.3.

Septuaginta.

Ecclesia Luna nuncupatur.

in bonis operibus apparet hominibus: aliquando verò in conscientia latet, & Deo tantummodo nota est, sicut contingit cum oramus in corde, & quasi nihil agere videmus, dum non ad terram, sed sursum cor habere iubemus ad Dominum. Igitur non vno modo (inquit Beatus Augustinus) *Obscura Luna dici potest; nam & cum finitur menstruis cursibus, & cum eius fulgor nubilo interpolatur, & cum plena deficit, dici potest obscura* Luna. *Rectos corde, siue adhuc in Ecclesiæ nouitate, quia non dum terris maior effulserat, & gentilium superstitionum tenebras vicerat, siue linguis blasphemorum, & non christianorum male difformantium, quasi nebulis obtegeretur, videri perspicua* Luna *non poterat, siue ipsorum* Martyrum *ceditur, & tanta effusione sanguinis tamquam illo defectu, & obscuratione, qua cruentam faciem Luna videtur ostendere à nemine christiano debebantur infirmi.* D. Augustinus.

Eamdem prosequitur D. Gregorius lib. 17. Moral. cap. 10. vbi locum Abacuch citatum eodem modo cum Augustino intelligit super illa verba Iob 25. *Ecce* Luna *etiam non splendet, & stellæ non sunt munda in conspectu eius, quia* (inquit) *nec sancta Ecclesia virtute propria tot miraculis emicat, nisi hunc preuenientis gratiæ perfundant, nec singulorum bene viuentium mentes a peccatorum maculis mundæ sunt, si, remota pietate, radicentur.* Hæc ille. Ad Ecclesiam etiam refert illud Psal. 8. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum,* Lunam, *& stellas, quæ tu fundasti.* homil. 17. super Ezechielem: *Solem,* inquit, *nominare voluit; quia, videlicet, ipsi æterno* Soli *loquebatur, de quo scriptum est Malach. 4. Et orietur vobis timentibus nomen meum* Sol *iustitiæ: de quo reprobi in fine dicturi sunt, Sol iustitiæ non ortus est nobis,* Sap. 5. *Hinc enim* Sol *non solum* Solem, *Lunam, & stellas homines sanctos spiritualiter fecit.* Denique D. Hieronymus in cap. 66. Isaiæ affert pro Ecclesia illud Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt* Luna, *electa vt* Sol? Additque Lunam Ecclesiam appellari, quia pace, & persecutionibus creuit, atque decreuit: & oppressa tentationum tenebris, rursus pristinum lumen assumit, habetque splendorem à Sole iustitiæ; cum Ecclesia Luna sit, rectè Christo Soli comparatur, quoniam illuminat, implet, perficit, & pulchram, speciosamque reddit. Secundo Ecclesia comparatur Lunæ ratione pulchritudinis; nam semper Luna cum ceteris sideribus comparata, eximium pulchritudinis

D. Greg. lib. 17. Moral. c. 10. Iob 25. 5. Psal. 8. 4. *D. Greg. hom 17 super Ezechiel.* Malach. 4. 2. *D. Hieron. in c. 66. Isaiæ.* Cant. 6. 9. *Luna symbolum eximiæ pulchritudinis.*

nis symbolum fuit. Vnde Ouidius in epist. ad Leandrum, ait:

Ouid in epist. ad Leandrum.

Quantum cum radijs fulges argentea puris
Concedunt flammis sidera cuncta tuis:
Tantum formosis formosior omnibus illa est.

Et Horatius dum laudes Deorum, & hominum prosequitur, Augustum cum ceteris viris clarissimis comparat, ceu Lunam cum stellis, dicens:

Horatius.

Micat inter omnes
Iulium, sidus velut inter ignes Luna minores.

Hippolyti pulchritudinem amplificat quoque apud Senecam Chorus.

Conferat tecum, Deus, omne priscum
Fama miratrix senioris aeui
Pulchrior tanto tua forma lucet.
Clarior quanto micat in orbe pleno,
Cum suos ignes, coeunte cornu,
Iunxit, & curru properante pernox
Exerit vultu rubicunde Phœbeo:
Hæc tenent stellæ faciem minores.

Cantic. 6. 9.

Theodoretus.

Qua re etiam sponsæ comites cum Luna conferunt sponsæ pulchritudinem Cant. 6. dicentes: *Pulchra vt Luna.* Et Theodoretus inquit: *Vt discrimen inter illam, & stellas indicarent, & vt ipsius Lunæ perfectionem ostenderent: quasi dicerent, vt Luna plena nitens, non exilia ostentans cornua, non semiplena, non decrescens, sed perfecta, & toto orbe splendida, non quid pia retinens imperfectionis, sed totum globum lucidum præseferens.* Hæc ille. Quo indicatur, Ecclesiæ perfectio, & sanctitas in nocte huius mortalitatis, & præsentis vitæ, nam in futuro resurrectionis, & beatitudinis die erit electa vt Sol. Qua propter dixit Eccles. 43. de Luna: *Vas castrorum in excelsis in firmamento cæli resplendens gloriose,* idest, Lunam esse inter reliqua cælestis militiæ lumina: vas, instrumentum, aut ducem etiam reliquorum militum admirabilem, gloria luminis, & pulchritudinis præpotentem.

Ecclesia pulchritudo.

Eccles. 43. 9.

Ecclesia vna sicut Luna.

Denique tertio, & ad nostrum facit institutum, Ecclesia comparatur Lunæ; quia, sicut Luna vnica est, sic Ecclesia vna tantum in toto terrarum orbe. Hic animaduertite qui me auscultatis, quòd ego nunc non loquor de illa numerali vnitate; sed de illa vnionis, ac conformitatis vnitate, quam non parum D. Paulus Apostolus Ephes. 4. extollebat, dicens:

Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et, vt, in quid hæc stet vnitas, demonstrem, ab ipsomet D. Paulo non discedam, in eodem loco aiente, quod ad istam conficiendam vnitatem in vnica hominum congregatione, vt vos reminiscamini, oportet, scilicet, quod *vocati estis in vna spe vocationis vestræ*, & quod *vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma*: Sancta Romana Ecclesia, quæ solum hanc vnitatem habens, sola etiam remanet Ecclesia, veraque Petri nauicula: extra quam nulla est Ecclesia; quia harum vnitatum nulla in illis inuenitur. Et quidem quo ad Spei vnitatem, incertum non est, omnes hæreticorum factiones æternam vitam sperare; sed media ità differunt, quibus multi eorum diuersimodè sperant, quòd Spei vnitas ista appellari nequit, nec vna Spes illo modo vocari potest, quo D. Paulus capit eam. Et hoc plurimum patet; nam inter ipsos alij vitam æternam sperant, absque operum merito: alij cum operum merito hactenus in infantibus: alij autem cum operum merito, sed tantum in adultis; Videte ergo vos, si vna Spes est. Sic quo ad vnus Dominus. Hoc illud est, quod Diuo Petro, in Diuo Matthæo cap. 16. aperuit Christus, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc illud est, quod eidem in D. Ioan. cap. 21. expressit, scilicet: *Pasce oues meas*. Hoc idem in Diuo Luca etiam c. 22. sic: *Conuersus confirma fratres tuos*. Et propterea Ecclesia semper nuncupatur regnum, non autem Politia, non Aristochratia: & iure quidem; nam cum vnius tantum regimen melius existat: hoc igitur Ecclesiæ attribui debet: *Vnus eligitur; vt capite constituto, scismatis tollatur occasio*; ad hoc institutum Diuus Hieronymus aduersus Iouinianum aiebat præter centum rationes, & auctoritates centum, quas huic rei consonas adducere possem. Sed huius vnitatis tertium attingamus. Vnum Baptisma. Circa quod, auditores mei, animaduertite, quòd ego non dico, hæreticorum Baptisma reiterari debeat: immò non ignoro equidem, vbi materia, forma, & intentio existunt, à quo Baptisma conferatur, minimè referre. Vlterius scio, quòd, cum hæretici materia, forma, atque intentione baptizant, illo vtantur baptisma, quod proculdubio vnum est, & etiam nobis. Sed dico profectò, quòd inter hæreticorum innumeras factiones multi sunt, qui veri baptismatis vice, infatuatis ipsorum cærimonijs vtuntur, quæ baptismata minimè appellari

Marginal notes: Ephes. 4. 3. — *Hæretici habēt spem æternæ vitæ, sed diuersis medijs.* — Matt. 16. 18. — Ioan. 21. 17. — Luc. 22. 32. — *Ecclesia vocatur regnum, non Politia.* — *Hieron. aduersus Iouinianum.* — *Hæreticus baptizat habens materiam, formam, & intentionem faciendi illud, quod facit Ecclesia Christi.*

Hæretici non habent vnitatem Fidei.

lari queunt: Et ideò inter ipsos omnes non datur vnum baptisma; præter, quod inter eos aliqui intersunt, qui Baptisma reiterant. Igitur Baptisma vnum non est. Ita quo ad quartum, vna Fides, scilicet (ò infelicium hæreticorum Chaos) quorum de integris Angliæ, Germaniæ, Galliæq. prouincijs, ne loquamur: ne loquamur etiam de integris ciuitatibus: sed, proh dolor, in eadem domo hæc non reperitur vnitas Fidei. Quoties aliud pater credit, tenet aliud filius? aliud vir, vxor aliud? aliud soror, frater aliud? aliud seruus, herus aliud? insuper dico quoties ipsemet, & homo, & mulier mutantur? & (quod peius est) ijdem, qui docent, quo modo variant? Lutherus quoties circa Sacramentorum numerum titubauit diuersus? Caluinus circa Eucharistiam quoties sententiam mutauit? Augustana confessio saltem ter versa est. At de Vvittembergensi vrbe Saxoniæ Dux aiebat: Nescio quid hoc anno credant: quid verò anno proximo futuro credituri sint vicini mei Vvittembergenses. Demum Babellica turris est hæresis, in qua Deus ita labium confundit, quòd omnes diuersimodè credunt, & hinc illa eis Fidei necessaria vnitas deest: sed de his hactenus: mihi sufficit quòd nostra Romana Ecclesia vna sit, sicuti ita infallãter est: in qua vnimodè omnes speramus, vnimodè baptizamus, vnimodecq. omnes eandem Fidem profitemur. O pulchram vnitatem, vnitatem sanctam. Et cum gloriosa hæc planta suos ramos omnia per climata diffuderit; nunc ab Orientalibus Indijs, & partibus Catholicus egrediatur, ex Perù proficiscatur, ab alta Æthyopia pergat: vel ab Anglia veniat, vel vltra, Polum versus, vbi viuunt; & multi: omnes isti separatim interrogentur: responsa eorum conferantur: omnia eadem similia eadem extant, cuncta vnum, & dicto sanctæ Genesi cap. 11. conforme, scilicet: *Erat autem terra labij vnius*, quia Ecclesia vna est; quia in ea est vna Fides, est vna Spes, vnus Dominus, vnum baptisma: quia tandem vna est Petri nauicula in huius mundi mari. Sacrosanctam vnitatem. Cui non nescitis (ò Roma) quid addatis velim? Vnitatem amoris proximi, fraternæ caritatis vnitatem, complementum, & totius spiritualis ædificij perfectionem. Fidei vnitas in intellectu fundatur. Vnde D. Paulus 1. Cor. 1. *Id ipsum dicatis omnes: & non sint in vobis scismata*. Amoris vnitas in voluntate fundatur. Audite in Act. Apost. cap. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna*. Vnum cor,

Hæretici semper inter ipsos discordant.

Hæretici quomodo variant.

Catholici vbiq eandem Fidem profitentur, & habent.

Catholici inter seipsos concordant.

Gen. 11. 5.

Fidelium vnitas in quo consistit.

Fidei, & Caritatis vnitas fundatur in intellectu, & in voluntate.

1. Cor. 1. 10.

Act. 4. 32.

cor, & anima vna Christicolæ esse debent, quia vna præcise euangelij nauicula erat. Verum est, quòd erat in mari, in medio mari, vt demonstretur Ecclesia Christi esse laboris, & patientiæ nauis, contritionis, ac pœnitentiæ, splendoris, ac doctrinæ, timoris, & confidentiæ, amoris, & benignitatis, fidei, & obedientiæ, humilitatis, & perseuerantiæ; & ideò militans appellatur Ecclesia; quoniam in hac (o Roma) laborare, inuigilare, pati, timere, sedare, amare, sperare, confidere, humiliare, in operationibus difficilibus affici, in orationibus inuigilare, in tribulationibus pati, naufragium pertimescere, sedare afflictiones, proximum amare, sperare in Deo, in Christo confidere, in seipso humiliari, perseuerare, firmareq. in bono oportet. Hæc sunt facienda à Christi nauim habitare volentibus: *Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis*, dixit D. Paulus Actor. 27. ad hanc rem. Sed non nescitis qua de re? Quia, etsi in mari est: attamen qui de non naufragando laborat, eam tutam reddit.

Ecclesia militās est laboris, & qua de re.

Actor. 27. 31.

SECVNDA PARS.

VT *comederent, & biberent, &c.* Ex quatuor hodiernæ Lectionis capitibus iam cumulate prima in parte de duobus disseruimus. Nunc tertium, quod est de epulis, quæ in dicto conuiuio ferebantur, sequitur: quas lautissimas, & copiosissimas fuisse credendum est; quæ quidem epulas, quæ in conuersione peccatoris interueniunt, coëquant. Sed optimum est prius scire, quo ad litteræ sensum, an ista conuiuia frequentia, ac quotidiana erant (sicuti innuere videtur textus) vel rarò, & solum à Iobi filijs celebrabantur? Hebræi affirmant, quòd semel in integro anno septem continuis diebus celebrarentur: idemque Origenes: Caietanus à dicta sententia partim in hoc concordat, partimque discordat; dicens, quòd, etsi frequentia non erant, nec quotidiana; tamen pluries in anno diuersis temporibus celebrabantur. Aliquo notabili interuallo inter vtrumque vergente, prima sententia ab Origene probatur, dicens, ista conuiuia sancti Paschatis, Scenophe-

An conuiuia filiorum Iob erāt quotidiana.

Hebræorum opinio circa conuiuia filiorū Iob.

Origenes.

Caietanus.

giæque hebraicæ similitudines erant: quæ inde in Lege scripta obseruari debebant, vbi Hebræi celebrantes ea, septem continuis diebus (vt in Deuteron. cap. 16. legitur) iubilabant. Secunda Caietani sententia hoc probari potest, scilicet, quoniam frequentia, & quotidiana conuiuia citius ad luxuriæ, sensualitatisque luem inclinant, quo ad caritatis, & amoris fraterni vinculum, ad familiam ab homine instructam ea sapientia, eaque sanctitate, qua omnes Iob antecellebat, non spectabant: præter quod (vt ait Caietanus) quotidiana, ac frequentia conuiuia fastidiunt, & nauseant: nihilominus communis sententia est, dicta conuiuia, & quotidiana, & frequentia extitisse; quod quidem eodem textu probatur, in quo dicitur, quòd Iob, pro defectibus, qui occurrere dictis in conuiuijs poterant, quotidie sacrificia offerebat: *Sic faciebat Iob singulis diebus*. Et aliorum dictis respondens, quo ad Origenis sententiam, scilicet, quòd ista conuiuia typus, ac similitudo septem dierum festi Paschatis, ac Scenophegiæ extarent, dico, quòd nullum habens fundamen, potius simplex est coniectura, quam aliud; & ideò ab alijs non approbatur. Et quo ad Caietanum, verùm est, quod frequentia, ac quotidiana conuiuia, profanè celebrata, ad luxum, ac sensualitatem trahunt; sed quæ ad caritatem, fraternumque amorem ordinantur, ac sobriè celebrantur, non ità se habent: sed potius fratrum, ac sororum, mutuum amorem, caritatemque seruant: immò ordinatim, ac sobriè celebrata etiam valitudinem custodiunt. Et hoc conuiuiorum genus non parui æstimatur: & similia debebant esse Iobis filiorum conuiuia. Sed si sic est, qua re igitur Iob sacrificia offert, vt dictis conuiuijs satisfaciat? His Diuus Gregorius respondens hoc in loco ait, quod Iob non offerebat sacrificia propriè pro defectibus conuiuiorum, sed pro aliquo discrimine, qui in prætactis conuiuijs perpetrari poterat, cum celebrari non possint absque aliqua labe, præcipuè respectu linguæ, quæ à potu calefacta, & à cibo, ad inordinata progredi solet. Sed hæc transeant: ego autem ad supradicta rediens, sequor, quod, cum conuiuia quotidiana, ac frequentia fuerint, tenendum est, epulas etiam bene conditas extitisse. Et per consequens omnia, quæ in peccatoris conuersione conueniunt, repræsentant.

Deuter. 16.

Conuiuia parca caritatē paternam conseruāt.

D. *Gregorius*.

Et appositè quinque sunt. Quorum primum est gratia

Dei

Dei præueniens, de qua dicitur Psalm. 79. *Conuertere Domine, & eripe animam meam*. Secundum seruilis pœnarum timor; & ideò dicitur Isa. 11. *Et replebit eum spiritus timoris Domini*. Tertium, spes veniam peccatorum accipiendi: & ideò dicitur Hebr. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum*. Quartum, Dei amor; & ideò dicitur 1. Petr. 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum*. Quintum, & supremum, gratia est iustificans; & propterea dicitur 1. Corinth. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum*. Primo, præuenientis gratiæ ferculum necessarium est; qua Deus peccatorem ad pœnitentiam vocat: ex hac inferni pœnarum timor scaturit. Tertio in loco in Dei bonitate peccator sperat. In quarto, ad eum amandum se mouet. Et in quinto, se iustificat. Primum Propheta Regius assimilat in Psalm. 63. maris conuersioni in continente: *Qui conuertit mare in aridam, &c.* Cor peccatoris est mare: *Cor impij quasi mare feruens*, in continens vertitur cum à gratia tactum obedit, ac ad conuersionem se disponit. Secundum, innuitur etiam in Psal. 63. in petræ conuersionem in aquam: *Qui conuertit petram in stagna aquarum*: petra peccator est, aquæ autem lacrymæ sunt à pœnarum timore emanantes. Tertium, in Ioele est cap. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem*: Sol pars rationis est, Luna sensus peccatoris altera pars, ab vtrisque propter spem, quam peccator in Deo habet, maximus oritur motus. Quartum, in Exod. 15. figuratur, in quo dicitur, quòd amaræ Marath aquæ per lignum à Moyse in eas profusum, & immersum dulces euenere: aquæ sunt peccator, amor Dei lignum est. Et denique quintum innuitur in Ioan. 2. vbi aqua in vinum versa est: aquæ peccata sunt, gratia iustificans vinum est; tunc peccator ex aqua se vertit in vinum, cum è peccato ad gratiam transit. Hæc autem sunt huius sacri conuiuij epulæ. Vel dicamus, quòd in conuersionis conuiuio Deus vnà cum peccatore concurrit, & ambo suas ponunt epulas. Peccator tres appositè ponit, quæ pœnitentiæ sunt partes, idest, contritio, confessio, & satisfactio: & reliquas tres ponit Deus, quæ tria sunt munera ad integram pœnitentiam concurrentia, scilicet, peccatorum remissio, gratiæ collatio, & gloriæ promissum. Et ità admirandum iustificationis peccatorum conuiuium celebratur.

Peccator in conuersione quinque epulas ponit. Psal. 79. 4. Isa. 11. 3. Hebr. 11. 1. 1. Petr. 4. 8. 1. Cor. 15. 10 Psal. 63. 6. Isai. 57. 20. Psal. 63. 6. Ioel 2. 31. Exod. 15. 25. Ioan. 2.

Ad iustificationem peccatoris Deus & homo conueniunt.

Et mittentes vocabant sorores suas, &c. Hoc vltimum est

à me vobis enucleandum. Textus ait, quòd assidue ad conuiuium sorores, absque aliqua repugnantia, statimque ad eum adibant. Quòd quam concinnè significet nobis quid peccator efficere debeat in eius ad Deum conuersione clare patet, idest, solertia, & celeritas, quibus peccator conuersionem hanc ad Deum, & hoc admirandum conuiuium celebrare debet, & ocius crimina relinquere, & gratiæ munera perquirere. Et quidem peccator sex causis quam citissime, vt ad hoc conuersionis, & iustificationis conuiuium proficiscatur, disponere se debet. Primo ob obseruantiam expectantis eum. Pontifex, Rex, Imperator, vel alius Princeps sedet expectans hominem, aut mulierem, non tantum, vt audiat eius necessitatem; sed, vt ei iuuamen afferat, & honorem, & coram omnibus ad suam cœnam secum ducat, regijsque vestibus eam decoret, & ornet: è conuerso mulier tam tarda, & segnis accedit, quod iratus Princeps, sententiamque permutans, honoris vice, eam punitione, & dedecore afficere putat: *Nè tardes conuerti ad Dominum: subito enim veniet ira illius*. Eccles. 5. Peccator, quæso, dic mihi, quot iam ab hinc dies sunt, quot menses, immò quot anni, in quibus Deus te, vt pœnitentiam ageres, expectauit? Attamen nihil quidem decernis, immobilis es? Nè admireris igitur, si Deo in diem irascente honoris, ac præmij vice, vituperium, & pœnam ab ipso recipies.

Peccator sex rationibus debet ad Deum se conuertere.

Simile.

Eccles. 5. 8.

Secunda causa, quæ mouere debet peccatorem, vitæ dubium est. Aues super arboribus hilares interdum cantabunt; venator perspicit eas, & cum tormento, vel cum balista ad eas se applicans, antequam illæ eum percernant, is iacula dirigit, & interficit: *Nisi conuersi fueritis arcum suum vibrauit, & tetendit illum: & in eo parauit vasa mortis, &c.* Fieri quidem potest (peccatores) quòd non præuideatis mortis venatorem vndique paratum, vt vos interficiat? Qua re ergo tam à cantus suauitate superamini? ab huius vitæ sensualitate, inquam, quòd inde interfecti ad sepulcra, & infera asportabimini? Insanus quidem ille existimabitur, qui ab hostibus circumdatus, à quibus omnibus eius cedes quæritur, quam primum ab ipsorum manibus aufugere, & seipsos liberare non peruestigaret: *Posuit me Dominus quasi signum ad sagittam*, Threnor. 1. Sed dicite mihi, in quo nam conflictu, vel prælio tanta gens mori visa

Simile.

Vitæ humanæ incertitudo debet peccatorem commouere.

Psal. 7. 13.

Simile.

Thren. 1. 12.

visa est,& populus, quemadmodum euenit, & fit, omni ætate, omnique tempore? Numerosi decidunt senes, iuuenes, pueri, & demum mors nemini parcit; attamen peccatores, tamquam columnæ, stabiles, à peccatis, & malis operibus numquam se abducunt. *Mors nemini parcit.*

Tertia causa, ob temporis breuitatem, Autumnus venit, Hyems ingreditur, pluit, iniungit, tempus mutatur, variatur aer, nubes adueniunt: tamen ad aliquem diem illud tranquillatur: & ecce rusticus, seu colonus, semen, ac frumentum paratum habens, arat, seminat, ac serit: qua re tam cito? Ne illud bonum, proportionatumq. tempus conterat: *Numquid adhuc, & in breui conuertetur Libanus in Carmelum?* ait Isaias cap. 69. Mons Libanus ex seipso sterilis est, & infructuosus: & è contra Carmelus fœcundus, & frugifer existit: hoc innuere vult, quòd sterile citissimè in fructuosum mutari non potest. Nil sterilius peccatore, nihilq. pœnitente fœcundius, & iusto: modo, vt iste sic difficilis fiat transitus, tempore est opus; & ne occasio, vel commodum perdatur, res protrahi, & prorogari non oportet; sed requiritur, vt quam primum mox animus adijciatur. *Simile.* Isai. 29.17. *Peccatore nil sterilius.*

Quarta causa est solicitudo, quam de sua Ecclesia tenet Deus. Pater familias pulchrum parat, & aptat viridarium, & in illo omnia plantarum genera conserit, & arborum fructiferorum, & expectat, vt crescant: cum tempus est, proficiscitur, vt fructum legat; & omnes circumspiciens, aliquas steriles, ac infructiferas inuenit: tunc quid agit? hortulanum aduocat, eique dicit: Inspice, & considera; omnes istas arbores signa infructiferas, & eas eradicando, abijce, nam nolo, vt hic humum occupent: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Regius Propheta ait, Psalm. 54. Scitote (fratres, & sorores) quòd sæpe sæpius eius Ecclesiæ viridarium Deus animaduertens, & intus varias inueniendo plantas infructiferas (peccatores, scilicet, qui nihil boni operantur) quid agit? Vitæ cursum amputando eis, mortis viridario imperat, vt mactet eos, & interficiat, & ad sepulcra trahat: & quoniam cælestes fructus producere noluit, & emittere; pro inferorum igne deseruiat. *Simile.* Psal. 54.24. *Peccatores plantas infructuosas repræsentant.*

Quinta ratio est, ob iniquitatem, qua tu erga Deum, erga Angelos, proximum, teque ipsum vteris. Erga Deum, inquam, qui assidue tuam conuersionem expectat, & quo magis immoraris, eo magis molestia afficitur: *Scis enim ipse* Tob. 11.4.

quoniam dies computat pater meus, & si tardauero, vna die plus, contristabitur anima eius, dixit ad hanc rem Tobiolus cap. 11. Erga Angelos, quibus procrastinatur solitum gaudium in peccatoris conuersione ab eis sentiendum: & de quibus ideò dicitur Luc. 15. *Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*. Hoc, inquam, contristatur eos, quo modo contristari possunt; quoniam *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Prouerb. 13. Erga proximum ob malum exemplum, quòd demonstrat illi. Duo simul pergunt, & ambulant; quorum vnus parum cernit, alter autem minus respicit; via obscura est, saxosa, foueosa, offendunt, labuntur, & ambo in eam cadunt: *Si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt*. Proh miserum mundum malorum exemplorum orbitate plenum, quibus alter alterum in tartari infernalis foueam trahunt. Et tandem erga seipsum iniquus est; quia peccata redolens propria bona perdit, & aliena. Ille mille scutorum censum agit, stat rei soluendæ tempus: illud, non soluit; & debitum ita crescit, vt pro satisfactione eius, propriam rem, in qua census fundatur, sibi vendere oporteat, nec non eius reliqua stabilia omnia: *Declinantes autem in obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem,* ait Psal 124. Regius Propheta. Scitote, quòd peccator, & retardando, & prorogando pœnitentiam, & protrahens soluere censum, cui soluere tenetur, quidquid sui, & aliorum dominatur, perdit: sui, quia omnia bona opera in peccato perpetrata, perduntur: aliorum, quia sanctæ Ecclesiæ bona ad vitam æternam capessendam nil penitus sibi prosunt.

Luc. 15. 10. Prou. 13. 12. *Simile.* Matt. 15. 14. *Simile.* Psal. 124. 5.

Sexta, & suprema causa est, quòd peccatum in homine, & in muliere inueteratum fortius euadit, naturalesque vires debilitat. Auicennas narrat, quòd viperæ, quibus aromatarij ad conficiendam thericam, & antitodum vtuntur, in plana tellure capi, &, eis decapitatis, decorticari debeant; nam viuas seruando, magis virosæ euadunt, & mortiferæ. Ideo Christus aiebat Pharisæis; *Progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* ac, si diceret. Quidnam peccatum est? Viperarum, ac aspidum virus, quod de repente nostram animam interficit, & quo magis in ea immoratur, eo magis, & forte, & firmum, robustumq. fit; & ideò necesse est, vt statim per pœnitentiam abijciatur. Item vires naturales in nobis debilitat. De quodam sancto Patre legitur, quòd de peccati pondere exemplum præbere volens,

Auicennas. Peccatum inueteratum fortius euadit. Matth. 3. 7. *Peccatum viperarum venenū.* *Exemplum.*

& de

& de animæ debilitate; suos discipulos aduocauit; & confecto lignorum fasce, vt eum humeris adaptaret, quasi certans, & vim agens; sed cum magni ponderis extaret, non potuit eleuare eum: tunc alia ligna addit, & rursus pro eleuando eo vim adiunxit: quod eo minus facere valuit. Tertio ligna denuò addidit, & pondere difficiliori euadente, discipuli de magistro conqueri cœperunt, qui impotens, minores, maiori quæreret pondere suis humeris fascem imponere. Tunc Magister respondit. Bene est. Ità ad vnguem accidit diu in peccato moranti: quoniam (vt interdum Christus Dominus noster dixit) cum sit asinaria petra, quo magis nostræ innititur animæ, eo magis forte efficitur, & ponderosum; ità, quòd ferè impossibile sit, vt liberari, ac euadi possit.

Peccatum mola asinaria est: Matth. 18.6.

Hinc scaturit, quòd peccatores habituati, ac consuetudinarij, & sæpe sæpius peccata etiam nolentes, & alliciuntur, & trahuntur. Videte taurum quam ferox est, & immanis: nihilominus, cum cornibus eius vincula intenduntur, vbicumque aliquis vult, eum trahit: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringuntur*, aiunt Prouerb. cap. 5. ac si insinuare vellent. Ea nimirum est impiorum natura, vt iniquitatem super extendendo, ab ipsa durissime ligetur, ducta similitudine à funibus, qui, vt longiores efficiantur, alij alijs nectuntur: sic enim impij iniquitatem iniquitati, quasi funem funi, addunt. Itaque longissimum funem conficiunt, quo ipsi constringuntur. Id verò fit tunc, cum iniquæ cogitationi iniquum consensum, consensui opus, operi consuetudinem, consuetudini necessitatem, necessitati excusationem, excusationi defensionem, defensioni impœnitentiam, impœnitentiæ desperationem, desperationi mortem inferni adijciunt; in qua ligati in æternum manebunt. Huc etiam spectat illud Prouerb. 7. agente de illo adolescentulo insipiente, qui falsis meretricis verbis fidem præstans, insequebatur illam, vbi dicitur: *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens*, siue (vt Septuaginta habent) *tamquam canis ad vincula; & nescit, quòd ad vincula stultus trahatur*. Impius namque victima diaboli est, & canis illius vinculis constrictus, qui ad nutum illi deseruit. Vnde D. Augustinus super Psal. 67. super illa verba: *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant*, siue (vt ipse legit) *amaricantes, qui habitant*

Simile. Prouer. 5.22.

Impij iniquitatem iniquitati, quasi funi funem addunt.

Prouer. 7.22.

Impius canis diaboli.

D. August super psal. 67.7.

in sepulcris; sic inquit: *Soluit grauia vincula peccatorum, quibus impediebatur, nè ambularent in via praeceptorum*. D.

D.Hieronymus. verò Hieronymus in hunc etiam locum: *Distat*, inquit, *inter peccatorem, & impium, quòd peccator appellatur, omnis, qui, vel in paruis, vel in magnis sceleribus decidit. Impius*

Peccator differt ab impio. *autem, qui, vel numquam Fidem recepit, vel enormitate scelerum ab ea, quam accepit anathema factus est, vel Catholicis publicis flagitijs inuoluti, qui funibus peccatorum suorum constringuntur cũ incessabili augmento suae prauitatis intereunt. Qui enim funem facit torpendo semper, vel inuoluendo, Fides fidibus auget: talis est fortitudo operum malorum, in quibus praua prauis nectentes, non aliud, quam quo se arctius obli-*

Ecclef. 9. 12. *gantur, agunt*. Hæc ille. Et Ecclef. 9. ait: *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo*. Pisces ità naturaliter sunt gulosi, & ad cibum auidi, quòd non aduertunt laqueum, siue hamum, quo capti, se dissoluere non possunt: sic impij hamo concupiscentiæ decepti ità prauis operibus ligantur; quòd ex se dissoluere seipsos non valent.

Simile. Hinc est, quòd impius potest seruo malo, & nequam assimilari. Primo, quia malus seruus ebriosus esse solet; ideoq. negligit bona domini sui: sic peccator concupiscentia inebria-

Eccl. 19.1. tur. Vnde Ecclef. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.*

Impius seruo malo assimi atur. Secundo, seruus malus est otiosus; & tempus, quo laborare debet, inutiliter expendit. Sic peccator totum tempus negligit. Vnde Matth. 20. dixit pater familias: *Quid hic totà die statis otiosi?* Tertio, malus seruus consumit domini sui bona: sic peccator dona naturalia, ac gratuita dissipat. Vnde Luc. 16. *Diffamatus est villicus, quòd dissipasset bona domini sui*. Quarto, malus seruus etiam admonitus perseuerat in malo. Sic peccator operi addit consuetudinem. Vnde

Peccator est otiosus.

Peccator dissipat opera bona.

Matt. 20.7.

Luc. 16. 1.

Iob 19. 16. Iob 19. *Seruum meum vocaui, & non respondit*. Quinto, seruus malus vsum conuertit in naturam: sic peccator, qui sæpe recidiuat in peccatum. Vnde Ecclef. 33. *Laxa manus illius, & quærit libertatem.* Sexto, malus seruus est proteruus: sic peccator necessitati addit excusationem. Vnde 2. Reg. 19. *Seruus meus contempsit me*. Septimo, seruus malus est rebellis Domino suo: sic impius excusationi addit defensionem. Vnde Ecclef. 7. *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, nè accomodes cor tuum, ne forte audias seruum tuum maledicentem tibi.* Octauo, seruus malus tandem efficitur ità durus, vt inimicus domini

Peccator consuetudinarius vsũ conuertit in naturam.

Ecclef. 33. 26

Peccator necessitati addit excusationem.

2. Reg. 19. 26

Ecclef. 7. 22.

domini sui videatur. Sic peccator defensioni addit impœnitentiam. Vnde Matth 18. *Serue nequam omne debitum di misi tibi.* Nono, malus seruus domino suo insidias ponit: sic impius impœnitentiæ addit desperationem. Vnde 4.Reg.21. *Tetenderunt ei insidias serui sui.* Decimo, & postremo, seruus malus, post multa flagitia ab ipso perpetrata, tandem carcere, & vinculis punitur, & ligatur: sic impius desperationi mors æterna (vt dixi) respondet. Vnde Ecclesf.41. *Seruo pessimo latus sanguinare,* vbi Glossa dicit: *Seruus, qui verbis non corrigitur, vulneribus corrigatur.* Et hoc hac in materia sufficiat. Ad primamq; rem rediens, ecce quatuor, quæ vobis dicenda sum pollicitus. Primum quorum est, quòd, cùm essent filij Iob masculi, & feminæ in conuiuio, omnium fidelium congregationem repræsentant. Secundum est domus, in qua conuiuia celebrabantur, quæ sanctam demonstrat Ecclesiam, in qua Fidei conuiuia celebrantur: huius autem conuiuij epulæ pœnitentis sunt operationes. Et (vt finem dictis imponam) alacritas, qua Iobi nati ad conuiuium accedebant, insinuat, ac docet alacritatem, & promptitudinem, quam, vt pœniteat, peccator habere debet. Ite in pace.

Peccator excusationi addit impœnitentiam. Matt.18. 32.

4.Reg.21.23

Ecclesf. 42.5. *Gloss.*

TERTIADECIMA LECTIO.

De Dominica die.

IN QVA QVATVOR EXPLANANTVR: In primo, Iob eße summum Sacerdotem probatur. In secundo, de excellentia Dominicæ diei, videlicet, de nomine, de antiquitate, de prærogatiuis, ac de cultu illius loquatur. In tertio, de duplici Christi sacrificio. In quarto, de peccatis, quæ in conuiuijs perpetrari solent, scilicet, de gula, de crudelitate, de blasphemia, vel murmuratione, tractatur.

Iob 1. 5. Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensq. diluculo, offerebat holocausta per singulos: dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.

PRIMA PARS.

Differentia inter peccatorem, & iustum.

EQVIDEM hæc est inter peccatorem, & iustum notabilis, ac primaria differentia: hoc est, quòd, sicuti peccator ad peccandum leuissimus, & non laxus est: sic è conuerso iustus numquam benefaciendi videt satis, nec bene, ac merito operandi. De primo dixit Isaias cap. 59. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.*

Isa. 59. 4.

Apoc. 22. 11. Et de 2. Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* & ecce exem-

exemplum in nostro sancto Iob, qui, cum sanctus sit homo, & iustus; quotidie (ait textus) Deo holocausta offerebat,& instans erat, & perseuerans, ac diluculo, summoq. mane surgebat ad immolandum cunctis diebus: nec vmquam ab isto sancto opere cessando: *Cunctis diebus* (ait) *quòd immolabat.* Quæ circa verba quatuor dicemus secundum ipsummet textum. Quorum primum; An Iob in sacrificando victimas esset sacerdos. Secundum, qui nam dies erant isti, in quibus Deo immolabat. Tertium,quæ nam sacrificia erant ista. Quartum autem, quæ nam erat causa, quæ eum ad immolandum mouebat. De primo dicitur: *Mittebat ad illos Iob.* De secundo: *Cumque transissent dies conuiuij.* De tertio, *& sanctificabat eos.* De quarto autem, & vltimo: *Dicebat enim, nè forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deum in cordibus suis.*

Lectionis diuisio in quatuor capita.

Primum hic dicitur, Iob vocare filios ad sacrificium, quòd pro ipsis immolabat: qua opportunitate differunt Doctores, an Iob esset sacerdos, nec non. Vbi, quamuis Albertus Magnus, & quidam alij hoc negent: nihilominus Origenes lib. 1. Chrysost. in Catena, Hieronymus in epist. ad Eugenium, Philippus presbyter, Beda, & alij affirmant. Quod quidem non dum à quotidianis holocaustis, quæ immolabat, sed à regia dignitate, & à primo existimationis gradu, quo illa in regione omnes antecellebat, primum excipiunt: & deinde à ritu, & ab illius temporis consuetudine, in quo semper in Regum primogenito sacerdotium seruabatur: sicut D. Hieronymus affirmat in prætacta epistola, & in Hebræorum traditionibus in Genesim. Isidorus in Genesim cap. 25. & hoc in loco Philippus, & Beda, & Glossa in Genes. cap. 26. super illis verbis: *Vende mihi primogenita:* & ad Hebræos 12. loquens de Esau, qui vendidit primitiua sua. Et D. Thomas 1. 2. quæst. 105. art. 1. ad 3. & 2. 2. quæst. 87. art. 1. ad 3. omnes isti, inquam, affirmant, quòd Regum primogenitorum sacerdotalis dignitas erat. Et D. Hieronymus addit, quòd Melchisedech sacerdos magnus Noe primogenitus extiterit. Et tandem concludit, quod vsque ad Aaron assidue Regum primogeniti sacerdotium hæreditarunt; & quòd hæc esset primogenitura, quam Esau fratri Iacob vendidit. Et (quamuis Isidorus habeat) primogenituram, quam Esau Iacob vendidit, extitisse pretiosas vestes sacerdotales, quibus in offerendis sacrificijs primo-

Iob, an fuit sacerdos,

Origen lib. 1. Chrysost. in Catena

Hieron. in epist. ad Eugen.

Philippus presbyter.

Beda.

Hieron. in Hebraeorum traditionibus.

Isidorus in Genesim c. 25.

Philippus.

Beda.

Glossa in Genes. c. 25. 31.

D. Thom. 1. 2. q. 105. ar. 1. ad 3. & 2. 2. q 87. ar. 1. ad 3.

Melchisedech primogenitus Noe.

Primogenitura quam vendidit Esau Iacob, qua fuit?

geniti

geniti se induebant: tamen, quòd ipsiusmet sacerdotij dignitas extiterit, quæ sibi contingebat, vt primogenito, alij tenent. Qua de re D. Paulus Hebr. 12. vocat Esau profanum, ferè laicum, non consecratum, & sacra adeundi indignum: vocat etiam ipsum fornicarium. Quod vitium de Esau, cum in nullis, extra hunc, sacræ Scripturæ locis innotescat; hoc demum in sensu haberi oportet; hoc est, ille, qui sacerdotij hæreditatem vendendo, inde idololatriæ se dicauit, quæ in sacris Litteris fornicatio appellatur. Et quoniam Iob Zharæ primogenitus extitit, ergo erat sacerdotio decoratus. At, si dicis, quod etiam Abel fuit sacerdos, quia de primitijs Deo obtulit proprijs manibus sacrificium, & tamen primogenitus non extitit. Abraham (ait Origenes) sacerdos fuit, nec fuit Zharæ primogenitus. His facile responderi potest, idest, quòd, licet isti sacerdotes erant; non ideò summi sacerdotes. Et Isidorus 7. ethimol. 12. inquit, apud Romanos etiam eumdem morem vigere, quemadmodum de Numa Pompilio legitur. Et Suetonius ait, Galbam triplicatum sacerdotium obtinuisse. Denique Iob ob sapientiam sacerdos fuit: nam sapientes ordinario sacerdotes erant; & ideò Mercurius nomen Trimegistri obtinuit, hoc est, ter maximi, scilicet maximus Rex, maximus sapiens, & maximus sacerdos. Qui quidem ab Eupolemo in Euseb. de præparat. Euang. lib. 1. cap. 6. Moyses alter existimatur, qui ob sui sapientiam apud Ægyptios hoc obtinuit nomen. Et quòd pateat, sapientiam sacerdotio coniunctam esse debere, etiam Barbari cognouere, qui ab eorum sacerdotibus consilia, & responsa petebant suis in necessitatibus, nec non opportunitatibus. Cum ergo Iob in naturalibus, & diuinis (vt ex suis scriptis habetur) sapientissimus extaret: oportet igitur, quòd ne dum, vt Regum primogenitus, verum etiam, vt sapiens esset sacerdos, & summus sacerdos, & vt is, ad sacrificium vocando filios, illud pro ipsis Deo immolaret.

Heb. 12. 16.

Idololatria fornicatio in sacris Litteris appellatur.

Isidorus 7. ethimol. 12.

Mercurius Trimegisti nomen obtinuit propter sapientiam

Eupolemus in Euseb. de præparatione Euangelica lib. 1. c. 6.

Sacerdotio sapientia coniuncta erat.

Iob sapientissimus.

Dumque transissent dies conuiuij, &c. Peractis conuiuijs, idest, post septem dies: nam, cum etiam hoc in numero filij eiusdem vigerent; & ipsorum quilibet suum diem celebrans, septem quoque conuiuiorum dies esse oportebat. Vbi videtur (quemadmodum in præterita Lectione vobis explicaui) quòd non solum semel in integro anno secundum originem; sed assiduè inter seipsos hæc conuiuandi consuetudo seruabatur. Nam, cumque transissent dies conuiuij, & non totius

tius anni (inquit textus) ac si diceret, præteritis omnibus hebdomadæ diebus, in quibus assidue Iob filij vna alternatim conuiuabantur, Diuus Gregorius in 1. Moral. cap. 22. hunc locum allegoricè exponens, ait, quòd hic in septenario numero perfecta Euangelij prædicatio intelligi debet: quoniam tunc est perfecta, cum per ipsam adimplentur, ac omnia eius mysteria aperiuntur. Sed ad litteræ sensum redeamus, & dicamus, quòd post septem dies Iob Deo holocausta offerebat: quod quidem nil aliud figurabat, quam Hebræorum Sabbata, & nostrum Christianorum Dominicas: dies profecto celebres, Deoque gratissimos ob rerum spiritualium regimen. Sabbatum autem omittens, quod etiam nostræ Dominicæ figura fuit, & de ipsa loquens, de notabilissimis quatuor disserere possumus; primum, de nomine; secundo, de antiquitate; tertio, de prærogatiuis; & quarto, de cultu. Attendite.

D.Greg 1.Mor. c.22.

Sabbatum Hebraorum significatū in die quo Iob sacrificabat pro filijs.

Dominica diei figura.

QVo ad nomen hic dies, dies Solis, postea Dominicus appellatus est. Quod sit dies Solis perspicuum est ex eo, quòd septimus ab eo dies, quo Deus requieuisse dicitur, fuit dies Sabbati, vt habetur Exod. 20. Quod postea verò dies Dominicus sit appellatus, testatur D. Leo epist.81. ad Dioscorum,& in 6. Synodo tom.2. Conciliorum Can. 3. est: & de ea etiam Concilij Nicæni Can.20. qui dies triplex sortitus est nomen, dies Dominicus, dies panis, & dies lucis: cuius triplicis appellationis rationem affert D. Chrysostomus homil. 5. de Resurrectione. Dominicus, inquit, dies dicitur, hoc est, dies regalis, in quo Imperator ascendit ab inferis, de quo illud intelligitur, hæc dies,quam fecit Dominus; dies panis, quia in eo nouimus panem resurrectionis cælestis: Denique dies lucis, in quo fugerunt mentis tenebræ, iuxta illud Isaiæ 9. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.*

Dies Dominicus primo dies Solis fuit appellatus.

Exod. 20. 10.

D.Leo ep.81.ad Dioscorum & in 6. Synodo tō.2. Concil.c.3.

Concil. Nican. can.20.

Dies Dominicus triplex hab. nomen.

D.Chrys hom.5. de Resurrect.

Isa. 9. 2.

Hinc colligitur antiquitas huius diei cum ab eo mundus cœpit exordium: cuius meminit etiam D. Ignatius epist. ad Magnosianos; vbi eam Reginam,& Principem omnium dierum appellat. Origenes contra Cellum, Tertullianus de Corona militis, & in Apolog. 1. 16. Gaudentius in sermonibus, D. Hieronymus aduersus Vigilantium, Iustinus in quæstionibus à christianis positis quæstione 115. Diuus Basilius

Diei Dominica antiquitas mundus à die Dominico cœpit.

D Ignatius ep. ad Magnesian.

Origenes.

Tertullianus.

Gaudentius.

D. Hieronymus

Iustinus.

D. Basilius. D. Augustinus.

silius libro de Spiritu sancto cap. 27. Diuus Augustinus epistola 119.

Origenes. Athanasius. D. Hilarius. D. Basilius, D. Hieronymus. D. Augustinus. D. Leo epist. 81. ad Diosc. c. 1. Sexta Syn. to. 2. Concil. can. 8. Mundus in die Dominico sumpsit exordium. Synodus Caesariensis apud Bedam in epist. de celebr. Paschae. Exod. 16. 13. Origenes. D. Augustinus, Exod. 16. 26. Christus natus initio Dominicae diei. Sexta Synodus can. 8. D. Athanasius. Ioan. 5. 36.

Tertio loco obseruandæ sunt eius prærogatiuæ, de quibus agunt Origenes homil. 7. super Exod. D. Athanasius super illud Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*. D. Hilarius proœmio super Psalm. Diuus Basilius homil. 2. in Exameron. D. Hieronymus in cap. 4. epist. ad Gab. Diuus Augustinus ser. 121. de tempore. D. Leo epist. 81. ad Dioscorum cap. 1. Sexta Synodus tom. 2. Concil. Can. 8. Desumuntur verò prærogatiuæ à rebus memorabilibus, quæ cò die euenerunt, aut etiam adhuc euenturæ sunt. Primum enim (vt supra diximus) mundus in die Dominico sumpsit exordium. Secundo, eodem die Hebræi siccis pedibus mare rubrum transierunt. Ita Synodus Cæsariensis apud Bedam in epist. de celebratione Paschæ. Tertio, die Dominico primum mane pluit Manna in deserto, vt in Exod. 16. Quemadmodum docet Origenes, & D. August. locis citatis, id, quod probat Origenes ex 16. cap. Exod. vbi dicitur: *Sex diebus colligite. In die autem septimo Sabbatum est Domini*. Iccirco non inuenietur: *Qua re*, inquit, *si die Dominica pluit manna de cælo, & in Sabbato non pluit, intelligant Iudæi iam tunc prælatam fuisse Dominicam nostram Iudaico Sabbato; & iudicatum, quòd in Sabbato ipsorum gratia à Deo ad eos de cælo nulla descenderit*. Hæc ille. Quarto, initio diei Dominicæ creditur Christum Dominum fuisse natum, vt habet sexta Synodus Can. 8. Quinto, eodem die stella Magis apparuit, quemadmodum docet eadem Synodus. Sexto, baptizatus est in Iordane Christus, eadem Synodo testante. Septimo, quinque panibus, & duobus piscibus quinque hominum millia satiauit in deserto, ex eiusdem Synodi auctoritate. Octauo, Resurrexit à mortuis, vt eodem die, quo creauit mundum, ipsum renouaret; quemadmodum exponit D. Athanasius loco citato: N*on aliam* (inquit) *creaturam superaddidit; sed veterem renouauit, & quam incœpit facere consummauit, iuxta illud Ioan. 5. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam ea: qui enim ab hominibus requieuit, significat quidem fine, & consummatione indigere: ideoq. cum creaturam, iuxta sex dies conditam interpellaret, diem illam huic instaurationi consecratam voluit, quam Spiritus sanctus per Regium Vatem pronunciat: Hæc est dies, quam fecit Dominus: Solis enim instar*

Deus

Deus exoritur illustrans vniuscuiusque animum. Quo circa in salutifera passione non apparuit Sol indicens finem prioris creaturæ ad esse, & principium alterius superuenire, quæ diluculum suum in Saluatore consequuta est. Vnde Zachar. 6. dicitur: Ecce vir, oriens nomen eius. Hæc ille. Nono, die octauo post Resurrectionem, hoc est, Dominico, ianuis clausis ingressus est ad discipulos Dominus, eisque potestatem remittendi peccata concessit. Decimo, mandauit Apostolis, vt Euangelium toto orbe prædicarent; & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti sacramentum Baptismi conferrent. Vndecimo, Spiritus sanctus super discipulos descendit in die Pentecostes. Duodecimo, Dominica die futura creditur generalis hominum resurrectio, vt ait August. serm. 121. de tempore; & D. Hilarius procem. in Psalm. *Vbi*, inquit, *propterea Psal. 8. inscriptionem habere pro torcularibus vasculis, videlicet, in nouos fructus præparatis, & adferuentis musti liquorem continendum innouatis, perque vascula corpora nostra intelliguntur per Resurrectionem ad gloriam recipiendam reformata.* Hæc ille. Tertiodecimo, & postremo, die Dominico habuit Ioannes admirandas eius visiones, quæ in Apocal. continentur, vt ipsemet 1.cap. testatur, dicens: *Fui in spiritu in Dominica die*, legenda est epistola Bedæ de celebratione Paschæ, seu de æquinoctio verni, vbi decreta quædam Synodi Cæsariensis in Palæstina, & sex sacrificationes diei Dominicæ memorantur.

Quarto, & vltimo de huius diei cultu agit D. August. serm. citato, vbi huiusmodi obseruationem docet fuisse ab Apostolis institutam, eoque die Missam esse audiendam. Idemque docet Synodus Agathensis, Concilium Matisconense 2. & sexta Synodus: immò eius celebritatem Apostolus à Christo accepisse scribit Iustinus Philosophus, & Martyr in 2. Apologia pro christianis. Non est igitur mirum, quòd, cum hæc dies ita notabilis sit, Iob in eadem ad se filios aduocabat.

Et sanctificabat eos. Hoc tertium erit, quòd vobis fui pollicitus. Textus igitur ait, quòd sanctus Iob suos peraccersebat filios, & sanctificabat eos. Ab expositoribus quæritur primum, quo modo capitur ista sanctificatio. Origenes dicit, quòd ista sanctificatio erat, quia Deo preces, & orationes dabat, & de filiorum fœlicitate gratias fundebat

ad

Zachar. 6. 12

Christus die dominico apparuit discipulis ianuis clausis.

Christus in die dominico misit discipulos ad prædicandum.

Spiritus sanctus missus est die dominico.

D. Aug. ser. 121. de tempore.

D. Hilar. proœ. in Psal.

Psal. 8.

Die domini Ioanni fuerunt reuelata secreta.

Apoc. 1. 10.

Beda de celebr. Pascha, seu de æquinoctio verni epist.

Synodus Cæsariensis in Pal.

D. August.

Diei dominicæ cultus.

Diei dominicæ obseruatio ab Apostolis instituta.

Synodus Agath. Concilium Matiscon. 2. & sexta Synodus.

Iustinus.

Sanctificatio Iob erga filios, quæ erat.

Origenes,

Eugubinus. ad eumdem. Eugubinus, quòd oblationes, & hostias sacrificiorum emittebat, vt inde eas pro filijs offerret: & hoc habet ex D. Chrysostomo, qui Verbo mittere, sacrificium intelligit. Alij nihilominus volunt, & plures textui conformes, quòd Iob filios peraccersebat certo homine, eosque ad sacrificium admittebat; & quòd hoc verum sit, inde sequitur: *Et sanctificabat eos:* quod quidem communiter in Scripturis ad sacrificium spectat, vt cernitur in D. Ioan. 7. Vbi dicitur: *Et probis ego sanctifico*. Vel sanctificabat hoc in loco aliquam præcipuam cærimoniam designat, qua antequam ad sacrificium adirent, & mundabat, & expiabat. Et sic holocaustorum duæ erant actiones, vna purgabat ea, altera verò Deo immolabat. Quod profectò duplex nobis Christi Domini nostri holocaustum clare patefacit; vnum, scilicet, cruentum in cruce: in altari alterum incruentum: cuius propriam figuram repræsentabant duo illi arietes, quorum in Leuit. 28. præcipiebatur, vt vnus super altari immolaretur; & alter in desertum emitteretur peccatis onustum: ille crucis sacrificium exprimebat: hoc autem altaris Sacramentum. Vnde mittere nomen sumpsit, sicuti Missa, sanctæ Missæ.

D. Chrysost. — *Sanctificatio ad sacrificium pertinet.* — Ioan. 19. 20. — *Christi duplex sacrificium.* — Leuit. 28. — *Arietes Leuitici 26. sacrificiũ Christi repræsentabant.*

Hinc emanat, quod Isaias 16. rogando Deum, vt Messiam mittat, ab eo sub Agni typo petit, animalis sacrificio magis assueti, dicens: *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ; de petra deserti ad montem filiæ Sion*. In quo loco exploranda est primum quædam hebræorum sententia contemnentium haberi loco sermonem ad litteram de centum millibus Agnorum, centumque millibus arietum, quæ pro tributo Mesa Rex Moabitarum mittebat Regi Israel, quemadmodum refertur 4. Reg. 3. vbi ità Scriptura legit: *Porrò Mesa Rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat Regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis: cumque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fedus, quod habebat cum Rege Israel*. Cum igitur Rex Moabitarum id tributum mittere recusaret, volunt hebræi, prophetam, regnante Ezechia, Moabitas excitare, vt rursum eiusmodi tributum potentissimo Regi soluant. Factaque ad eos apostrophe dicere: *Mitte Agnum dominatori terræ* (sic enim ipsi legunt) hoc est, *mitte Agnos*, seu pendite tributum centum millium agnorum Ezechiæ regi potentissimo Principi, & verò, quamuis (vt auctor est D. Hieronymus)

Isa. 16. 1. — *Agnus animal assuetum ad sacrificium.* — 4. Reg. 3. 4.

nymus) vtroque modo legi poſſit, ex Hebræo, videlicet: *Emitte agnum dominatori terræ*: nihilominus hanc Hebræorum ſententiam ſignanter Rabi Ioſeph merum eſſe figmentum, ex eo præcipue oſtendit, quòd illud tributum non regi Iuda, ſed regi Iſrael ſoluebatur, vt patet loco citato 4. Reg. 3. neque adeò non erat, cur Iſaias, Moabites adhortaretur, vt Ezechiæ regi Iudæ illud perſolueret, neque cur ad montem Sion, ideſt, ad Ieruſalem illa agnorum millia mitti preciperentur; ex quo euidenter hebræorum commentum reijcitur: nam, ſi eſſet ſermo de tributo, quod pendebatur regi Iſrael, ad Samariam eius regni Metropolim, non ad Ieruſalem caput regni Iuda illa agnorum multitudo mitti deberet. Accedit, quod Ezechias non potuit abſolute, & ſimpliciter dominator terræ appellari, quippe qui duabus tantum tribubus in vna Palæſtinæ parte imperabat. Nec verò dici poteſt (quo alij confugiunt) per dominatorem terræ accipiendum eſſe Oſæam vltimum regem Iſrael, qui decem tribus obtinebat. Etenim cum hoc vaticinium edebatur, regnabat in Iuda Ezechias, quo regnante, regnum Iſrael fuit omnino euerſum, decemque tribus ab Aſſyrijs in captiuitatem ſubductæ cum Oſæa ipſarum rege: qua re non erant in eo ſtatu res illius regni, vt tam imperioſe mandari potuerit regi Moabitarum, vt tributum illud regi Iſrael perſolueret. Non deſunt etiam ex noſtris qui vaticinium alio detorqueant, velintque eſſe ironiam, qua Moabitarum ferocia, & arrogantia rideatur: quando conuocatis in auxilium Ammonitis aduerſus Ioſaphat regem Iuda, exercitum comparauerunt: vt ſit ſenſus, mitte nunc, ò Moabite, exercitum illum veſtrum dominatorem terræ, qui monti Sion dominetur; ſcilicet, eo ſtatu res veſtræ ſunt, vt aduerſus regem potentiſsimum bellum mouere cogitetis. Itaque iſti per agnum, ſeu potius, vt volunt, arietem inſtrumentum bellicum accipiunt, quod arietem appellamus, aut certè belli duces, ac principes, qui etiam eodem hebraico nomine continentur. Verum, hæc, quæ cum Iudæorum commentis cognitionem habent, omittamus; nec enim eſt à communi expoſitione recedendum, in ijs potiſſimum teſtimonijs, quibus noſtræ fidei myſteria confirmantur.

D. Hieronymus. *Hebræorum figmentum.* *Rab. Ioſeph.* 4. Reg. 3. *Hebræorum commentum reijcitur.* *Aries pro inſtrumento bellico.*

Vt ergò perſpicuum ſit hoc loco Meſſiæ regis aduentum poſtulari, qui eſſet ex puriſſima Virgine naſciturus; aduer-

Meſſiæ aduentus poſtulatur.

tendum in primis est pro eo quod nos habemus, emitte, haberi habraice, emittite, numero multitudinis: tunc verò, vel cum cælis ipsis loquitur Propheta, vt sentit Vatablus; quemadmodum ex cap. 45. eiusdem Isaiæ: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: vel (vt plerique existimant) ad Deum ipsum sermonem dirigit, propter mysterium Trinitatis: quæ expositio magis quadrat cum editione vulgata, quæ habet: *Emitte Domine*; quamquam enim voci illi, Domine, nullatenus in hebræo textu vox hebræa respondeat: credibile est tamen, aliquam in hebræo fuisse, vel *Eloim*, scilicet, vel *Adonai*, quam hebræi more suo expresserant, vt facilius sententiam suam de rege Ezechia statuerent. At verè Septuaginta Interpretes ad Deum ipsum sermonem referendum esse existimarunt; siquidem Deum ità loquentem faciunt: *Mittam Agnum dominantem super terram*. Ex qua translatione nouum sumitur contra Iudæos argumentum: qui contemnunt legendum esse non dominatorem terræ, sed dominatori terræ; quod tamen aliter Septuaginta interpretes intellexeruut, non dici, videlicet, vt Agnus mittatur dominatori terræ, sed vt Agnus dominator terræ mittatur. Quo fit, vt non sit sermo de tributo, quod regi Israel pendebatur: sed de agno dominatore terræ, hoc est, Messia; cuius aduentus prædicitur: & quo non rex Moabitarum, sed Deus ipse missurus sit. Igitur germana huius vaticinij interpretatio, ea est, quam affert D. Hieronymus, postulari, videlicet, hoc loco aduentum Messiæ, qui agnus ob multa dici debebatur.

Vatablus. Isai. 45. 8. Septuaginta. Septuaginta. *Argumentũ contra Iudæos.* *D. Hieronymus.* *Messias Agnus ob multa dicitur.*

Primo ob suam admirabilem mansuetudinem, quam in passione præsertim exhibuit: quam expressit Isaias 53. dicens: *Oblatus est, quia ipse voluit; & non aperuit os suum; sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet*: Quam etiam expendit Diuus Petrus 2. sua Canonica 1. *Cum malediceretur non maledicebat; cum pateretur non comminabatur*. Verum; quod mirum sanè videri debet, ob hanc ipsam mansuetudinem, principatum dicitur hic Agnus obtinuisse, quemadmodum cecinit Isa. 16. *Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion*. Secunda ratio sumitur ab Innocentia, quemadmodum docet Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Pascha. Tertia ex eo, quod Christi meritis à tam-

Christi mansuetudo in passione. Isa. 53. 7. D. Petrus 2. 23. sua Canonica 2. Isa. 16. 1. *Greg. Naz. orat. in sanctũ Pasch.*

tamquam Agni vellere induimur. Quæ ratio est eiusdem Nazianzeni loco citato, Diui Epiphanij lib. 3. contra hæreses, Diui Hieronymi super cap. 53. Isaiæ, qui ait non solum sanguine suo nos redemit, sed etiam lanis operuit, vt in fidelitate degentes, sua veste calefaceret, iuxta illud Diui Pauli ad Galat. 3. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis:* & ad Roman. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum*, atque hoc idem vellus, quo agnus iste cælestis nos induit, vere aureum est, vt eius obtinendi gratia multo plura subire debeamus pericula, quam fuerint illa, quibus Iason, & celeberrimi illi Argonautæ ad fabulosum illud vellus aureum quærendum se difficillimæ nauigationi obijcierunt. Quarta, & postrema ratio (& ad nostrum faciens institutum) est, quia veluti Agnus fuit pro hominum salute in cruce immolatus. Quæ ratio est Origenis homil. 24. super Numer. Immò, & Ioannis Baptistæ, cum dicitur Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: nimirum immolatus in cruce; quam etiam ob causam fuit olim expressus in iuge illo sacrificio legis veteris Numer. 28. in quo Deus præcepit, vt sibi quotidie duo Agni immolarentur: *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: vnum offeretis mane, & alterum ad vesperum.* Quo loco est obseruandum, quamquam in lege veteri multa animalium genera siue terrestria, siue volatilia litari consueuerant: nihilominus iuge sacrificium ex solis Agnis præceptum fuisse: quod, videlicet, expresse Christi sacrificium repræsentaret. Itaque cetera omnia sacrificia ad hoc sacrificium iuge, quasi adiungebantur; quia hoc solum quotidianum erat, quo significabatur; licet omnes Sancti, qui pro Christo passi sunt, præsint ad salutem fidelium; id tamen non habere, nisi quatenus Christi sacrificio adiunguntur. Eamdem ob causam fuit Christus expressus in signo illo, cuius sanguine præcepti sunt liniri postes, & superliminaria domorum filiorum Israel, vt Exod. 12. habetur: quemadmodum præter alios explicauit D. Gregorius homil. 22. super Euang. *Quis*, inquit, *sit sanguis Agni non iam audiendo, sed bibendo didicimus: qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solum de corpore, sed etiam de corde hauritur: nam, qui sic* Redemptoris *sui sanguinem*

Christi meritis tamquam agni vellere induti sumus.
D. Epiph. lib. 3. contra hæreses.
D. Hieron. super c. 53 Isaiæ.
Galat. 3. 27.
Rom. 13. 14.
Christus veluti Agnus in cruce immolatus.
Origenes homil. 24. super Num.
Ioannes Baptista.
Ioan. 1. 29.
Numer. 28. 3
Iuge sacrificium ex solis Agnis fiebat.
Exod. 12. 7.
D. Gregorius homil. 22. super Euangel.

guinem accipit, vt imitari passionem illius nedum velit, in vno tantum poste sanguinem posuit. Quid enim est illum ponere in superliminaribus domorum? Mens nostra domus est, cuius domus superliminare est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. Qui igitur intentionem cogitationis suæ ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminari domus Agni sanguinem ponit. Hæc ille.

SECVNDA PARS.

Sacrificia Iob figura sacrificij Christi Domini.

DIcebat enim, ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus, &c.* Explicatis iam duobus capitibus principalibus nostræ Lectionis; die, videlicet, in quo sanctus Iob sacrificia offerebat, nostræ Dominicæ typo, ac figura: sanctificatione, & sacrificio, quod pro filijs offerebat, typo, ac figura sacrificij Christi Domini nostri: nunc remanet tertium declarandum, causa, scilicet, quæ eum mouebat ad istam sanctificationem, & ad istud holocaustum. Et ecce: D*icebat enim, nè forte peccauerint filij mei*: timor, idest, quem habebat, ne filij in conuiuijs Deum offenderint. Tres (ò Roma) scopos sacrificium Deo oblatum habere potest: & hoc naturali in homine, & muliere instinctu. Primum, vt eum honoret tamquam auctor, & actor omnium; & ideò in sacrificijs humilitatis argumento creaturæ creatori immolabantur. Secundum, vt gratiæ de accepto beneficio Deo reddantur. Tertium, & postremum, vt veniam obtineamus commissorum peccatorum, vel tandem, vt aliquod optatum beneficium, & gratiam impetremus, & accipiamus. Hæc, inquam, tria, ita homini naturalia extitere, quod omnis ea in illo primo naturæ statu cognoscebat: & propterea in scripta Legge & declarata, & aperta omnibus fuere: & ecce tria distincta sacrificia, holocaustum, scilicet, hostia pacifica, & hostia pro peccato: quæ omnia inde in vnico, & admirabili Eucharistiæ Sacramento comprehenduntur. Et sic dicere possumus, quod sacrificium à sancto Iob oblatum, sit huius Christi sacrificij

Sacrificia pro tribus offerantur.

Sacramentum Altaris omnia sacrificia antiqua complectitur.

ficij expressa imago; & cò magis, quod, cum nullum sciatur præcipuum filiorum crimen, non pro venia impetranda, ideò distinctum, ac peculiare pro ipsis holocaustum immolare. Vnde textus ait: *Nè forte filij mei peccauerint*: ità quod dubitando de hoc, quidquid explanaui clare patet. Sed mihi dices, vnde hoc emanabat: forsitan in ipso hæc peccatorum cognitio vigebat? Ego, inquam, quod primum hoc à sanctitate oriebatur, & Iobi bonitate; quoniam homines, ac mulieres sanctæ nè dum peccata horrent, & fugiunt, sed quamlibet peccati suspicionem, & commodum quodcumque.

Alterum, quia conuiuia vix celebrari possunt absque aliqua gulæ, vel feritatis, vel inhonestatis, vel blasphemiæ imperfectione, ac defectu, & licet non tot mala, saltem murmurationis. Gulæ, de diuite Epulone dicitur, quòd *epulabatur quotidie splendide*. Duobus modis gulæ peccatum committi potest, primo frequenter; secundo splendide nimium perconuiuando. Ambos istos errores ille committit, qui sic epulis incũbit. Igitur gulæ crimen incurrit. Interdum cernetis quosdam immanes canes nunc laniená ingredi hãc, nunc illam, nec eis sufficit: & ideò nunc vnam, nunc aliam introeant cupidinariam; hinc ad cauponam transeunt, & demum numquam saturantur: *Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem*. Quid existimatis (ait Isaias c.56.) hos gulosos esse, qui eorum corpora Deum effinxerunt? Nil aliud quidem, quam immanium canum genus, qui quot in ciuitate foramina existunt, perquirunt, vt desiderijs eorum satisfaciant. Gulæ vitium in homine, & in muliere tres agit effectus; primo sensum à ratione desciscit: secundo, carnem in assiduo prælio, quod cum spiritu agit superesse operatur: tertio tandem, numquam dicit satis. Hinc scaturit, quod baccanalium tempus, in quo hoc peccatum multo magis præualet, ac viget, tripliciter appellatur. Primo carnisuiuium, carneualium secundo, tertio autem carnescialium. Carnisuiuium; quoniam ob gulæ peccatum nostra caro iustitiæ originalis munere est abdicata: quo quidem sensus rationi subijciebatur: quo pacto in Genesi cap.4. dictum fuit: *Sed sub te erit appetitus eius*. Vbi è contra pro gula, vel gulæ causa ita extitit ratio subiecta, quod per hoc vitium, vel huius vitij causa etiam infandum idololatriæ crimen inierunt, & incurrerunt; & ideò in Exod. 32. dicitur: *Sedit populus manducare, & bibere: & surrexerunt ludere*. Secundo, carne-

Conuiuia vix celebrari possũt absque aliqua imperfectione.

Simile.

Isai.56.11.

Gula tria vitia generat.

Gen. 4. 7.

Exod.32.6.

Caro media gula, praualet contra spiritum. ualium vocatur; quoniam per gulam caro aduersus spiritum præpotens est magis, quam alio instrumento, alioq. medio id operetur. Non ne videtis, quam sanctus, ac perfectionem redolens erat Loth? Attamen, quia inordinatè comedit, & bibit semel tantum, ità inebriatus est vino, quod incæsti crimen cum proprijs filiabus incurrit; & propterea Prouer-
Prou. 30. 9. bia c. 30. clamabant: *Nè forte satiatus illiciar ad negandum.* Denique tertio, carnescialium nuncupatur: quoniam sic concupiscentiam in homine, & in muliere accendit, & seruat;
Carnescialium, dicitur, quia carnis concupiscentiam in homine nutrit. quòd numquam tabescunt, nec vmquam languent, licet, quomodolibet senescat, & frigescat homo, vel mulier, nam si gulæ inordinatè incumbunt, & nimiæ cibi ingurgitationi: tamen caro eos molestia afficiet, & ad malum pronos efficiet. Non ne recordamini illos Susannæ sceleſtes senes, quod, cum essent nobiles, diuitijsq. pleni, & consequenter multis fruerentur commodis, ob formosam ipsam Susannam exarserunt, ac libidinem corruere? Hinc est, quod dæmon baccanalium tempore, vt exprobret, & derideat homines, quod eos vicerit per gulam in terrestri Paradiso, varios modos, & præ-
Prou. 27. 7. cipue ridiculos, & iocosos imitari facit. Vnde Prouerb. 27. aiebant; *Anima saturata calcabit fauum.*

Golosus durus est erga pauperes. Secundo, erga pauperes feritatem, duritiemq. immittit: quoniam ingluuiosus ita de insaturitate sui appetitus timet, quod nihil largitur, vel parum pauperi eleemosynam ab eo
Luc. 16. petenti; vt legitur de diuite epulone erga mendicum Lazarum. Quidam suem domi alit, & nutrit, & quidquid habet
Simile. porrigit ei, nec pauperibus, nec vllis alijs quidquam, idest, brassicas, lactucas, herba, legumina, & similia elargitur:
Isai. 5. 12. *Cythara, & lyra, & timpanum, & tibia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis*; opus Domini, idest, pauperes. Ingluuiosus quidquid habet in ventrem immittit, nec pauperibus minimum quid largitur.

Tertio, verecundiam expellit; nam, vt ventrem repleant, gentem parum honestam versari, cauponas sæpe sæpius visitare, & sæpissime lanienas, & similia curant. Vnde Esau ob lenticularum ius tam ignominiose primogenituram ven-
Gen. 25. 34. didit. Vnde in Genesi 27. dicitur: *Abijt paruipendens, quòd primogenita vendidisset.*

Et denique à gulæ peccato, peccatum emanat blasphemiæ, vel saltem murmurationis: de murmurationis crimine alias loquemur: nunc blasphemiam attingamus tantum labijs, non pro-

prolixis, sed quo ad hûc Iobi locũ permittitur; in quo dicitur: *Nè forte benedixerint Deum in cordibus suis*. Vbi notandum est, quod hoc verbum benedixerint variè doctores explicant. Et primo certum est, quod in sacris Scripturis hoc verbum in bonam capitur, & in malam partem: in bonam, pro laudare, gratias agere, adorare, & colere: in malam, pro maledicere, irreuerenter, & imprudenter se gerere circa aliquem, in Tob. 12. in bonam partem accipitur, vbi dicitur: *Benedicite Deum cæli, & terræ*: & in non nullis alijs locis: in malam capitur partem, vt in 3. Reg. 21. *Benedixit Deum, & Regem*, idest, maledixit; per anthiphrasim; nam, vbi historia idem dicit pro factis, anthiphrasis aliud indicit è conuerso pro rebus: & ideò ecce variæ patent explicationes. D. Thomas ait, hic accipi in bonam partem quo ad verbum benedixerint, idest, gratias egerint, sed quo ad intentionem in malam; nam hæ laudes, & gratiæ Deo referebantur ob delectationem, & salacitatem, quas in conuiuijs percipiebant; quemadmodum insignis latro Deo gratias agebat, quod sibi in manus incidisset magna præda, ac magna auri, & argenti quantitas, vt habetur Zachar. 11. vbi Deus Pater cum Filio illorum malorum pastorum loquens, qui vice pascendi oues, interficiebant eas: *Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes, benedictus Deus, diuites facti sumus*. Quod cum dictum, & expositum sit à tam insigni Doctore, & reuereri, & venerari debemus. Sed videtur valde durum, vt textui adaptetur; nam, cum magnum sit hoc peccatum, non oportebat dicere: *Nè forte peccauerint filij mei*, sed, quod *certe peccauerint*. Caietanus etiam hoc in sensu percipit; & licet in aliquo differre videatur, mihi videtur nihilominus idem dicere. Alij volunt, quod hic benedixerint pro adoratione accipiatur, hoc est, quod Iobi filij bene saturati Angelos adorarent, cum hebraicè dicat: *Adorauerint Eloim*, quod, cum plurale sit verbum, interdum pro Angelis capitur. Et hæc potest illo loco Exod. 32. sententia probari, vbi dicitur: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, idest, idololatrare, ait D. Ambrosius lib. 6. epist. & sic omnes vsque adhuc verbum benedixerint in bonam partem accipiunt.

Benedicere in Scriptura capitur in bonam & in malam partem.

Tob 12.6.

3. Reg. 21. 10

D. Thomas.

Benedicere in bonam partem.

Simile.

Zach. 11. 5.

Caietanus.

Benedicere pro adorare.

Exod. 32. 6.

D. Ambr. lib. 6. epistol.

Ex alia parte Titelmannus in malam partem accipit, & dicit, quod hic benedicere in contrarium capitur sensum:

Titelmannus.

Benedicere pro maledicere accipitur.

benedicere, hoc est, maledicere; & probat alijs Scripturæ locis. Tamen perdifficile est credi, quod sanctus vir, vt Iob erat, aluerit familiam, ita libere blasphemantem, & execrantem; & quod hæc frequentia, ac quotidiana conuiuia, inde permitteret in Dei offensam. Et ideò ad expositionem veriorem, rationabilioremque descendo, quæ Origenis est, Basilij, Policronij, & Olympiodori non tantum, sed D. Hieronymi, & Bedæ, scilicet, quod hic benedicere non modo pro blasphemia formaliter capitur; sed pro quouis crimine, etsi minimũ, & leuissimum existat tam in corde intrinsecum, quam in facto extrinsecum. Quam ob rem hic maledicere pro aliquibus leuitatibus, & imperfectionibus capi potest ab ipsis in conuiuijs perpetratis. Itaque sanctus Iob, cum solertissimus esset de filiorum valetudine, tam in operibus, quam in cogitationibus; ideò iure à D. Chrysostomo in homil. in Iob, & Abraham appellatur vir Euangelicus; quoniam ità animæ puritatem æstimabat, sicuti nunc præcipitur, & animaduertitur in Euangelio. Et ad dicta redeundo, ita ne dum temporalia curans, sed & spiritualia, etiam ad filios spectantia, sanctus Iob, veluti summus sacerdos, Deo holocausta immolat, vt eos ab aliqua aduersa imperfectione, quæ sæpe sæpius in conuiuijs accidere solet, & expiet, & auertat.

Origenes. Basil. Policron. Olympiodor. Hieronymus. Beda.

Benedicere hic accipitur pro aliquibus leuitatibus in conuiuijs perpetratis.

D. Chrys. homil. in Iob, & Abraham.

Iob, vir Euangelicus appellatur.

QVARTADECIMA LECTIO.

De Dei, Angeli, ac Diaboli actionibus.

IN QVA DE ACTIONIBVS TRIVM personarum, videlicet, Angelorum, Dei, & Diaboli tractatur.

Quadam autem die cum venissent Filij Dei, vt assisterent coram Domino, adstitit inter eos etiam Satan. Iob 1. 6.

PRIMA PARS.

IOB actiohibus hactenus à Spiritu sancto narratis, & bonitate, sanctitate, magnitudinibus, ac prærogatiuis eiusdem explicatis, & patefactis, vt hæc eadem orbi, & paterent, & clarescerent ne dum omnibus coram fide dignis tentationum conticula, seu æquiparatione, an ista eius sanctitas bona erat, vel mala; vera, vel falsa; hypocrita, vel Deo vere cara, & grata, aliquamdiu videri opus extitit. Et ideò ecce *quadam autem die*; die, inquam, peculiari, vna conuenerunt filij Iob: *Cum venissent filij* Dei, & ecce primi: *Vt assisterent coram* Domino, ecce secundi; & demum innuit etiam, *Satan*, ecce tertius. Hi ergo tres Iobi sanctitatem, & verbis, & factis vna perpendens eius veritatem detegerunt. Hic igitur de omnibus coherоibus verba faciemus. Et primo *Lectionis diuisio,*

Quadam autem die; die peculiari, hoc est, certo tempore;

re; quoniam dies in Scripturis pro tempore accipitur. Ita
Iustinus in oratione ad Gentes Iustinus ait in oratione ad Gentes; & addit, quod ipsemet
Plato Plato tempus appellabat diem: vel (vt D.Gregorius inquit)
D.Gregor us. hic dies accipitur pro naturali die, nocti opposita: in qua
Dies pro tempore. Scriptura semper ea innuit, quæ bonum effectum sortiuntur:
è contra ea, quæ mala sunt euentura, dicitur noctu fieri; ideò
Act.16.70. D. Petrus vbi noctu Christum negauit, interdiu peccatum
suum, flendo est confessus: & quia hæ actiones bonæ euenire
debebant, & in gloriam, & existimationem sancti Iob, ideò
interdiu, & non internoctu, & perpetratæ, & operatæ sunt.
Dei filij qui sint. *Cum venissent*, igitur, *Filij Dei*. Hic quærunt expositores, qui
nam sint isti Dei filij, hi primi Heroes: super hoc hebræus
textus ait: *Filij Eloim*, quod innuere vult filij Iudicum, po-
tentium, fortium, magnatum; vel filij Dei fortis, potentis,
efficacis: hoc totum designat Verbum *Eloim*: & ideò ecce
tres variæ expositiones. Prima, scilicet, illorum, qui pro Dei
filijs, capiunt bonos Angelos, vti illud, quod in Genes. 6.
Gen. 6. 2. dicitur: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ,*
Septuaginta. *acceperunt sibi in vxores*. Quo in loco Septuaginta aiunt:
Videntes Angeli Dei. Quod sequendo D. Augustinus 15. de
D. August. 15. de Ciuit. Dei c. 23. Ciuit. Dei cap. 23. & Philo lib. de Gigantibus, dixerunt, An-
gelos tam bonos, quam malos mulierum amore captos, in-
Philo lib. de Gigantibus. de gigantes generasse; quem in errorem Tertullianus etiam,
& Iustinus, & Cyprianus, & Clemens Alexandrinus, nec non
Tertullianus. quam plurimi inciderunt. Errorem, inquam; nam præter
Iustinus. id, quod, scilicet, Angeli in eam passionem incidere nequeunt,
Cyprianus. Verbum filij Dei ibi, quod hebraicè est *Eloim*, hominum
Clemens Alexandrinus. potentium, & insignium, vel Dei filium, hoc est, cultorum,
Angeli passionem. & adorantium verum Deum, innuere vult: vel tandem de-
signat, idem verbum *filij Dei*, ideſt, Seth, & Enos po-
Suida. steros. Qui Enos (vt Suidæ, & Cyrillo Alexandrino placet
Cyrillus Alex. lib. 9 aduersus Iulianum. lib. 9. aduersus Iulianum) fuit in diebus suis, & habitus, &
appellatus Deus. Et ideò vbi in Genes. 4. de eo legitur: *Iste*
Gen. 4. 26. *cæpit inuocare nomen Domini*, Theodoretus, Eusebius Emis-
Theodoretus. senus, & D. Chrysostomus cum Aquilæ translatione legunt,
Eusebius Emissenus. & dicunt, *iste sperauit vocari nomine Domini*: ita igitur dum
D. Chrysost. pater Deus appellari fecit, Filij, & posteri Filij Dei vocati
Aquila translatio. fuere.

Secunda expositio est D. Chrysostomi, qui è conuerso lo-
D. Chrysost. expositio. cum exponendo, ait, quod in Scripturis Angeli numquam
filij Dei appellati sunt, & D. Paulum Hebr. 1. in testem affert:
vbi

vbi dicit: *Cui enim aliquando Angelorum dixit Filius meus es tu?* Ac si diceret, Deus hanc filiationis prærogatiuam Angelis numquam dedit, sicuti Christo Domino nostro est elargitus. Quamuis nec etiam hæc quadrat expositio; nam D. Paulus ibi de filiatione naturali loquitur; & hic agitur de filiatione gratiæ, & adoptionis; & hoc in sensu Angeli optime vocari possunt Dei filij: præter id, scilicet, quod scire nequeo, quo modo delectare potest alijs patribus cum dicitur, quod in Scriptura interdum Angeli etiam Dei adoptiui filij non appellentur.

Hebr. 1. 5.

Deus numquam dedit filiationis prærogatiuam, nisi Christo.

Et ideò ad tertiam veram, & germanam expositionem me confero, idest, quod filij nomen in Scriptura est indifferens hominibus, & Angelis; eisque attribuitur, vel pro potentia, vel pro sanitate. Et ideò vbi in Psalmo 28. dicitur: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, Chaldæus exponit pro Angelis, idest, quod Propheta ad laudandum Deum Angelorum choros inuitat; licet quidam alij hoc exponunt pro hominibus, idest, filijs celeberrimorum, ac fortium hominum, hoc est, Abraham, Isaach, Iacob, & similium, verorum Dei cultorum, & venerantium, tamquam diceret; ò vos, qui veri Dei cultores estis, & oblationibus, & holocaustis eum veneramini: Et sic in alijs Scripturæ locis: & iure quidem optimo; nam Deus verus est familias pater omnium tam in cælo, quam in terra: ità D. Paulus Ephes. 3. affirmat, dicens: *Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra*: idest, quamuis Deus natura solus est vnigeniti sui Filij Pater: nihilominus & adoptione, & gratia æque est Angelorum, & hominum verorum eius cultorum, & adorantium pater: qua de re etsi Angeli sunt nobilioris naturæ hominibus: tamen quo ad hanc partem filiationis Dei ei assimilantur, & coequantur. Et D. Thomas in 3. parte quæst. 13. de hac disceptando filiatione, ait, magis Angelis, quam hominibus præcedentiam minime dari; sed vtrosque filios adoptiuos æque esse; verum tamen est, quod pluribus rationibus, & prærogatiuis hoc Angelis munus magis conuenit, quam hominibus. Primo, quia ante homines hanc filiationis hæreditatem habuerunt. Secundo, quia in obediendo, & exequendo Dei præceptum promptiores, ac expeditiores existunt. Tertio, quia circa humana feruentiores sunt in caritate, & amore. Quarto ob ipsammet ethimologiam; nam Angeli vocari possunt filij potentis, ac fortis personæ, quæ

Filij nomen in Scripturis hominibus. & Angelis commune est.

Psal. 28. 1.

Sensus Chaldæus.

Deus vere pater familias.

Ephes. 3. 15.

Homines assimilantur Angelis quo ad filiationem.

D. Thom. in 3 p. q. 13.

Angeli in quibus antecelllunt homines.

Deus

Deus est, à quo immediate procedunt. Quinto, & vltimo, quo ad hebraicam phrasim, in qua ità filij capiuntur, sicuti habentur ministri, ac discipuli, vt in tot Scripturæ locis cernitur, in qua Prophetarum discipuli, Prophetarum filij, appellantur; & quoniam Angeli sunt vere Dei ministri: ergo perbelle hoc ad eos nomen spectat. Et ideò ex dictis sequitur consequenter, quod, dum noster textus hodie dicit, quod venerunt filij Dei, vt assisterent coram Domino, hic aduentus, & hæc assistentia cum hominibus minimè adaptari possint, pro Angelis necessario est, vt habeatur.

Hebraica phrasis. — *Angeli vere Dei ministri.*

Cum venissent, vt assisterent. Nulli dubium (Patres Theologi) quod ista duo verba declaratione indigent. Primum dicit textus: *Venirent*; igitur locum mutarunt. Hinc est quod Origenes, Athanasius, & Gregorius excipiunt, Angelos localiter moueri; &, cum omnibus in locis esse non possint, eos spatium suum præfixum, ac determinatum habere expedite. Idem Tertullianus in Apologetico cap. 22. D. Chrysostomus super primo ad Hebræos in illis verbis: *Omnes sunt administratory spiritus*: D. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 10. Nazianzenus orat. 2. de Theologia, Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. & tandem omnes illi Patres Iobum exponentes super illis verbis, quæ Satan ait, scilicet: *Circuiui terram, & perambulaui eam*, confirmant; & optimo iure; nam, quemadmodum quæcumque substantia creata loci mutatione est capax: ita etiam vnico tantum loco determinatur: solus Deus, quia mutari nequaquam potest, peculiari loco comprehendi nequit, sed vbique est. Et licet D. Gregorius. 1. moral. cap. 3. dicit, quòd Angelus circumscribitur à loco, nihilominus ita à loco comprehendi non habetur, sicuti corporale aliquid comprehenditur; sed intelligitur diffinitiue tantum. Et hic dicendi modus non tantum apud modernos Scholasticos, sed etiam apud alios antiquos Patres, patet, vt in decima Generali Synodo cernitur.

Origenes, Athanasius, Gregorius. Angelos localiter moueri. Tertullianus in Apolog. c. 22. D. Chrys. super 1. Hebræos. D. Ambr. lib. 1. de Spiritu sancto c. 10. Nazianz. orat. 2 de Theologia. Damasc. lib. 2. de fide c. 3. Angelus, & qualibet substantia creata vnico loco determinatur. D. Gregorius 1. Moral c. 3. Decima generalis Synodus.

Vt assisterent, ecce secundum verbum. Vbi de Angelis cum disseratur, varijs modis intelligi potest; primum, scilicet, stricte, & proprie; & ita tantum comprehenduntur illi Angeli, qui semper coram Deo assidue assistunt, & Seraphini sunt, Cherubini, Throni, & Dominationes: ita affirmant Dionysius Areopagita cap. 9. & 13. de cæleste hierarchia, Gregorius 17. Moral. c. 9. D. Thomas, & in communi omnes Theo-

Assistere quot modis accipitur. Angeli qui assistunt ante Deū. Dionys. Areop. Gregorius. D. Thom. & omnes Theologi.

Theologi, de quibus hic non eſt ſermo; nam dicitur, quòd, venientes, locum mutarunt; quòd non competit ſemper aſſiſtentibus Deo. Secundario aſſiſtere capitur pro laudare, ſicuti in Iſaia 6. fuit dictum, ſcilicet, *Vidi dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, & ſtantes Seraphim dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nec etiam ita hic capitur; quoniam Angelos rurſus ad laudandum Deum veniſſe dici non erat opus; nam ſemper ipſum laudant, & benedicunt. Tertio, aſſiſtere, innuere vult promptus eſſe, vt omni ipſiuſmet Dei nutui obtemperet, quemadmodum miles Ducis nutibus. Vnde Daniel 12. de Michaele dicitur; *Conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui.* Nec id hic congruit; quia ſemper Angeli, vt Deo obediant, præparati inueniuntur. Quarto, aſſiſtere, deſignare vult orare: ſic Hieremiæ cap. 18. *Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis*: qui quidem dicendi modus huic conſonat loco, in quo dicitur, quòd Angeli veniſſent; & orantes ſancti Iobis bonas operationes Deo offerrent. Quinto loco, aſſiſtere, ſignificat interdum conſulere, ſicuti cum ſuis conſiliarijs rex ſieri conſueſcit. Vnde Exod. 18. dicitur, *Sedit Moyſes, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam*: & hoc etiam ad huius loci rem faceret, in quo Deus cum Angelis conſilium init, & Iobi actionum iudicium profert. Denique ſextus adeſt aſſiſtendi modus, hoc eſt, tunc dicitur Deo Angelos aſſiſtere, quando ſecum loquuntur, & illuſtrari, & illuminari ſuper, & circa aliquod peculiare negotium, & arcanum ab eo petunt: & hic modus, præter omnes alios, magis huic loco competit; quoniam hic Angeli (vt in reliquis textus partibus ſequentibus indè videtur) Iobi vitæ exitum minutim ſcire peroptabant: & hæc communior eſt Patrum, ideſt, Origenis, Gregorij, Philippi presbyteri, Diui Thomæ, & aliorum opinio.

Aſſiſtere pro laudare. Iſaiæ 6.

Angeli ſemper Deum laudant.

Aſſiſtere pro promptus eſſe ad ſeruiendum. Daniel. 12. 1.

Hier. 18. 20.

Aſſiſtere, ideſt conſulere.

Exod. 18. 13.

Aſſiſtere dicuntur Angeli, quando cum Deo loquuntur.

Origenis, Gregorij, Philippi presb. D. Thomæ opinio.

Coram Domino, &c. ecce ſecundus Heros, qui ad hanc mirandam actionem concurrit coram Domino. Coram Domino dominorum, hoc eſt, Deo omnipotente, & immortali aſſiſtentes Angeli comparuere: eo magis, quòd Hebraicus textus, vt nos confirmet, dicit coram *Iehoua*: quod proprium eſt Dei nomen; & iure quidem; nam Angeli alijs obedire, præter quam ſuæ diuinæ maieſtati, non conſtringuntur. At, ſi dices, quòd omnes apparitiones legis naturæ,

Iehoua proprium Dei nomen.

Apparitiones legis naturæ, & legis scriptæ ab Angelis perpetratæ fuere.

turæ, & legis scriptæ ab Angelis perpetratæ fuere, & non à Deo: verumtamen quia qui per alium facit per seipsum facere videtur, dico hunc fuisse Angelum, qui ipsummet Deum repræsentabat.

Assistentia Angelorum in hoc loco an sit metaphorica, vel historia vera.

Vnum tantùm superest dicendum (& inde primæ parti finem impono) hoc est, an hæc assistentia fuit realis historia: vel hic metaphoricè loquitur. Animaduertite tamen, quòd ego de Iobi plena littera non loquor; nam de hac eadem sufficienter in prima lectione fui loquutus: in qua multorum Patrum assensu, & Ecclesiæ decreto, veram fuisse historiam, & non fictam parabolam, probaui: verum nunc de hac peculiari actione, & Angelorum coram Deo aduentu sermonem facio. Hic metaphoricè loqui, aliqui aiunt, vt totum illud explicetur, quòd inde sancto Iobo accidit: & ideò illa dies, quæ dicitur hic, *quadam die*, tempus designat, in quo omnia, quæ hic narrantur, Iobo euenere. Angelorum conuentum, laudes, & encomia, quæ continuò ad Deum profundunt ob præcipuam, quam habet hominum curam designant. Assistentia coram ipso significat fruitionem, qua de diuina essentia gaudent. Et denique Satanni præsentia demonstrat omnia Dei oculis nuda, & aperta esse. Alij dicunt hanc fuisse quamdam visionem huius Historiæ scriptoris menti ita à Deo exhibitam, vt in 3. Regum 22. Propheta Micheas, concilium à Deo, & ab Angelis initum vidisse narret; in quo Dæmon etiam stabat: hanc sententiam tenet Policron, Vatablus, Hugo, & Eusebius; & hæc expositio rationabilior est; nam, cum totum Iobi vitæ facinus vera existat historia; perbellè expedit, quòd totum etiam eius veritati respondeat. Tertium, & vltimum est, quòd dici potest, hanc partem fuisse (vti omne reliquum) veram, & realem historiam; & non Deum propriè, sed Angelum ex cæli maioribus vice Dei pro tribunali sedere, quemadmodum omnes & legis naturæ, & legis scriptæ apparitiones extitere. Ita Dionysius, Origenes, Cyprianus, Nazianzenus, Athanasius, Ambrosius, Thomas, & alij affirmant, & insuper, quòd alios ad consilium vocaret, & Satan etiam adesset, & ex Dei mandato quidquid circa Iobi personam agendum erat, tractaretur, & ipsemet Angelus Deum repræsentans eidem Satanno tentandi, exercendi, & solicitandi eum facultatem exhiberet. Nec tamen illud, quòd aliqui moderni tenent hebrææ linguæ periti, ab hac sen-

Assistentia Angelorum coram Deo significat fruitionem, quã habent de Deo.

3. Reg. 22.

Policron. Vatablus, Hugo, Eusebius.

Assistentia in hoc loco fuit realis.

Dionysius, Origenes, Cyprianus, Nazianzenus, Athanasius, Ambrosius, Thomas.

ſententia deuiare debet: qui verbum Domino, cum Iehoua ſcriptum inuenientes, quod ad Deum tantùm ſpectat, & non ad Angelos: & vbi Angeli interdum cum dictione Eloim, & numquam cum Iehoua in ſcriptura appellati reperiuntur: ita hic Iehoua, Deum, & non Angelum ſignificat; nam huic reſpondere facile eſt; quoniam verum eſt, cum Angelus Deum non repræſentat; ſed cum agit, vel loquitur, eius vice, dictionem Iehoua ei adſcribi expedit, quemadmodum Geneſ. 12. 13. 15. 28. cernitur. Vbi tres Angeli, qui Abraham apparuere, ſemper cum, Iehoua, appellantur. Tandem concluſiuè dicamus, quòd conſilium initum fuit: in eo pro Deo Angelus interfuit: ſtantes erant cæteri Angeli; & denique Satan etiam id adiuit; quid verò egerit in ſecundam partem explicabimus.

Gen. 12. 13. 15. 28.

Angelus qui Deum repræſentabat in veteri lege cum Iehoua deſcribitur.

SECVNDA PARS.

QVONIAM in prima parte de duobus Antheroibus ſatis diximus, qui hoc conſilium Dei, ſcilicet, & Angeli Deum repræſentantis, & cæterorum Angelorum ab ipſo ad conſilium vocatorum adiere: Tertius nunc heros, ſcilicet Satan, diſcutiendus ſupereſt: de ambobus primis dictum fuit, *cum aſſiſterent quadam die filij Dei coram Domino*; At de hoc tertio dicitur, *Affuit inter eos etiam Satan*. Hic plura prius ſcire oportet, ideſt, primo, qui nam ſit iſte Satan; qua re hoc retinet nomen: immò hac re quot in ſcriptura Angelorum bonorum, & malorum nomina reperiuntur, cognoſcere. Secundariò quo modo is Satan huc adijt. Quo ad primũ, & quo ad bonos Angelos notare debetis, quòd ex innumerabili multitudine Angelorum pauciſſimos nobis cognitos eſſe, de nomine quidem (ſi ex diuina, certaq. auctoritate loquendũ ſit) tres dumtaxat nominatim appellare poſſumus Michaelem, ſcilicet, Gabrielẽ, & Raphaelem. Michaelem enim legimus in Dan. 10. & 12. in epiſt. can. Iudæ, & in Apocal. 12. Gabrielem in Dan. 8. & 9. & in Luc. 1. Raphaelem in Tobia. Reliqua Angelorum nomina, quæ à pleriſq. afferuntur, non innituntur, neque certa canonici alicuius libri auctoritate, neque antiqua Eccleſiæ traditione, ſed partim ab hebræis accepta, partim in lib. Apocal. inuenta, ad nos

Satan quis ſit.

Angelorũ nomina pauciſſima apud nos noteſcunt.

Dan. 10. & 12. Epiſt. canon. Iudæ. Apoc. 2. Dan. 8. & 9. Luc. 1.

vſque

vſq. peruenere, vt ex his, quæ iam dicemus, perſpicuum fiet. Itaque Vrielem legimus in quarto libro Eſdræ, qui non eſt canonicus; ſicut nec tertius eiuſdem. Fit mẽtio in Can. Miſſæ Ethiop. vt refertur in 4. tom Biblioth. Veterum Patrum. Meminit etiam Beda in Collect. & ſecundus liber Sybillarum carm. Ieremielem habet etiam Eſdra lib. 4. cap. 4. vbi appellatur Archangelus Eromiel, Saniel, & Azael. id nominatur in 2. lib. Sybillarum carm. quæ referuntur in 2. tom. Biblioth. Veterum Patrum, vbi, cum ſermo eſſet de extremo iudicio ſic vaticinatur Sybilla (vt creditur) Heritrea, quam magnifacit Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 23.

Can. miſ. Ethio. vt in 4. tom Biblio. veterum Patrum.

Eſdr. 4. 4.

Sybillarum Carmina, vt in 2. tomo Biblio. veterum Patrum.

Sybilla Heritrea.

Tunc Eromiel, Vriel, Saniel, Azaelque,
Quæ mala cuiſque hominum patrauerint ante ſcientes,
Et tetris animas tenebris caliginis omnes
Iudicio ſiſtent ad formidabile patris
Magni immortalis ſolium.

Beda in collat.

Rumiel, & Pariel celebrantur à Beda in collat. illiſque ſeipſum commendat his verbis. *Gabriel eſto mihi lorica; Michael eſto mihi balteus; Raphael eſto mihi ſcutum; Vriel eſto mihi protector;* Rumiel eſto mihi defenſor; Saniel eſto mihi ſanitas. Hæc ille. Ad hæc Iehudiel, Barachiel, Eſcaltiel nominantur in Lyrano de ſeptem Angelis aſsiſtentibus, quem compoſuit Antonius Ducas, vir famoſiſsimus, qui floruit tempore Pauli Tertij Pontificis Maximi. Denique Ioannes Campnion, vir doctus, Maximiliani Imperatoris Cõſiliarius, cuius à calumniatoribus quibuſdam defendendi cauſa Petrus Galatinus noſtri Ordinis compoſuit libros ſuos de arcanis Catholicæ veritatis, dictoque Maximiliano dicauit. Is igitur Campnion in ſua arte Cabaliſtica, multa alia Angelorum nomina affert ex traditione Cabaliſtarum. Conficiunt enim Cabaliſtæ Dei currum ex quatuor veluti gemmis: atque in dextera parte conſtituunt gemmam, vnde læta omnia proueniunt, quam Michaelem vocant. In ſiniſtra alteram gemmam, vnde ſiniſtra triſta, duraque ortum habent, quam appellant Gabrielem. Deinde tertiam ponunt ex ſuperioribus, quaſi miſtam, quam dicunt Raphaelem. Quartam trium ſuperiorum quaſi diſpenſatricem, quam Vrielem nuncupant. Itaque Michaelem, & Gabrielem pro duabus rotis conſtituunt, Raphaelem pro throno, ſiue ſtella, quæ ſit media inter rotas, Vrielem pro axe circa quem currus voluitur. Denique adijciunt Vrielem, tamquam temonem, cui

Angelorum diuerſa nomina.

Antonius Ducas.

Ioannes Campnion Maximiliani Imperatoris conſiliarius.

Petrus Galatin. de arcanis Cathol. veritatis.

Cabaliſtarum currus ex Angelis confectus.

cui alligatus eſt currus. Voluntque has quinque diuini currus, ſiue gemmas, ſiue partes, expreſſas fuiſſe in Cantic. 3. vbi dicitur: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum*; quia pro eo, quod nos habemus *purpureum* eſt hebraicè *Hargbaman:* Voluntq. in eius nominis literis, quinque nominatos Angelos ſignificari: per primam literam, quæ eſt Aleph, ſignificari Vrielem, qui hebraicè per Aleph initio ſcribitur; per ſecundam R. Raphaelem, per tertiam G. Gabrielem; per quartam M. Michaelem; per quintam H. Hurielem. Hebræi præterea addunt Zamaelem, Zadachielem, & Caphzielem: ſed hæc omnia (vt dixi) incertæ ſunt auctoritatis, præter tria illa Michaelis, Gabrielis, & Raphaelis nomina à nobis antea commemorata. Aliorum Angelorum nomina ſunt nobis incognita.

Cantic. 3. 9. & 10.

Angelorum tria ſolũ nomina reperiuntur Scripturæ ſacræ auctoritate.

Quo verò ad malos angelos; licet diuerſimode appellentur etiam ipſi in Scripturis: verum tamen notabiliores mea ſententia ij quatuor exiſtunt, hoc eſt, primus tigris, draco ſecundus, tertius diabolus, ſatan quartus. Tigris in Iob habetur, vbi dicitur c. 4. *Tigris perÿt eo quod non haberet prædam*: & Septuaginta verbum tigris tranſtulerunt *Myrmicoleon*; & hoc modo legit Auguſtinus, quem Myrmicoleonem nonnulli negant eſſe animal ad veritatem hiſtoriæ, ſed compoſitione eſſe dumtaxat fabricatum. Alij beſtiolam eſſe aiunt ab Oceano ortam, ſiue è terra procreatam: icciro verò interire, quod cibo caret, cum eius natura congruente. Quidam etiam affirmant ſine cibo vitam illud animal tueri, ſic Deo ipſi conſulente. Hæ opiniones referuntur ab Olimpiadoro. D. verò Hieronymus eumdem exponẽs locum, inquit: *Septuaginta tranſtuliſſe myrmicoleon, id eſt, formica, & leo, quem dicit: nos verius diabolum dixerimus, qui quando prædã agit de Sanctis, tamquam de maioribus rebus, vt leo habendus eſt, quando verò minima quærit auferre, formica dicendus eſt: & quia ſicut formica grana de area; ita ille cogitationes bonas aufert de cordibus hominum*. Hæc ille. Adde appellari formicam, & leonem, quia infirmis quidem leo eſt, & reſiſtentibus formica, quæ facile pedibus inculcari poteſt. Alij verò *Myrmicoleon* volunt nomen genericum eſſe, quod in diuerſas ſpecies ſecundũ diuerſas eius malitias, & inſidias diſtinguit. Hinc eſt, quod pluribus aſsimilatur beſtijs. Aliquando aſsimilatur buboni, primo quia, bubo ſtercoribus paſcitur:

Angelorum malorum nomina, quatuor reperiuntur.

Iob 4. 11.

Septuaginta.

Auguſtinus.

Myrmicoleon, quid ſignificet.

Olimpiadorus.

D. Hieron.

Diabolus pluribus aſſimilatur beſtÿs.

tur: sic dæmon delectatur immundicijs peccatorum, vt ha-
Thren. 4.5. betur Thren.4. *Qui nutriebantur in croceis*, scilicet, dæmo-
nes antequam caderent, *amplexati sunt stercora*, id est, im-
Diabolus assimilatur buboni. munda peccata, in quibus nunc delectantur. Secundo, quia
bubo de nocte ad templa vadit, vt lampadarum oleo satie-
tur: templa Dei sunt fideles, quorum lampades sunt eorum
mentes, quæ plenæ sunt oleo gratiæ; huiusmodi oleo nocte,
id est, latenter, & occulte Sanctorum mentes Dæmon satagit
euacuare, vt, adueniente sponso, non habeant secum oleum;
Matt.25.12. & sic à nuptijs cælestibus excludantur: vnde Matth.25. *Amen
dico vobis, nescio vos*. Tertio, quia bubo ab alijs auibus odio
habetur: sic dæmon odio habetur à Sanctis, & deplumatur,
quia eius fraudes, & insidias detegunt, & reuelant, iuxta il-
1. Petr.5.8. lud 1. Petr. 5. *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia aduer-
sarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens
quem deuoret*. Quarto, quia bubo pugnat cum Monedola,
quæ est auis Corui generis: nam illa de die destruit oua
bubonis, & bubo de nocte comedit oua eius. Sic pœnitens
humilis pugnat cum dæmone, & dum illucescit dies gratiæ
in eius mente, comedit oua bubonis, destruit insidias dæmo-
nis: sed aduenientibus noctibus, id est, peccati tenebris; bu-
bo, id est, dæmon, destruit oua, id est, bona opera pœniten-
Ioan. 10.1. tis: ideò Ioan.10. *Ille fur est, & latro*. Similiter dæmon as-
Dæmon nycticoraci assimilatur. similatur nycticoraci, quæ lucem fugit, & sepulturam mor-
tuorum inhabitat; in locis ruinosis nidificat: oua columba-
rum deuorat. De die quasi cæca est; de nocte acute videt;
Ioan. 3.20. sic dæmon fugit lucem, iuxta illud Ioan. 3. *Et non venit ad
lucem, vt non arguantur opera eius*: sepultura mortuorum
Psal.5.11. fætida peccatorum corda inhabitat; vnde dicitur Psal. 5. *Se-
pulcrum patens est guttur eorum*. In locis ruinosis, id est, in
eis, qui tentationibus statim consentiunt, moratur, iuxta il-
Eccles.27.12 lud Eccles.27. *Stultus, vt luna mutatur*. Oua columbarum,
id est, simplicium deuorat, quia facile eis insidiatur, iuxta
Eccles. 2.1. illud Eccles. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore,
& præpara animam tuam ad tentationem*. De die est cæcus,
& de nocte est videns, quia splendor doctrinæ Christi ipsum
Eccles. 43.4. obtenebrat, & destruit, iuxta illud Eccles.43. *Refulgens ra-
dijs quis obcæcat oculos*? Præterea dæmon assimilatur pauo-
Dæmon assimilatur pauoni. ni: pauon enim habet caput serpentinum, crystatum, inces-
sum occultum: collum modicum, pectus erectum, & saphiri-
num, & caudam oculatam: sic dæmon habet caput serpen-
tinum;

tinum; quia vbi caput in principio tentationis emittit, totus illabitur. Vnde Ecclef. 21. dicitur: *Quasi à facie colubri fuge* Eccl. 21. 2.
peccatum. Habet cryftam in quantum in principio prætendit alicuius boni apparentiam. Ideò 2. Cor. 11. *Transformat se* 2. Cor. 11. 14
in Angelum lucis: latenter incedit, quia occulte trahit hominem ad interitum. Ideò Luc. 12. dicitur: *Venit tamquam fur* Luc. 12. 39.
in nocte. Collum habet curuum; quia, fi capit hominem, cito deglutit, quia cito facit hominem, qui ei confentit, ruere in peccatorum profunditatem; iuxta illud Prou. 28. *Impius,* Prouer. 18. 3.
cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Pectus, ideft, appetitum habet erectum, fcilicet, fuperbiam, quæ femper excelfa appetit. Vnde Iob 41. *Diabolus eft rex fuper om* Iob 41. 25.
nes filios fuperbiæ. Habet denique caudam oculatam, quia præcipuè ad finem refpicit, iuxta illud Gen. 3. *Tu infidiabe-* Gen. 3. 15.
ris calcaneo eius. Vnde clare apparet effe dæmonem myrmicoleonem, qui diuerfas repræfentat animalium fpecies. Secundo, dæmon, draco nūcupatur pluribus in locis facræ Scripturæ: fignanter Apocal. 12. vbi dicitur: *Ecce draco magnus* Apoc. 12. 3.
rufus. Et hoc propter duo; primo, quo ad fibilum, quia fibilando flatum contagiofum emittit: & quo ad morfum, quia valde venenofum, & mortiferum eft. Sic dæmon fibilando per delectationem, & mordendo per confenfum, mortem peccati inducit, iuxta illud Pfal. 103. *Draco ifte, quem formafti* Pfal. 103. 26.
ad illudendum ei.

Dæmon draco nuncupatur.

Tertio loco, dæmon diabolus nuncupatur, ideft, deorfum cadens, quod nomen dum è cælo ad terram expulfum fuit, hæreditauit; & ideò dum in defertum ad Chriftum tentandū pergit, diuerfimode pergit; nihilominus, cum eum in templi pinnaculum adducit, &, vt fe deorfum mittat, ei perfuadet, appellatur diabolus: *Tunc affumpfit eum diabolus fuper pin-* Matth. 4. 6.
naculum templi, ac, fi Spiritus fanctus diceret, ille qui deorfum cecidit, Chriftum furfum conducit.

Dæmon quare diabolus dicitur?

Quarto, & poftremo, fatan appellatur: quod quidem nomen Scripturæ varijs etiam in locis reperitur, & præfertim in hodierno Iobi c. 1. in quo dicitur: *Affuit inter eos etiam* Iob c. 1.
fatan. Vbi etfi Eugubinus ait, quod hoc fatani nomen hic, Eugubinus.
diuina iuftitia intelligitur, quæ omnia perfpicit, & animaduertit, & vniuerfum totum ambiens, obuallans, & circinans, omnes noftras imperfectiones, ac omnia crimina in nobis punire peruestigat, nofipfos in aduerfitatibus, curifq. firmos, ftabiles, ac fortes reddendo: & huic fenfui huius loci textus re-

Satan pro diuina iuftitia.

Hebraeorum sententia. liqua aptare quærit. Hebræi volunt, quòd peculiaris vir esset, dirissimus Iobi inimicus hoc verè nomine dignus. Alia ex parte tertia, ac communis expositio Patrum verissima existit: qui dicunt, quòd pro Satana hic dæmon inferni capi debet. Septuaginta. Vnde clarius Septuaginta dicunt: *Astitit diabolus*. Et Prosper adiungit, quòd non quilibet dæmon, sed omnium supremus; & ideò eum appellat totius militiæ Principem: qui cum Iobo prælium inire petijt: nec propterea mirum accidit; nam, *Dæmon qui tentauit Iob, vt figuram, tentauit Christum, vt figuratum.* cum Iob Christi similitudinem exprimeret, de iure erat, vt ab eomet tentaretur, qui inde Christum tentare debebat, quod quidem D. Hieronymus ab hebræorum sententia super Abacuch 3. haurit: *D. Hieronymus super Abac 3.* & hoc munus nominis ethimologiam secum affert: nam Satan nil aliud innuere vult, quàm aduersus. Vnde Christus in D. Matt. c. 16. dum D. Petrus ei mortem dissuadere volens, eidem dixit: Matt. 16. 23. *Vade post me Satan, scandalum es mihi*: tamquam diceret, tu mihi aduersaris, & quæris me impedire, ne illud adimpleam, cuius causa caro factus sum, & in mundum veni; ideoq. alteri verbo *Affuit inter eos*, illud additum est. *Albertus Magnus.* Vbi quamquam Albertus Magnus, & D. Thomas animaduertant, *D. Thomas.* quòd de Angelis dicitur, quòd venirent; *Quadam autem diem cũ venissent filij Dei*: de Satana nihilominus dicitur, quòd non venit; sed aderat, vt coactus ante Iudicem; attamen melius est, & magis ad rem nostram consonans, quidquid ceteri omnes inquiunt; nam hinc rabida habetur volũtas, seu cupiditas, qua vtitur iste Satan verè *Dæmonis cupiditas ad nocendum.* aduersus; hoc autem duobus cumulatis modis efficit, in corpus, scilicet, & in animam: in corpus præsentia, ac eadem substantia; vnde tot à spiritibus detenti cernuntur: in animam autem per suggestionem: verum de hac materia alias fortasse loquemur: pro nunc scire sufficiat, hunc nostri infernalem hostẽ varia habere nomina, quia diuersimode nostrũ perquirit exitium; *Diabolus quomodo expellitur.* & propterea modum scire expedit, immò omnibus regulis, vti per quas eum à nobis expellere valeamus.

Prima regula est dolor, quem homo, & mulier se offendisse Deum habere debet: & hoc propheta Regius Psal. 6. aiebat: Psal. 6. 7. *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo*. *Dolor de peccatis expellit diabolum.* Quidam canis coquinam, seu tabernam ingreditur: coquinarius timens, ne aliqua popinaria ei surripiat, & inde propterea malum eueniat, quid agit? *Simile.* super eum calidam spargit aquam: canis fugit, nec sibi amplius molestiam affert: Psal. 73. 13. *Tu cõtribulasti capita draconum in aquis*;

nunc

nunc tempus eſt, vt nos ô homo, & mulier, hunc immanem expellamus canem, draconem, inquam, hunc ex noſtro corde; ſed quo cum adminiculo? cum deuotionis, lacrymis, nec non dorolis te offendiſſe Deum, & tamquam Magdalena, quæ *lacrymis cœpit rigare pedes Domini*, & audies tibi dici: *Dimiſſa ſunt peccata tua*. Luc. 7. 38.

Secundum antidotum mortificationis eſt baculum. Amens per ciuitatem ambulat, domum cuiuſdam ingreditur, herus domus cernit ipſum: & de aliquo malo timens, accipit baculum, & eum foras expellit: *Stultitia colligata eſt in corde pueri: & virga diſciplinæ fugabit illam*, aiunt Prou. 21. O pauper peccator, & peccatrix, non ne vides, quod cor tuum ille inſanus, amens ille dæmon eſt ingreſſus, qui ob minimam ſuperbiæ auram, cælum (vt dicitur) obluſit? Animaduerte, quia præter tui damnum, & exitium, aliud non perquiret: & poſtquam hac in vita male te acceperit, in alteram tui damnationem quæret; & ideò quam citius potes, mortificationis, ac diſciplinæ baculum aſſume, cum quo eum à te, & ab anima tua repelle. *Mortificatio expellit diabolum* *Simile*. Prou. 21. 15.

Tertium remedium ieiunium eſt. Lupum ouile, & animalium mandram ſemper inſectantem aliquando cernetis: qui quidem, ſi belluæ ad montem pergunt, pergit ad montem; ſi ad littus proficiſcuntur, proficiſcitur ad littus; & hoc efficit nō alia cauſa, quam vt ipſas deuoret, & ventrem impleat; in loca autem, in quibus talia non habitant animalia, numquam proficiſcitur: *Incraſſata eſt pars eius, & electus cibus illius*, Abac. 1. Scitote (ait iſte Propheta) quod dæmon ad nimiam ciborum ingurgitationem, currit: currit inquam, quo multo ſtudio, diligentiaq. & cibis, & potibus opera datur: verumtamen loca fugit, & deſerit, in quibus ad ieiunium incumbitur, & ſe celat; & propterea ipſum neceſſarium eſt; quoniam in tentatione euaneſcit, & amplius tibi obeſſe non poteſt. *Ieiunium expellit diabolum*, *Simile*. Abac. 1. 16.

Quartum remedium ſancta eſt oratio. Dicunt plurimi, decantatores quibuſdam vti incantamentis, per quæ hydros, ſeu angues è ſpecu extrahunt: *Hoc genus dæmoniorum non eÿcitur niſi in ieiunio, & oratione*. Scitote (ait Chriſtus Dominus noſter Matth. 17.) quod vt è ſpecu cordis, & animæ dæmonem attrahamus, antidotum melius non eſt, nec ſalubrius, quam orationis incantamentum. *Oratio expellit diabolum*. *Simile*. Matt. 17. 21.

Et, vt his finem imponam, tria inſuper remedia Salomon *Remedia tria ad expellendū diabolum*.

 affert.

affert, qui, inquit, tria esse, quæ extra suam domum hominem pellunt: primum *mulier*, scilicet, *litigiosa*. Secundum, *stillicidium*. & tertium, *fumus*. Sed quæ nam est ista domus, nisi peccatoris anima? Qui nam est inhabitor eius? Dæmon per peccatum. Vt igitur eum expellamus, ecce remedia. Primum, scilicet, *litigiosa mulier*, hoc est, tui amor, & remordens conscientia. Vnde Iob 40. aiebat: *Sub vmbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus*. Secundum, videlicet, *stillicidium*; hoc est, cum domi pluit, homo eam inhabitare non valet: scis ne quale istud est stillicidium? Verbum Dei: *Et cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* inquit Iob 25. Tertium, & postremum est *fumus*. Scitis equidem, quòd domi fumosæ inhabitare nequimus. Sed qui nam iste *fumus*? Assidua denotio, quotidiana ecclesiarum visitatio, nec non stationum, ac indulgentiarum: *Fumus eius extricat ab homine omne genus dæmoniorum*: Tobiæ 6. dicitur. Et ite in pace.

Iob 40. 16.
Iob 25. 14.
Iob 6. 8.

QVIN-

QVINTADECIMA LECTIO.

De Interrogatione Dei ad dæmonem, & de responsione illius ad Deum.

IN QVA DVO EXPLANANTVR. Primum est interrogatio quædam à Deo facta dæmoni, dicente; Vnde venis? Secundum est responsio ipsius dæmonis. In primo tractatur quo modo alloquitur Deus Angelos, Sanctos, & dæmones; & quid vult sibi ista interrogatio; & hac occasione Prædestinationis materia declaratur. In secundo potestas, & malitia dæmonis detegitur.

Cui dixit Dominus, Vnde venis? Qui respondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Iob 1. 7.

PRIMA PARS.

FAS quidem erat, quòd infernalis Satan magno coram Deo steterit: vel (quemadmodum in præterita Lectione explicaui) coram Angelo, Deum repræsentante, diligentissimà interrogatione eum perquireret, vnde veniret, & quod nam eius fuisset iter; & demum sibi diceretur: *Vnde venis?* & consequenter plena responsione ipsemet Satan ei responderet: *Circuiui terram, & perambulaui eam*: per quem hunc mirabilem dialogum, aperirentur, & patefierent Iobi bonitas, & sanctitas. Quam ob rem absque alia inuentione hodiernus textus in seipso

vnicam propositionem, & vnicam responsionem continet. Propositione pro primæ, & responsione pro secundæ partis materia vtimur. Attendite.

Lectionis diuisio i. duo capita.

CVi *dixit Dominus, vnde venis*? At primo ait textus, quod in sua iudiciali cathedra *Iehoua* sedens, ille, scilicet, qui Deum repræsentabat, primum, quod egit, fuit interrogatio ab eodem Satanæ facta, videlicet: *Vnde venis*? Circa quam interrogationẽ D.Greg. 2. Moral.c.5.6. & 7. diligentius hanc materiam explicare volens, ait: Animaduertite, quod, cum Angelus sit purus spiritus, & incorporeus: & Deus etiam cum sit purissimus spiritus, eorum locutio à nostra locutione differt. Et ideò secus alloquitur Deus bonos Angelos, & secus Angeli boni alloquuntur Deum: ità aliter alloquitur Deus sanctos, & aliter sancti Deum alloquuntur. Et denique aliter Deus dæmonem alloquitur, & Deum aliter dæmon. Et primum, cum dicitur, quòd Deus bonos alloquitur Angelos, intelligitur, quòd Deus in eorum mentibus aliquas nouas imprimit reuelationes, in quibus, contemplantes, quidquid & agere, & operari debeant, vident: quæ pro præceptis, & mandatis Dei Angelis inseruiunt, sicuti in Genes. 11. dicitur: *Venite*, igitur scilicet, *descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Tunc, inquam, sui intentionem reuelando eisdem, præcepit, vt confundentes in Babel linguas, gigantum superbiam, & insolentiam retunderent, qui cælum pertingere volebant. E conuerso deinceps Deum Angeli alloquuntur: nã suas magnitudines speculantes, eum admirantur, & exaltant. Vnde in Apoc. 5. dicitur: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam*. Sic aliter Deus sanctas alloquitur animas, & animæ Deum alloquuntur: quoniam dum hæ Deum alloquuntur, optatum, quod habent, patefaciunt, hoc est, quod quam primum electorum numerus adimpleatur, & iudicium perueniat. Et è conuerso sanctas animas Deus alloquitur, dum in eorum mentes noua munera patientiæ in expectando hoc fratrum, & electorum complementum, infundit. Vnde in Apoc. cap. 6. dicitur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei: & propter testimonium, quod habebant; & clamabant voce magna dicentes; vsquequo Domine (sanctus, & verus) nõ iudicas, & nõ vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra*? Ecce desiderium,

D.Greg. 2.Mor. 5.6.& 7.

Angelus purus spiritus.

Deus purissimus spiritus.

Deus diuersimode alloquitur Sanctos & Angelos.

Deus quomodo Angelos alloquitur.

Gen. 11. 6.

Apoc. 5. 12.

Apoc. 6. 9.

quo

quo ſanćti gaudent. Et ſtatim Deus reſpondit. *Et dictum eſt illis; Requieſcite, tempus adhuc modicum donec impleatur numerus conſeruorum, & fratrum veſtrorum.* Ecce noua munera patientiæ in expećtando. Ita tertio in loco ſecus dæmonem Deus alloquitur: & ſecus dæmon Deum alloquitur; nam dæmonis ad Deum locutio triplex eſt, primo cum iter perađum ab eo ſibi patefacit. Secundo cum falsò ſuos electos accuſat. Tertio, cum tentandi eos facultatem petit à Deo. De primo, ait, *Circuiui terram, & perambulaui eam.* De ſecundo, *Numquid fruſtra Iob timet* Deum? De tertio, *Extende manum tuam: & tange cuncta, quæ poſsidet.* Sic è contra quadrupliciter dæmonem Deus alloquitur. Primo, cum redarguit eum de eius iniuſtis, & ſceleſtibus operationibus. Secundo, cum iuſtorum bonitatem ei exprobrat. Tertio, cum, vt ſuos experiatur amicos, ſibi permittit. Quarto, cum eidem prohibet, quòd, ſcilicet, peculiaribus in rebus eos tentare non audeat. Cum primo, ait, *Vnde venis?* Cum ſecundo, *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob?* Cum tertio: *Ecce vniuerſa, quæ habet, in manu tua ſunt.* Cum quarto, *Tantum in eum ne extendas manum tuam.* Nihilominus quo ad Dei locutionem cum Angelis bonis, & cum ſanćtis animabus: & è conuerſo quo ad Angelorum, & Sanćtorum ad Deum locutiones hic non facit ad rem: ſed benè quò ad Dei cum dæmone loquutionem, & dæmonis cum Deo ipſo: de hoc propriè ſermo habetur: & ideo textus ait,

Deus quadrupliciter dæmonem alloquitur.

Cui dixit Dominus, vnde venis? Et prius ab ipſo dæmone petit Deus, quas per vias, quæ per loca iter habuit. Verum ſi nos non ignoramus Deo omnia clara, nuda, & aperta eſſe, & nulla latere à conſpectu eius: cur igitur petit, & ſcire inquirit à ſatana & locum, & viam, per quam ambulauit? Origenes ait, quòd vbi noſtra vulgata legit *Venis* in præſenti, hebræus textus dicit, *Venies* in futuro. Et hoc non alia cauſa, quàm (vt quidam inquiunt) vt dæmonis naturam oſtendant: qui licet multa perpetrauerit, & commiſerit mala; verumtamen ita rabioſus ſitit noſtrum exitium, vt numquam nos perſequi, & nobis malefacere laxetur, & ſaturetur; & *ideò vnde venies?* ac ſi diceret: Tu magna perpetraſti mala; ſed quòd maiora, & plura perpetrare perquiris, non me latet. Et hoc hebraicæ linguæ proprium eſt, ſcilicet, quòd interdum tempus futurum pro præterito valet; & ita dicitur, Vnde venies? ſicuti Vnde veniſti?

Deus cur petit à Satana ſcire vnde veniet. Origenes.

Dæmon ita ſitit noſtrum exitiũ, vt nunquã nos perſequi laxetur.

Tamen

Origenes. Tamen ipsemet Origenes probat nostrum latinum interpretem hoc in præsenti verbum bene transtulisse: quoniam à verbi proprietate perbellè quidem innuit, quòd Satanæ proprietatem patefacit; & ideo, cum eum interrogat, potius se dubium, quàm indubium demonstrat suarum iniquitatum, cum illæ innumeræ, & ferè infinitæ existant: ac si diceret; Tu quidem è perpetratis homicidijs, adulterijs, rapinis, & à contractis omnibus iniquitatibus proficisceris.

D.Gregor.2. Moral.4. Diuus Gregorius 2. moral. 4. ait, quòd vbi Dei in scientiâ præscientiam innuit: sic è conuerso scientia Dei prædestinationem designat. Hinc est, quòd fatuis Virginibus Matt. 25. dixit: Amen dico vobis, nescio vos. & in Genes. 3. postquam Adam peccauit, nescire vbi ille esset Deus dissimulans, peruestigabat eum, & dicebat, *Vbi es?* Non quòd Deus locum nesciret, in quo Adam erat: sed, vt innuat, quòd cum in peccatum incidisset, & consequenter reprobus euasisset, congruum non erat, quòd Deus ostenderet se locum scire, in quo inueniebatur. Et iure quidem, quia sicuti nos nescimus, nec ea, quæ in tenebris efficiuntur, cernimus: ita dicitur Deus ignorare opera in peccatis perpetrata, cum peccata tenebræ, ac vmbræ existant. Hinc dicitur Deus peccatorum viam nescire: quia in peccando cum Deo non communicent eorum intentionem, ab eodem nec auxilium, nec consilium petunt. Hoc illud est, quod Osea cap. 8. sic aiebat. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui*: & Septuaginta transtulerunt, *Principes extiterunt, & non indicauerunt mibi*. E contra ab Angelis bonis non petit quidem, Vnde venistis: nam viæ, & itinera iustorum, & bonorum pereptimè nouit, quoniam à sua diuina maiestate facultatem petunt, & consilium inquirunt: & cum nomina, & opera eorum non ignoret, hoc clarum est prædestinationis argumentum.

Matt. 25.12.

Genes.3. 10.

Deum locum, & actiones peccatorum quare dicitur ignorare.

Osea 8. 4.

Septuaginta.

Deus quare dicitur scire operationes iustorū.

Hic etiam animaduertendum est, quod quamuis Deus nomina, & vias prædestinatorum sciat; non ideo hac eius præscientia, in prædestinato necessitatem, vel vim ponit. E conuerso si nos scimus Deum sua scientia errare non posse: igitur certa, ac infallibilis est prædestinatio: & tamen in Apocal. 3. dicitur. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*. Et Iob 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*. qui locus ab omnibus ferè exponitur de regnis, & potentijs, quæ à Deo conferuntur:

Scientia Dei non ponit necessitatem in prædestinato.

Apoc.3. 11.

Iob 34. 24.

quia,

quia, cum Deus ſit Rex non vnius tantum Regni, ſed cæli, & terræ dominator ſempiternus, vt eleganter Pſal. 144. canit Regius Vates, *Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Generatio, & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt.* Ratio huius rei duplex; quia vbi homines vno tantum ſæculo viuere, & regnare poſſunt, & per conſequens vnius ſæculi tantum habent; Deus, qui eſt æternus, eſt etiam rex omnium ſæculorum. Altera, quia omnes regiæ perfectiones in eo reperiuntur: ideo verſ. 6. fortitudinem. 7. diuitias. 8. miſericordiam, & patientiam. 9. lenitatem, & manſuetudinem. 14. conſtantiam, & veritatem. 15. miſerorum prouidentiam. 16. curam paſcendi, & ſubminiſtrandi ſubditis. 19. aures apertas ad miſerorum preces, & clamores. 20. bonorum præmia: tandem 21. iuſtitiam, & ſeueritatem erga improbos in eo reperiri denunciat, in vnum colligens. Hinc eſt, quod diuidit regna, quibus vult: vnde prouerb. 8. *Per me reges regnant, &c.* Et Daniel. 4. *Excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud.* Cui dubitationi reſpondendum putauit Diuus Thomas part. 1. q. 23. art. 6. vbi dicit, quod corona, de qua dicitur Apoc. 3. vt ſupra diximus, *Ne alius accipiat coronam tuam*, dupliciter accipitur; vno modo ex prædeſtinatione diuina, quo pacto nullus coronam ſuam amittit: alio modo ex merito gratiæ, qua ratione quilibet coronam ſuam poteſt per lethale peccatum amittere; & alius illam amiſſam accipere, quatenus loco eius ſubrogatur: ſic enim in locum angelorum, qui ceciderunt, inſtituti ſunt homines, & in locum Iudæorum Gentiles. Itaque Diuus Thomas coronam hanc non ad prædeſtinationem, ſed ad præſentem iuſtitiam pertinere exiſtimat. Verumtamen Diuus Auguſtinus lib. de prędeſtinatione, & gratia cap. 13. de prædeſtinationis corona locum planè interpretatur, tum obiectioni reſpondet dictum eſſe illi Angelo Apoc. & omnibus prædeſtinatis, *Tene quod habes, vt nemo tollat coronam tuam*, ne altum ſapiant; ſed cum timore, & tremore ſalutem ſuam operentur. *Quis enim*, inquit, *ex multitudine fidelium, quam diu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Quid id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus*

[Margin notes: Pſal. 144. 1. 2. 3. — *Deus Rex omniũ ſæculorum.* — Iob 7. 8. 9. 14 15. 16. 19. 20 21. — Prouer. 8. 15. — Daniel 4. 14. — D. Tho. 1. p. q. 23. art. 6. — Apoc. 3. 11. — *Corona quo modo intelligitur poſſe amitti.* — *D. Aug lib de prædeſtinatione, & gratia c. 13.*]

tus colaphizaretur. Hæc ille. Quam Augustini responsionem ita possumus luculentius tradere, quia ni mirum diuina prædestinatio nullam prædestinato necessitatem afferre; atque adeo illi integrum est ex æquo benè, vel malè agere, ac si prædestinatus non fuisset, verissimè potest, si libertas eius spectetur, coronam amittere, quemadmodum reprobus eadem ratione potest illam acquirere, vel consequi, quamquam ex hypothesi, quod alter sit prædestinatus, alter reprobus; hoc est, in sensu composito (vt loquuntur Theologi) implicet, prædestinatum coronam amittere, reprobumque eius loco succedere. Nota clarius secundum Bonauenturam in 1. dist.40. cui concordant D.Thomas, Scotistæ, ac Doctores communiter, quòd quamuis prædestinatio ponat certitudinem, non tamen ponit necessitatem: sicut nec præscientia tollit arbitrij libertatem: quod quidem tripliciter declaratur. Primo ex ratione causali, quia prędestinatio non est causa salutis nostræ per necessitatem, sed per voluntatem Dei, quæ vult, quòd prædestinatio sit contingens: nam secundum Scotistas pro generali regula tenendum est, quòd quidquid Deus extra se vult, contingenter vult fieri. Ergo sequitur, quòd voluntas Dei non necessitat prædestinatum saluari. Item quia prædestinatio Dei non est tota causa salutis nostræ; sed cum alia simul causa, scilicet, contingente, videlicet, cum nostro libero arbitrio. Vnde Augustin. super Ioan. dicit, *qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te*. Sed est generalis regula, quòd quandocumque aliquis effectus dependet ex causa necessaria, & vniuersali, simul cum variabili particulari, tunc denominatur à variabili, & non à necessaria, sicut patet in exemplo primi libri Priorum. Conclusio, quæ infertur ex vna de necessario, & alia de contingenti, non potest esse vera, nisi contingenter, quia conclusio semper sequitur partem præmissæ debilioris: puta, arguendo hominem necessario esse animal, & animal contingenter est album. ergo sequitur, quod homo contingenter est albus, & non necessariò. Sic in proposito, prædestinatio pendet ex causa vniuersali, scilicet, ex præscientia Dei, & simul ex causa particulari contingente, scilicet libero arbitrio. ergo est contingens.

Prædestinatio non imponit necessitatem prædestinato.

D.Bonauent.lib. 1. dist.40.

Deus quidquid extra se vult, cötingēter vult.

Aug super Ioan.

Effectus dependens à causa vniuersali necessaria, simul cum variabili particulari, tunc denominatur à variabili.

Secunda ratio est ex modo iusto saluandi; quia Deus neminem vult, nec facit indignè, & iniustè saluari per suam prædestinationem tantummodo, sed per iusta media, videlicet,

Deus neminē facit indignū per suam prædestinationem.

licet, per gratiam,& merita:nec præſcientia Dei facit quemquam damnari, niſi per merita ſecundum iuſtitiam. Ergo non tollit libertatem arbitrij, nec ponit neceſſitatem prædeſtinato, nec etiam præſcientia; alioquin ſequerentur multa inconuenientia erronea & impoſſibilia. Primum inconueniens ſumitur à theologia, quia, ſi prædeſtinatio, & præſcientia imponeret neceſſitatem, fruſtra eſſet fides, & Euangelium Chriſti, ac eius prædicatio; cum neceſſario deberent ſaluari, ac damnari homines, prout Deus præſciuit hos & illos, ſiue crederent, ſiue non. Item tolleretur libertas arbitrij in homine; & ſic Deus non iuſtè puniret malos cum neceſſariò fecerunt mala, quæ Deus præſciuit facienda: nec iuſtè præmiaret Deus bonos, quia neceſſariò fecerant bona, quæ Deus præuidit. Secundum inconueniens ſumitur ex æthicis; quia ſi ſic, tunc periret laus virtutis, & vituperium mali; nec bonis moribus mereremur, nec malis demereremur, cum fierent neceſſario in hominibus. Tertium ſumitur à Politica, quia ſi ſic, tunc in omnipotentia fruſtra eſſet prudentia conſiliatiua; quia, ſiue conſiliarentur, ſiue non, neceſſario omnia euenirent; nam de neceſſarijs euentibus non eſt conſiliari: puta, ſol, debeat ne oriri cras, vel homo moriatur ne aliquando: & ſic fruſtra eſſent leges, & tolleretur omnis iuſtitia. Quartum, & vltimum inconueniens ex Phyſica; quia ſic fruſtra adhiberentur medicamina infirmitatibus, & vulneribus, qua propter Auguſt. lib. de liber. arbit. dicit, quod ſicut memoria mea, licèt ſciat quæ præterierunt: tamen non cogit illa eſſe facta: ſic Dei præſcientia non cogit facienda eſſe quæ futura ſunt. Item ſicut viſio mea, qua certitudinaliter ſcio, quòd iſte facit rotam, vel ollam, non ponit neceſſitatem faciendi rotam: ita in propoſito. Riccardus ad hæc addit exemplum, dicens. Cum Chriſtus dominus Petro prædixit, quod eſſet negaturus: hoc ex Chriſti veritate fuit neceſſarium, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd Petrus Chriſtum neceſſario negauerit, ſed contingenter: aliàs non peccaſſet. Similiter eſt de Iuda tradente; cui etiam Chriſtus prædixit, quòd eum eſſet traditurus, & quòd periret in peccato. Similiter de Iudæis Chriſtum crucifigentibus; & tamen contingenter fecerunt, & non neceſſario: alias nec Iudas, nec Iudæi peccaſſent, nec damnari demeruiſſent.

Fides fruſtra eſſet, ſi prædeſtinatio imponeret neceſſitatem.

Aug. de lib. arb.

Riccardus.

Denique nota, quod licèt æterna prædeſtinatio ſine nobis ſit

Prædeſtinatio æterna licet ſit ſi.

ne nobis quo ad principium est sine nobis, quo ad effectum. sit quantum ad principium, quia Deus sine nobis elegit nos: sed non est sine nobis quantum ad finem, quia sine nobis non glorificamur. Ideo Deus opera exigit. Vnde Beatus
2.Pet. 1.10. Petrus in sua 2. cap. 1. *Quapropter fratres, magis satagite,* inquit, *vt per bona opera certam vestram vocationem, & ele-*
Matt. 19.17. *ctionem faciatis.* Et Saluator noster Matt. 19. *si autem vis*
Roman. 2.13 *ad vitam ingredi, serua mandata.* Et D. Paulus Roman. 2. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed facto-*
Iacob. 1.22. *res legis iustificabuntur.* Et Iacob. 1. *Estote autem factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Et
Psal. 102. Regius vates ait Psalm. 102. quod illi consequuntur gloriam, qui memores sunt mandatorum Dei ad faciendum ea. Sic
Matt. 20. 2. ille Paterfamilias non dedit denarium (per quem æterna retributio intelligitur) operarijs verbolis solum. Et Chri-
Ioan. 15. 2. stus Ioan. 15. ait. *Omnem palmitem in me non facientem fructum, tollet eum pater meus.* Tollere autem eum (vt ipsemet ait, infra) est remittere illum in ignem vt ardeat: non tamen condemnatur ab alio, nisi quia fructum non fa-
Isai. 1. 17. cit. Et Esai. 1. *Discite*, inquit, *benefacere:* non dixit benedicere. Ex istis, & alijs locis scripturæ, quos breuitatis causa omitto, apertè constat, prædestinationem non imponere prædestinato necessitatem.

Vnde venis? Hic litteræ sensum relinquendo, & ad moralem me attinendo. At tandem ambiguum non est, hæc eadem verba cuilibet peccatori dici, & aptari posse. Qua-

Peccator quatuor vias reminisci debet. tuor vias, quatuorque status, seu conditiones peccator reminisci deberet. Primum, scilicet, Vnde venit. Secundo, vbi nunc est. Tertio, quo erit. Quarto, quo non erit. Prius reminisci debet, vnde venit, idest, immediatè à Deo; quia immediatè à suis manibus conditus est, & ad condendum cum suæ omnipotentiæ thesaurum aperire oportuit. Ille insignis artifex varias se ponit æris, auricalchi, alijsque ex si-

Simile. milibus materijs ad conficiendas imagines, ac inter istas inde vnicam ex auro conficit, circa quam, & in qua non modo omnem eius scientiam, ac diligentiam immittit; sed aptat omnes margaritas, ac gemmas, & denique in eadem

Deus egregium artificē se ostendit in creatione diuersorum animalium. omnia sua pretiosiora, & gratiora collocat. Deus egregius artifex diuersa condidit animalia, variasque creaturas: imo ipsum hominis corpus ex ære, ac auricalco, idest, ex terra, & aqua, & ex alijs elementis, formauit: sed, cùm inde nostram animam creauit, dicere possumus, quod, suum the-

thesaurum aperiendo, ex omnibus margaritis, omnibusque ex insignioribus, & gratioribus muneribus decorauit, quorum erat capax. Et ideo, quemadmodum ille, qui pretiosum vas in manus ferens semper per lucentia, ac clara loca ambulare quærit, ne labatur, & decidat: sic vir, & mulier pro posse, & in summum peccati tenebras euadere, ac fugere debent. Vnde ad hoc institutum Christus dominus noster aiebat. *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Ioan. 12. 35.

Secundo, reminisci debet peccator in quo statu se inuenit, qui status est status peccati, miserrimus status, status amarissimus; qui, licèt quo ad sensum, & aliquo tempore dulcis, lenisq. apparet: tandem certissimum est, quòd semper amarus, difficilisq. sortitur. Hoc differt inter comędiam, & tragædiã, quòd comædia ex fletu exordiũ trahit, ex risu autẽ tragædia, sed hactenus comędia ridendo finit; tragędiaq. flendo: hoc etiam differt inter peccatorem, & iustum: iustus ex fletu incipit, quia omnibus eius vitæ diebus se afficit pœnitentia, & abstinentia: è conuerso peccator risu, ludis, choreis, sonis, conuiuijs, &c. sed iusto cæli, gloriæq. risus, peccatori autem inferni, ac pœnarum fletus respondent. Et hoc illud est, quod Hieremias 2. aiebat, scilicet, *Scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te dominum Deum tuum.* Hier. 2. 19.

Peccator debet reminisci in quo statu est.

Tertio, statum, quo eris, idest, in iudicium vniuersale, in quo omnia opera acta, & à te agenda, discutienda, & libranda erunt. Relegatus in satellitum potestate est; arctius, quàm possunt, ei vincula adhibent, ac innectunt sic, quòd ipse aufugere nequit, ad curialem iustitiam conducunt: quo interim quot mala, quotque crimina perpetrauerit mente reuoluit; & consequenter sciens iudicem iustissimum esse, & ipsummet digna pœna, ac punitione affecturum. Sed tu peccator, & peccatrix, scientes quot mala, quantaque crimina perpetrastis, & etiam non ignorantes, quòd Deus est iudex iustus, marmorei estis, si sæpè sæpius non mente reuoluitis hæc, & hęc animaduertentes non formidatis, & non contremitis. Hoc exclamat Dauid Propheta Psalm. 118. A Ps. 118. 120. *iudicijs enim tuis timui*, tamquam diceret: quotiescumque cogito, quòd ego à te iustissimo iudice iudicabor, & timore, & tremore me imbuo.

Peccator debet reminisci statũ in quo erit. Simile.

Et demum quartum statum, in quo, idest, tua culpa, ac dementia non eris: quoniam tua propter crimina illis te-

pri-

priuasti bonis æternis, quæ Christus dominus noster tot laboribus, sudoribus, & morte tibi acquisiuit, & tamquam legitimus Pater tibi reliquit in æternum testamentum. Ille

Simile. Paterfamilias toto suæ vitæ tempore laborat, vt aurum, argentum, prædia, & denique varias diuitias suo filio acquirat. Sed quid? non tam citò hæreditatem accipit filius, quòd omnia dispergit, ac profundit: de quo nam ipse conqueri debet de patre, vel de semetipso? De seipso quidem: nam quo ad patrem, vt eum relinqueret diuitem, omnem adhibuit conatum: sed eius scelera eum pauperem fecere.

Oseę 13. 9. *Perditio tua ex te Israel.* Caue homo, caue mulier ne paternam hæreditatem, cælestem gloriam paruipendatis, quam hic Christus verus noster pater vobis acquisiuit: nam, si perditis eam, nisi de vobis ipsis conquerendi causam non habebitis. Quiescite.

SECVNDA PARS.

CIRCVIVI *terram, & perambulaui eam, &c.* Hoc est Satanę responsum. Deus ab eo petit, *Vnde venis?* & ipse è conuerso respondit ei, *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Ego omnem circuiui terram, omnes perambulaui

D. Gregorius spirituũ celeritas miræ. regiones. Vbi D. Gregorius ait: *Mira animaduertitur spirituum celeritas, qui tanta festinatione vniuersam terram circuire possunt.* Et Tertullianus in Apologetico cap.

Tertullianus in Apologet. c. 22. 22. quòd propter hanc eorum celeritatem, ac festinationem spiritus in scripturis sępe sępius aues, & volucres appellan-

Spiritus aues dicuntur propter miram celeritatem. tur. Sed hinc ad nostram rem etiam duo habentur. Primum quorum est, quòd magna esse videtur dęmonis potentia. Secundum est, quod etiam magna est solicitudo, ac diligentia, quam nostri exitij habet. Quę duo ob timorem & cautos, & vigilantes nos reddere deberent. quo ad primum, idest, quòd dęmonis potentia magna sit, nulli dubium exi-

Iob 41. 24. stere debet; nam ipsemet Iob 41. de illo ait. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* Et Christus eum

Ioan. 12. 31. appellauit huius mundi Principem. *Nunc Princeps huius*

D. Ioan. Apocal. 12. *mundi eijcietur foras.* & D. Ioan. Apocal. 12. vt nobis amplius perinnueret hanc suam potentiam depinxit, cum vidisse tamquam draconem decem cum cornibus, & septem capitibus,

pitibus, & super capita diademata esse: quod exponens Vgo Cardinalis, ait, *septem capita esse septem peccata lethalia; flagellantem ferè omnes, & interficientem*: vndè iure dicitur, *Non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum*: Decem cornua esse decem præceptorum transgressionem: & tandem diademata vniuersalem esse victoriam, quam è maiori gentium parte reportat. Animaduertite vos quæ nam potentia est ista? Et in Apoc. 9. legitur, quòd Diuus Ioannes dæmones in locustarum forma exire vidit, quibus potestas data fuit scorpionum similis; & mandatum fuit eis, quòd, relicto fęno intacto, & herbis, & arboribus, damnificarent, & obessent illis hominibus, & mulieribus, qui Dei signum in fronte non gestabant. Vbi primum nota dæmonum elationem per similitudinem locustarum: nam, sicut locustæ in altum saliunt, sic dæmones per superbiam in altum salire voluerunt: iuxta illud Isai. 14. *In cælum ascendam, &c.* Item per casum ruinæ; quia locusta post saltum nimium cadit, iuxta illud etiam Isai. 14. *Quo modo cecidisti de cælo lucifer?* Tandem assimilatur locustæ, quia impetu suæ prauę voluntatis, & potestatis omnia demolitur, & perdit.

Vgo Card. — Psal. 23. 1. — *Cornua decem erunt decē præceptorum transgressiones.* — Apoc. 9. — Isai. 14. 13. — Isai. 14. 12.

Insuper est malitia, & iniqua diligentia, & solicitudo, cum qua assiduè nostrum quærit exitium. Vnde dæmon prædatori affabrè æquari potest, vel sicario. Prædator accingit se, vt illum Patricium, illum Dominum interficiat. quid agit? varijs vtitur calliditatibus, stratagemmatibus diuersis, & præsertim quatuor. Prima faciem tegit; secunda, prohibita, ac virosa arma secum affert; tertia aliena se tegit veste: quarta autem, & vltima continuò hinc, & inde circumerrat. Primum faciem tegit quantum potest, ne cognoscatur, amictu se cooperit, pileum sub fronte dirigit. *Portas vultus eius quis aperiet?* Quid nam existimatis, quòd faciat dæmon (ait Iob cap. 41.) affabrè agit vti prædator: ita suum tegit vultum, quòd, cum ad te tentandum accedit, tu eum non poteris cognoscere; nam nunc cum voluptatum persona, nunc honorum, nunc cum isto, nunc cum illo velamine quærit, vt te redigat ad omnia perpetranda, quæ desiderat, vt te in peccata præcipitet, ac perdat.

Militia dæmonis erga nos. — *Simile.* — Iob 41. 5.

Secundo, prohibita secum arma portat, & virosa. In aliquo prato erit quædam vipera, natura lenta quo ad motum; qui sui veneni consuetudinem non habet, videns eam ita in motu lentam, ac mansuetam præ manibus accipit: tunc ea

Simile.

se ad illum vertit, & mordendo eumdem venenat, & interficit. *Dentes leonis, dentes eius interficientes animas hominum*, quidnam existimatis, quòd Dæmon operetur? armis prohibitis, venenatis armis animam occidit: vix suis vel ambitionis, vel auaritiæ, vel carnalitatis suggestionibus homo assentit, quod statim ad peccatum te dirigendo pauperculam tui animam interficit.

Eccle. 21. 3.

Dæmon velut prædo nos persequitur.

Tertio, Prædator alienis à suis se vestibus tegit, easq. immutat consuetas; & licet sit egregius miles: nihilominus in pedibus contritos se calciat calceos, rusticum pallium, arpinum capitium, &c. *quis reuelabit faciem indumenti eius*, ait idem Iob in eodem cap. 41. Diuus Gregorius 4. Moral. 28. ait. Vis scire quomodo dæmon iste operatur, tamquam quidem prædo sic alienas accipit vestes, quòd ita transfiguratus videtur, quin linceis oculis, & aquilina acie effingi non possit: eo magis quod se naturalibus vestimentis cooperit. Et quòd hoc à veritate non distet, audite D. Paul. de eo dicentē, *qui se transformat in Angelum lucis.* Videte quantum differt inter bonum, & malum Angelum: Attamen Diuus Paulus ait; ita se transformat, quòd vnus non distinguitur ab altero. Vbi notandum est, quòd Diuus Paulus non inquit, quòd tamquam Angelus pingatur, sed quòd transformetur, vt Angelus. Hoc differt inter picturam, & effictionem, quòd, scilicet, pictor animi motu pingit; sed effictor oportet, vt naturaliter effingat: sic equidem dæmon se gerit. Ita, quòd (Diuus Augustinus ait cap. 18. in Genesim) absque Dei, ac Spiritus sancti auxilio cognosci nequit, & ideo vbi latinus textus ait, *Quis reuelabit faciem indumenti eius*; hebræus inquit, quis reuelabit pellem eius. Sic iste color se annectit, quòd se in quod repræsentat transformat: ita, vt (idemmet ait Augustinus de spiritu, & anima cap. 28.) ipsimet Dei serui absque speciali eius auxilio ignorent eum. Et quòd hoc verum sit; Christus dominus noster suis cum Apostolis in cœna recumbebat, & dicebat, *Nonne ego vos duodecim elegi? & vbi nunc ibi duodecim sunt?* Ecce, dicere poterant. Minimè, ait Christus, vndecim tantum estis; quia *vnus ex vobis diabolus est*: & iure; nam impius Iudas sic se affabre in diabolum transformauerat, quòd comedebat, bibebat, & dormiebat cum Apostolis, & nequaquam cognoscebatur.

Iob. c. 41. 4.
D. Gregor. 4. moral. 28.
2. Corint. 11. 14.
D Aug c. 18. in Genesim.
Aug de spiritu, & anima c. 28.
Ioan. 6. 70.

Quarto, & vltimo, quid prædo operatur? hinc, & inde cir-

circumuagatur: nunc in hunc locum, nunc alium cernetis illum, nec vnquam quiescit quousque prædationem non perficit, quam perpetrare sua in mente decreuit: sic equidem facit dæmon. Et quòd pateat de hoc veritas, ipsemet gloriatur, *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Quibus in verbis duo notantur. Primum est mira celeritas (vt dixi) spirituum, qui tam cito circumeunt, & perambulant vniuersum mundum. Secundum est, quòd in isto verbo, *Circuiui*, includitur quædam sedula perscrutatio videndi, ac minutim peruestigandi omnia: & ideò in hebræo sensu adest, per quod innuere vult *perillustrare, attente discurrere, & circumspicere*: ità, quòd dum dicit, *Circuiui terram*, dicere vult, non modo vniuersum perambulaui; sed etiam omnia minutim animaduerti, & volui circumspicere, & percipere quæcumque homines, ac mulieres operantur: & etiam minutim considerauì quanam via eis obesse possim, & male perdere. Huic etiam D. Petrus se inclinare voluit, cum dixit, cap. 5: *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*. Circuit non modo quo ad iter, & viam, cui se assidue committit; sed circuit, videt, perscrutatur, ac animaduertit omnes vias, omnesque modos pro posse offendendi quemcumque. Venator inuenitur, qui capere vult quoddam animal, vel quamdam siluestrem feram: quid agit? Venabula, retia, canes, & quodlibet aliud instrumentum, quo eam possit illaqueare, & innodare, parat: inde sæpem ingrediens aucupando quamlibet sæpem, & quemlibet cespitem, quousque eam non assequitur, & capit, numquam desistit: & ecce: *Circuiui terram, & perambulaui eam*, tamquam diceret: vsque nunc numquam quieui, quærens alludere, & obstringere imperio meo mortalium animas. Quædam mulier annulum, vel aliud pretiosum perdit: quid enim agit? Prius lucernam accendit, & inde totam peruestigat domum, vbique, omnibusq. in angulis commouet, & remouet sedes, scamna, mensas euertit, & quidquid domi est, vt ea inueniat: *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Scitote (ait dæmon) me omnem diligentiam adhibere, vt vnicam animam tantum lucrifaciam.

Demonis sedula perscrutatio.

1. Petr. 5. 8.

Simile.

Simile.

Demon vt animas perdat, omnem adhibet diligentiam.

Muliones Mediolano, Neapolique proficiscuntur, &c. & serica, aliaque mercimonia ferentes, etiam ferunt pestem, quæ illis in locis viget, à quibus discedunt: gentes id ignorantes, emunt ea, & per eadem seipsos, suosque conciues in-

Simile.

Psal. 9.6. ficiunt: A *negotio perambulante in tenebris*: *ab incursu, & dæmonio meridiano libera me Domine*; Deus me euertat (ait Propheta Regius Psal. 90. ab hoc impio dæmone, qui illico Mediolano proficiſcitur Romam, Neapoli ianuam ſuis cum mercimonijs infectis, ſuis cum ſuggeſtionibus venenatis: & quot mercimonia fert; tot peſtium generibus venenat, & interficit: quoniam auaritiæ peſte partim interficit, partimq. ambitionis lue: aliquos carnalitatis morbo: paucos autem ſuas manus euitant.

Et perambulaui eam, ſcilicet, omnem terram ſubieci, vel (vt melius inquam) omnes eius inhabitatores meo imperio: Et ideò iure dæmon lupo aſſimilari poteſt. Primo ratione
Iſidorus. nominis: dicitur enim lupus, quaſi leonis pes (vt dicit Iſidorus) eo quòd quaſi leonis pedibus ſit ei virtus: vnde quid-
Dæmonis pedes ſunt delectationes. quid preſſerit non viuit. Pedes igitur diaboli ſunt delectationes peccati, per quas in hominem ingreditur, in quibus eſt tantæ virtutis, vt, ſi eis mentem conſentientem preſſerit;
Prouer. 1. 16. eam finaliter occidit: iuxta illud Prouerb. 1. *Pedes enim illorum ad malum currunt*. Secundo, ratione fraudis: dicitur enim, quòd lupus aliquando voces emittit quaſi hominis; aliquando latratum canum fingit, vt ſic paſtores, & oues decipiat. Sic diabolus aliquando aliquam ſuggeſtionem immittit, vt ſub ſpecie boni decipiat. Tertio, ratione delectationis ludi; quia lupus valde diligit ludum, auctore Plinio. Ideò ſi poteſt puerum rapere, cum eo aliquantu-
Plinius. lum ludit, & poſtea comedit, qualiter autem diabolus cum peccatore ludat, oſtendit D. Gregorius in Paſtoral. vbi ait:
D. Gregorius in Paſtoral. *Diabolus facta aliorum modo grauiora, modo nihil eſſe quod perpetratum eſt, modo miſericordem Deum loquitur, modo adhuc tempus ſubſequens ad pœnitentiam pollicetur, vt dum per hoc mens decepta ducitur, ab intruſione pœnitentiæ ſuſpen-*
Prouer. 14. 9. *datur*. Hæc ille. Et Prouerb. 14. *Stultis illudet peccatum*, ideſt, diabolus, qui eſt cauſa peccati: poſtquam autem cum peccatore luſerit, eum comedit. Et D. Ambroſius in quo-
D. Ambroſ. in quodam ſermone. dam ſermone: *Diabolus non diligit filios ſuos, ſed odit: ſic enim eos amat, vt perdat, ſicut amat gluto morſellum, vt comedat*. Hæc ille. Quarto, ratione fortitudinis: nam lupus habet magnam fortitudinem in capite, & in collo; inteſtina
Diaboli vis eſt in principio tentationis. autem habet debilia, ſcilicet, quia tota vis diaboli eſt in principio tentationis. Quia, ſi in principio ſibi reſiſtitur,
Ambroſius. poſtea debilis efficitur. Dicit Ambroſius, quòd homo vo-

cem

oem perdit, si lupus eum primo viderit: sed, si homo lupum ante conspexerit, audaciam perdit, & caudam deponit; tunc lupus, idest, diabolus hominem videndo præuenit, quando eum in principio non resistentem conspicit, sed è contra tunc homo lupum prius cernit, cum se armat, & præparat ad repellendum tentationis principium: nam postea diabolus perdit audaciam, & caudam deponit, quando tentare dimittit, & ad finem intentum ipsam tentationem non pertrahit. Vnde D. Chrysostomus super Matthæum; *In primis grauis, & intolerabilis est impetus diaboli, quem, si quis fortiter sustinuerit, in secundo inueniet infirmiorem: quanto enim plus percussus fuerit, tanto magis refrigescit.* Hæc ille. *D. Chrysost. super Matthæum.*

Quinto, ratione breuitatis temporis; nam legitur in lib. de animalibus, quòd quando lupus senescit, quia non potest prædari, vadit de nocte, iuxta ciuitates; & insidiatur hominibus. Sic diabolus sciens tempus suum esse breue, iuxta illud Apoc. 12. *Sciens, quia modicum tempus habet*, iam de hominibus bestialibus non curat: sed bonos deuorare festinat. Vnde Isidorus de summo bono, tunc contra eum, quem possidet, diabolus, acrius sæuit, quando se diuina virtute ab eo expellendum cognoscit, iuxta illud Apoc. 12. *Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam.* *In lib. de animalibus.* Apoc. 12. 12. *Isidorus de summo bono.* Apoc. 12. 12.

Sexto, & vltimo (& ad nostrum faciens institutum) ratione tyrannidis, quia diabolus fortius tentat hominem quando magis videt eum aduersitatibus fatigatum; legitur enim, quod lupus quando ad ouile vadit contra ventum pergit, nè canes eius odorem sentiant; per ventum autem intelligitur aduersitas; vnde diabolus contra ventum vadit quando hominem in aduersitate existentem iterum tentando inuadit; sæpe enim, iustitia Dei permittente, homini tribulato ex ablatione substantiæ addit afflictionem in corpore, & deinde tentationem in mente. Sicut patet in eodem Iob, cui primo res abstulit, deinde filios extinxit, deinde graui vulcere percussit: tandem per vxores, & amicos graues tentationes in cor eius emisit. Et hoc idem vult annuere in illis verbis: *Et perambulaui eam*: quasi diceret; sum ita crudelis, & tyrannus, quòd omnimodè, gentem quo ad animam, & quo ad corpus, & quo ad rem persequi inquiro. Amen. *Fortius diabolus tentat hominem quando videt eum aduersitatibus fatigatũ.*

SEXTADECIMA LECTIO.

De Dei Prouidentia.

IN QVA DVO EXPLANANTVR. Primum est, quòd Deus de omnibus creaturis prouidentiam habet. Secundum, quòd Deus specialiter Sanctis eius prouidet; & illos contra inimicos defendit.

Iob 1. 8. Dixitq. Dominus ad eum; Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?

PRIMA PARS.

DILVCIDATA iam in transacta lectione clausula prima mirabilis dialogi inter Deum, & dæmonem peracti: nunc in præsenti subsequentem secundam dilucidare debemus: quæ quidem etiam propositionem vnicam, & vnicam responsionem continet: propositionem, scilicet, Dei, & responsionem dæmonis. Propositio est: *Dixitq. Dominus ad eum; Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Responsio est: *Numquid Iob frustra timet Deum, &c.* Sed de responsione in hanc proximam sequen-

sequentem verba faciemus; pro nunc tantum de propositione agemus.

Numquid considerasti, &c. Circa quod verbum, quoniam hebræus ait textus: *Numquid prouidisti cor tuum super seruum meum?* Et Septuaginta, vt hoc melius exprimerent, transtulerunt: *Attendisti mente tua.* Vbi, quia aliud significare non vult, nisi, quòd illud, quod exterioribus oculis cernitur, interiori debeat mente cōtemplari, ac animaduerti, secundum quòd dictum est in 1. Reg. c.25. *Nè ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum:* idest, non minutim attendat actiones huius iniqui hominis: ità, quòd nil aliud hoc in loco, quàm attentionem, & contemplationem Spiritus sanctus ad hunc sensum innuere volens, scilicet: *Numquid considerasti seruum meum Iob*, idest, fortasse animaduertisti tu, sicut ego: attendisti sedulo, diligenterq. quemadmodum ego attendi: & (vt his finem imponam) minutim cogitatione penetrasti, vti ego, operationes Iob serui mei? Hinc, inquam, duo hauriuntur. Primum mira est Dei prouidentia, quam habet, (inde præter primum) suorum amicorum, ac seruorum: Et hæc duo erunt huius Lectionis materia. Prima primæ, & secunda secundæ partis. Attendite.

Hebræus textus

Septuaginta.

1.Reg.25.25

Lectionis diuisio in duo capita.

*N*Vmquid considerasti, &c. Et primo, quòd Deo de omnibus eius creaturis curæ, sit nulli dubium, accidit. Prouidentia, iuxta Boetij auctoritatem 5. de consolat. & Isidor. 10. ethimol. lit. P. dicitur quasi porro, idest, à longe videre; vnde prouidentia, *diuina*, ait Boetius, *est ratio in summo omnium principe constituta; qua cuncta disponit*. Item Damascenus lib. 1. cap. 28. inquit: *Prouidentia est voluntas Dei, secundum quam omnia in finem conuenientem deductionem accipiunt*. Itaque prouidentia est cura, quæ ex Deo est ad existentia, scilicet, vt in finem conuenientem deducantur. Hinc est, quòd hæc tria, scilicet, scientia, dispositio, & prouidentia inter se differunt: nam artifex præ concipiendo artificiatum suum, primò considerat finem, scilicet, vt faciat domum ad habitandum: Secundo, considerat ordinem rei, & ordinem partium ad inuicem, scilicet quod fundamentum quale ponat sub pariete, & parietem sub tecto; & domus diuisionem: Tertio, considerat ea, quibus promoueatur ad executionem finis, debito modo, & conuenienti: vnde exco-

Prouidentiæ diffinitio.

Damasc. lib. 1. cap 28.

Scientia dispositio, & prouidentia inter se differunt.

Artifex quid cōsiderat.

gitat tollere impedimenta aptæ inhabitationis; puta, nè fiat domus tenebrosa, &c. fenestras excogitat, & ianuas similiter, nè domus corruat; cogitat sustentamenta per appendices, & huiusmodi. Modo talis excogitatio de domo ratione cognitionis nominatur scientia: ratione ordinis excogitati, vocatur dispositio; sed ratione eorum, quæ promouent in finem, dicitur prouidentia: prouidus enim dicitur qui bene coniectat de conferentibus in finem, & de remouendis his, quæ impedire possunt finem. Ad propositum suo modo in Deo scientia dicitur secundum quòd Deus habet cognitionem omnium; quæcumque facit, & vult: dispositio dicitur ratione ordinis, quem ponit in rebus, secundum quod vniuersum ordinatur in Deum. Prouidentia verò secundum, quòd rebus ita ordinatis tribuit ea, quæ ordinem conferuent in Deum dirigendo; & huic prouidentiæ omnia subeunt: quod quidem Scripturæ auctoritate, Patrum consensu, & ratione probatur. Primo probatur auctoritate Scripturæ: vnde Sapient. 12. dicitur: *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*. Et Matth. 10. Christus dixit: *Quod nec passer cadit sine patre cælesti super terram: & capilli capitis hominis omnes numerati sunt*. Secundo, probatur doctorum dictamine: nam August. 3. de Trinit. dicit: *Quòd nihil fit nec visibile, nec intelligibile in mundo, quòd non de aula summi Imperatoris, scilicet, Dei, aut iubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem iustitiam pœnarum, & præmiorum, & gratiarum, & meritorum*. Hæc ille. Idem 9. de Ciuit. Dei, cap. 13. dicit: *Prouidentia Dei summi, & non fortuita temeritate regitur mundus*. Et 10. de Ciuit. Dei refert etiam Platonem philosophum iam dixisse, quòd ad omnia etiam terrena pertingit Dei prouidentia. Tertio, probatur ratione, quia certum est, quòd Deus est Rex omnipotens, & omnisciens, & optimus: ideò sequitur, quòd in regno talis regis nil geritur sine eius prouidentia: quia, cum sit omniſciens, omnia scit ordinare, & disponere; & cum sit omnibonus, & optimus; non nisi rectum ordinem, & bonam dispositionem vult facere in omnibus; & quia est omnipotens, hanc dispositionem exequi. Vnde Sapient. 7. *Attingit à fine vsque ad finem, fortiter, & disponit omnia suauiter*.

Scientia ratione cognitionis nominatur.
Dispositio ratione ordinis denominatur.
Prouidentia ratione finis denominatur.
Scientia, dispositio & prouidentia in Deo, quo modo dicuntur.
Prouidentia Dei omnia subeunt.
Sap. 12. 13.
Matt. 10. 30.
August. 3. de Trinit.
August. 9. de Ciuit. Dei c. 13. & 10.
Plato.
Deus Rex omnipotens.
Sapient. 7. 1.
Auerroes.

Auerroes fuit, qui impiè, ac nefandè dixit, quòd si Deus huc deorsum cognosceret res, eius intellectus vilesceret: sic, si cæli vilescunt, cur in terrenis influunt; quemadmodum

sol

sol vilesceret quia illuminat, ac suos emittit radios etiam in limum? Abeat hoc. Cognitio duplex esse potest, immò triplex: vel cognoscere res velut primum obiectum mouens, & terminans: vel vt secundum, quod terminat, sed non mouet: vel vti tertium, non terminans, nec mouens. Exempli gratia, duorum primorum, dum speculum respicio, & in speculo vos; Speculum est meum primum obiectum, & vos secundum: quòd si aliquid est intra vos, illud à me visum etiam per speculum, inseruit pro tertio obiecto: At modo Deus benedictus, quia infinitum intellectum habet, à finita quidditate moueri non potest; & propterea omnia in seipso videt veluti in pulcherrimo, & lucidissimo speculo. Nos per quidditates veritates cognoscimus: ipse per suam essentiam rerum quidditates intelligit, & non per quidditates veritates; sed per eamdemmet essentiam; ecce quomodo Dei intellectus non vilescit, intelligens hæc deorsum; nam de primo, ac verò obiecto, quòd non percipit ea, quoniam seipsum tantum percipit: sed de secundo obiecto, & tertio intelligit, & optime scit: & vilitas, esset quando pro obiecto primo haberet ea. Et ideò dicitur, quòd Deus nisi seipsum intelligit; & si dicitur etiam, quòd omnia intelligit, ecce responsum, intelligit de obiecto primo tantum seipsum; sed de secundo, & tertio omnia: de primo obiecto propriam essentiam; de secundo res in esse intelligibili; de tertio in esse eorum reali: & hac distinctione omnibus auctoritatibus, quæ in contrarium dicere videntur, respondetur.

Dei cognitio triplex.

Deus in seipso tãquam in speculo omnia videt.

Deus intellectus vidẽdo inferiora non vilescit.

Et pulcher quidem, ac admirandus est ordo essentiæ, & scientiæ Dei. Deus quo ad essentiam vnus est; & ab vno trinum nascitur, idest, tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. A terno nascitur, & creatur nouem, nouem Chori Angelorum, scilicet, Seraphim, Cherubim, & Throni: Dominationes, Potestates, & Principatus: Archangeli, Angeli, & Virtutes. Ita quo ad scientiam, Deus vnicum tantum obiectum intelligit, quod propria est eius essentia: verum ab vno trinum nascitur, primum obiectum, quod mouet, & terminat; secundum quod terminat, & non mouet: tertium, quod nec mouet, nec terminat. Et à tertio nouem, & sunt nouem cognitiones, quibus Deus seipsum, & omnes alias res cognoscit. Quæ quidem cognitiones sunt, notitia, sapientia, & scientia, præscientia, prouidentia, & dispositio, reprobatio, prædestinatio, & liber vitæ: tribus primis, scilicet,

Ordo scientiæ Dei.

Angelorum nouem Chori.

Dei cognitiones nouem.

notitia,

notitia, sapientia, & scientia, Deus videt, & cognoscit seipsum: tribus secundis, scilicet, præscientia, prouidentia, & dispositione, Deus videt, & cognoscit omnia: tribus autem vltimis, scilicet, reprobatione, prædestinatione, & libro vitæ, Deus videt, & cognoscit Angelos, & præsertim homines.

Deus non acquirit scientiam de die in diem.

His accedit insuper, quòd cum infinitus sit Deus, & æternus, hanc suam scientiam de die in diem non acquirit prout fiunt res, & accidunt; sed ab æterno omnia cognouit: & ideò cum D. Hieronymus super Abacuch, ait: *Quòd absurdum esset, si sciret Deus quotidie quot pulices nascantur:* nouult dicere quòd Deus nesciat quot oriantur quotidie pulices; sed quòd Deus quotidie nescit, idest, non de die in diem, nec rursus acquirit rerum scientiam, vt ille, qui ab æterno præuidit omnia pro decretis temporibus in essentia sua, & in intellectu, cui vsque ab æterno omnia necessaria repræsentantur ab essentia per modum naturæ; & omnia contingentia ab eademmet per modum voluntatis. Igitur de his hactenus;

Hieronymi super Abacuch.

Deum de rebus prouidentiā habere est necesse.

Deus omnia ab æterno necessario videns, oportet, quòd de ipsis (vt dixi) prouidentiam habeat: & vniuersa secundum suam sanctam, & infinitam voluntatem disponantur.

Exod. 25. 23.

De hoc facto in Exod. 25. mirabilis cernitur figura: in quo Deus præcipiebat, quòd ante arcam testamenti, in qua præsertim sua inhabitabat gratia, mensa esset, super qua continuo panis existeret, & propositionum panis appellaretur: & volebat, quòd semper ante eius diuinam maiestatem vigeret: *Facies & mensam de lignis Setbim, & inaurabis eam auro purissimo, & pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Tria sunt notanda hic principaliter; primo, quod mensa lignea erat, & auro purissimo tecta; & in medio erat panis. Secundario apud hos panes erant aurea vasa templi. Tertio, hæc vasa, & hi panes ante Diuinam Maiestatem noctu, diuque stabant. Quo ad primum Deus præcipiebat, quòd panes super inauratam mensam starent, vt tu scias, quòd omnes pauperum ægestates ante Dei conspectum sunt super caritatem prouidentiæ, & amoris ipsius. Artifex pauper est, qui omnes eius labores, molestias, & passiones, ac calamitates, nec non omnes inopias in prouidentia caritatis Dei repræsentatas conseruat, qui in suo Promptuario aliud non habet, quàm pauperum, ac suarum creaturarum ægestates. Puer quidam annonæ, seu penuriæ tempore

Mensa propositionisque erat?

Deus in suo promptuario necessitates pauperum conseruat.

Simile.

pore

pore cum albo pane vnico in manu per viam ambulat comedens, saltans, & iocans, nec penuriæ, nec alicui rei mentem aptans, quia eius patrem habet, qui ei prouidet comestionem: *Nolite ergo soliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* Vos talis patris filij estis (ait Christus) qui ante suæ prouidentiæ oculos omnes vestras ægestates conseruat. Quo ad secundum, volebat, quòd isti panes vna cum vasis aureis starent, vt nobis significet, eum ita pauperes sua prouidentia respicit, sicut diuites, & quòd nec vilitas, nec humilitas apud Deum personas vilescit. E conuerso nec diuitiæ, nec magnitudines huius vitæ vllū exaltant, & magnificant apud Deum: sed de omnibus æque prouidentiam habet, iuxta illud Sap. 6. *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter illi cura est de omnibus.* D. Bonauent. dist. 39. circa litteram exponens, inquit, quod ly æqualiter non priuat ibi ordinem diuinæ distributionis, sed priuat acceptionem personæ: vnde ly æqualiter secundum Lyran. dicit ibi æqualitatem proportionis, quia Deus prouidet vnicuique secundum conuenientiam suæ naturæ; licet secundum diuersos effectus; & insuper hominibus pusillis, idest, pauperibus, & magnis, idest, diuitibus sine acceptione personarum æqualiter cura est. Hinc est quòd D.Thomas in script. lib. 1. dist 39. q. 2. art. vlt. inquit, quòd quamuis omnia sint diuinæ prouidentiæ subiecta, tamen non eodem modo, sed secundum conuenientiam vniuscuiusque rei debitam, prout nata est consequi finem, ad quem ordinata est iuxta suum gradum: alioquin prouidentia diuina destrueret ordinem rerum; cum tamen D. Dionys. 4. de diu. nomin. dicat, quòd non est prouidentiæ diuinæ naturam destruere, sed saluare. Vnde quasdam res instituit sic primo gradu, scilicet, vt haberent bonitatem secundū conditionem naturalem tantum sui esse. Secundo, alia instituit in altiori gradu, scilicet, vt haberent esse, & viuere. Tertio, alia, vt haberent esse, viuere, & sentire. Quarto, alia, vt haberent esse, viuere, sentire, & intelligere; & vnicuique prouidit, iuxta gradum suum: ita, vt, si malum contingeret ex defectu alicuius naturæ, hoc ordinaretur in bonum alterius, sicut videmus in corruptibilibus, quòd corruptio vnius, scilicet, formæ, est generatio alterius, vt habetur lib. de gener. Item in brutis, quæ instinctu naturæ aguntur malum, quòd accidit,

Matth. 6. 31. & 32.

Deus ita pauperes sicut diuites respicit.

Sap. 6. 8.

D. Bonau. dist. 39.

Lyranus.

D. Th. in script. lib. 1. dist. 39. q. 2. art. vlt.

Dionys. 4 de diuin. nomin.

Res diuersimode habent esse.

Malum vnius creaturæ ordinatur in bonum alterius

Arist. lib. de generatione.

accidit, recompenſatur per bonum naturæ, non per bonum præmij: ſicut mors muſcæ eſt victus araneæ, & mors animalis vita lupi, vel leonis, aut corui, & huiuſmodi, &c. Denique in melioribus creaturis, vt in habentibus liberum arbitrium vertibile in malum, hoc ordinauit in bonum iuſtitiæ, culpam iuſte puniendo, & ad correptionem delinquentium, & ad meritum patientiæ iuſtorum, & ſic de alijs, quæ explicari non ſufficiunt.

Deus licet habens de omnibus inæqualem prouidentiam tamē circa bonum intentum, & malum non intentum.

Guiliel. 1. d. 44.

Vnde patet, quòd licet Deus habeat inæqualem prouidentiam, quia circa bonum quaſi intentum, & circa malum non intentum, & niſi per accidens permiſſum, & circa omnes creaturas varijs modis ſecundum gradum illorum: attamen, de omnibus, vt ſua requirit natura, prouidentiam habet. Nota vlterius de ordine diuinæ prouidentiæ ſecundum Guil. in 1. diſt. 44. quòd diuina cognitio prouidet in primo ſigno ad diſponendum de his, quæ ſunt neceſſaria in mundo Archetypo in quo eſt rerum omnium eſſe idæale: & in hoc ſigno eſt neceſſitas; quia quidquid habet in Deo idæam, non poteſt non idæari; Vnde idææ non poſſunt non eſſe.

Idææ in Deo nō poſſunt non eſſe.

Dato enim, quòd ab æterno Deus diſpoſuiſſet, extra ſe nihil producere, cum omnia extra Deum ſint contingentia, adhuc in ipſo Deo in eſſe ideali mundus lateret pulcherrimus.

Mundus in eſſe ideali in Deo pulcherrimus.

Secundo ſigno determinatio voluntatis eſt de contingentibus à Deo certitudinaliter præordinatis, ſcilicet, bonis; vt, de Chriſti Incarnatione, futuro iudicio, & ſic de alijs. Tertio ſigno de contingentibus malis, quæ permittuntur: & huiuſmodi, ſicut clades, bella, &c. Ex his omnibus colligitur, quòd licet Deus ſecundum diuinæ diſpoſitionis ordinem variè de rebus prouidentiam habet: nihilominus omnibus ſecundum ſuæ naturæ diſpoſitionem prouidet, vt à principio dixi.

Deus omnibus ſecundū ſuæ naturæ diſpoſitionem prouidet.

Et ideò paupertas (iuxta à me prætacta) Dei prouidentiam non impedit. Vidiſtis ne vmquam mundum coquinarium, qui licet vnctis vtenſilibus, quemadmodum ſunt ollæ, caldaria, & huiuſmodi, vtitur; non ideò ſe coinquinat; & hoc accidit, quia totus eſt mundus, & expolitus:

Simile.

Pſal. 67. 14.

Si dormiatis inter medios cleros penna columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Audite qualem felicem legem, nobis pronunciat Regius Propheta Pſal. 67 Scitote, quòd quamuis vos pauperes eſtis, ita, vt in miſeriæ vtenſilibus maneatis: verum tamen, ſi in Dei prouidentia ſpem ponetis, columbæ pennas habebitis, quæ tam alte volabit, quòd ægeſtates veſtræ in Dei prouidentiæ

Spē in Dei prouidentia ponere quam ſaluberrimum.

dentiæ

dentiæ mensam reponentur. Et quo ad tertium volebat quod die, noctuque ante Domini conspectum starent: *Et pones super mensam panes propositionis*. Et hebræus legit, *panes facierum*. Sed dic mihi Domine, tu non habes nisi vnicam faciem: quo modo ergo dicitur *panes facierum*? Innuere vult, quod super hoc requiescit pane tota Dei prouidentia, ac intelligentia, idest, circa inopiam suarum creaturarum. Si quidam Princeps aliquid attendit, aliud attendere minime potest; dum ad abundantiam incumbit, eodemmet tempore curiæ ordini nequit incumbere, nec minus viarum ornamentis, & huiusmodi, quia tota intentio, seu cura eius ad illum finem tantum tendit: quoniam dum homo vnum attendit, eodemmet tempore aliud attendere non valet; sed Dei prouidentię oculus non itá se habet, qui ęqualiter & Angelis, & hominibus, & brutis, omnibusque suis creaturis prouidet. Hoc autem ab infinita eius prouidentia scaturit. Non ne reminiscimini vos illas imagines, quę ex omni parte, ex qua eas aspicitis, videntur vbique conspicari? Quod efficiunt non erga vnum, nec duos tantum, sed erga decem, & centum: si illac pergis, te aspicit; si hac, idem facit: omni demum ex parte eundem operatur actum: *Firmabo super te oculos meos*; sic affabre (ait Psalmus) se gerit Dei prouidentia: semper te aspicit; teque semper vbique ducit: immò hebræus textus, vt id melius exprimat, ait: *Ponam oculos meos super te in bonum, & non in malum*: oculus non cogitat, sed videt illum pauperem, famescit; & hac visione intellectui repræsentat, quod ille auxilio indiget. Videt alterum plagis, & infirmitate affectum, intellectui repræsentat eum medicamine indigere; hoc totum prouidentiæ Dei oculus operatur; & propterea optime ait Dauid, idest, *Firmabo super te oculos meos*. Præceptor de suo discipulo curam habet, & vt omnibus obediat eius nutibus ipsum instruit: & ecce, quòd præceptoris ad nutum discooperit caput, teget illud, veneratur eumdem, stat, sedet; sic cernitur oculus præceptoris esse discipuli schola, & ideò optime, ait; *Firmabo super te oculos meos*; ac, si diceret. Scias, quod mea prouidentia super omnes æqualiter stat, & in omnibus ęgestatibus tuis; & quemadmodum in solo, vel in sola viget; sic tam diues, quam pauper mihi curæ est, sicque sanus, sicut infirmus; sic nobilis, sicut ignobilis. Hoc est illud, quod idemmet Iob dicebat cap. 26. *Spiritus eius ornauit cælos, & obstriticante manu*

Hebræus textus

Simile.

Simile.

Psal. 31. 8.

Hebræus textus

Iob 26. 13.

nu

nu eius, eductus est coluber tortuosus, tamquam diceret. Scitote (fratres) quòd licet Deus tanta cura, tantaq. prouidentia stellis, Luna, Sole, totque varijs ornamentis hos cælos ornauit: nihilominus non ideò obliuiscitur rerum terrenarum, immò obstetricis officium exercet etiam in lacertæ beneficium, & erga minimum vermiculum inter nos versantem, ità se diuina, & infinita eius prouidentia extendit. Et ideò inquit; *Considerasti seruum meum Iob*? Fortasse contemplasti omnes serui mei Iobi actiones, quemadmodum ego perscrutatus sum, qui omnium curam habeo; & exquisitam prouidentiam teneo? Et de his hactenus. Quiescite.

Deus cum creaturis officiũ obstetricis exercet.

SECVNDA PARS.

LVCVLENTER satis miram prouidentiam, quam de suis creaturis tenet Deus, adhuc probauimus: nunc superest dicendum eo magis hoc erga iustos agere, & peculiari oculo respicere, & considerare eorum actiones, & operationes; & ecce: *Numquid considerasti seruum meum* Iob? Forsan sedulo es perscrutatus Iob mei serui gesta, sicut & ego? Equidem tanta, & talis est animæ sanctæ, ac iustæ pulchritudo, vt non modo hominum oculos alliciat, sed ipsiusmet Dei ad eam respiciendam, & diligenter, & maximopere admirandam; si ita dicere licet. Hinc est, quòd in Zacharia cap. 2. Iusti oculorum suorum pupilla appellantur, dicens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei;* & iure; pupilla enim est illa, qua attente perspicitur. Vnde, vt innueret attentionem, qua Deus suos respicit seruos, dicitur habere eos pergratos, sicuti oculorum suorum peculiarem pupillam. Hoc erat quod Regius Propheta in Psal. 16. peroptabat, cum Deo exclamabat: *Custodi me, vt pupillam oculi.* Ac si diceret. Ego scio, quòd tu ita erga iustos oculorum tuorũ pupillam moues, vt fere ipsismet te coniungas. Et ideo sicuti oculorum tuorum curam habes: sic affabre teneas, & habeas curam de tuis sanctis, ac iustis. Idipsum significare volebat D. Paulus 1. Corinth. 4. cum dixit; *Spectaculum facti sumus* Deo, *Angelis, & hominibus*, hoc est, nos nostris operationibus non modo hominibus, & Angelis, sed ipsimet

Deus peculiari oculo considerat actiones iustorum.

Zach. 2.8.

Iusti pupilla Dei oculorũ vocantur.

Psal. 16.8.

1. Cor. 4.9.

ipſimet Deo, qui diligentiſsime reſpicit, & conſiderat, nos admirationem afferimus. Et Zacharias cap. 3. loquens de Chriſto Domino noſtro, ait eum habere ſeptem oculos: *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*; & hoc non ſolum dixit, vt nobis egregiam, quam de ſua Eccleſia tenet, prouidentiam oſtendat; ſed, vt inſinuet attentionem, qua reſpicit, & perſcrutatur ſanctorum, & ſuorum ſeruorum opera. Et de curro Ezechielis cap. 10. in quo glorioſus Deus viſus eſt, dicitur, Cherubinos, qui eum trahebant, oculatos extitiſſe. Et hoc idem eſt, quod etiam hodiè innuit.

Zach. 3. 9.

Ezech. 10. 14

Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob? Accedit inſuper, quod hic non modo peculiarem, quam tenet de ſuis ſeruis, prouidentiam innuit: ſed aperit protectionem, & defenſionem, quam etiam contra eorum inimicos ſumit: quod innuit Spiritus ſanctus in illo verbo *ſeruum meum*: tamquam diceret. Scias iuſtos eſſe meos ſeruos, & conſequenter præcipuam eorum teneo protectionem, & ego ipſe ſecundum opus defendo eos: quod quidem mirabiliter ſignificauit Ezechiel c. 34. cum dixit: *Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum; ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis.* Lupus ouiculam cernit: eamq. helluari putat; verum, quia paſtoris oculus, qui illam numquam deſerit, hoc prævidet, canes ſtatim ſoluit, & laxat, obiurgat, ac minatur ei, ouiculamque ita defendit: *Conſiderat peccator iuſtum; & quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius.* Scitote (ait Propheta pſal. 36.) quod licet Dei ſeruos eorum inimici millies inſidiantur; non propterea Deus eoſdem deſtituit; immò mirabiliter defendit illos, & de ſuis manibus liberat. Nutrix puerulum ſuis in brachijs tenet, in terram, vt ambulet eum linquit; ſed quia dictus puerulus non cadat, & aliquo malo inficiatur, numquam brachia ab eo diſtat, *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Verum eſt (ait Propheta Pſ. 36.) quod Deus poſuit, & tenet iuſtos, & ſuos ſeruos hic in mundo, in quo varij ſunt ipſorum inimici, quærentes eos moleſtia affici, & deglutire; ſed non propterea præualere queunt; nam continuo manus Dei illos protegit, atque defendit. Admiranda ſacris in Scripturis exempla legimus; & quod ambiguum non ſit. Ioſephus inique à fratribus venditur; ſed Deus quid agit? in Ægypto Putipharem parat, qui emat eum,

Deus non ſolum particularē prouidentiam habet de iuſtis ſed illos protegit, & defendit.

Ezech. 34. 12

Simile.

Pſal. 36. 32.

Simile.

Pſal. 36. 24.

Deus iuſtos defendit.

Gen. 26. 28.

Ionas 1. 15. eum, & domus eius dominum constituat. Ionas à nautis in mare deiectus est, & Deus interim cætum parat, qui eum glutiendo ad littus viuum vomit. Tres pueri Babyloniæ accusantur, & in ardentem fornacem proijciuntur; at Deus mandat igni, quòd non incendat, nec comburat eos. Elias à Iezabelle persecutionem patitur: in solitarium locum fugit, vbi pro vitæ sustentatione cibus non adest; at Deus præcepit Angelo, vt illum pascat, & nutriat. Quid plura? Desunt fortasse exempla?

Daniel. 3.20.

3. Reg. 19.3.

Dan. 14. 28. At inter omnes Danielis historia cap. 4. admirabilis est, ac ceteras superans. Accusatur Propheta ante Regem; qui cogitur imperare, quòd Daniel in foueam deijciatur, in qua leones habitabant, & ibi ab ipsis deglutiretur: at Deus non tantum leonibus statim præcipit ne obsint illi; sed decernit, quòd summo mane Angelus ad Abacuch prophetam volet, & capillos eius præhendendo eum ducat in locum, vbi Daniel stabat, vna cum prandio, quod ipse Propheta suis messoribus ferebat. Quo in loco tres se nobis offerunt notandæ circumstantiæ mirabiles diuinæ erga suum seruum Danielem protectionis. Prima quarum est, qua de causa sic summo mane comestionem mittit illi? Secunda, si Angelus hoc à seipso officio fungi poterat, cur Prophetam addere voluit? Tertia, qua re plenum, & cumulatum prandium? Et primum qua de causa sic summo mane? non ne poterat vsque ad meridiem expectare, etiam vsque ad vesperam? Vultis causam scire? Vt nobis ostendat, quòd non solum Deus quærit anxijs amicis eius subuenire, eosque protegere: sed ad hoc efficiendum ferè impatiens euadit; & ferè ad expectandum impotens tempus præuenit. Non ne solem cernitis, qui, vix à vobis patefacta fenestra, eam introgreditur? *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ: & sanitas in pennis eius.* Cauete (ait Malachias cap.4.) quòd si vos ex illis eritis qui nomen meum timebitis, & mei permanseritis amici, sicuti Sol paratus stat ad introgrediendum cubiculum apertis illico fenestris: sic meæ protectionis Sol ad vobis opitulandum, & subueniendum veloci vtitur curru. Secundo, sufficiebat Angelum mittere, qui Danieli comestionem administraret quemadmodum administratum fuit Christo in deserto: & nihilominus voluit Deus, quòd in socium Angeli adderetur Propheta: quòd quidem ob maiorem Danielis splendorem egit. Peculiaris ingenuus Principis, vel Regis domum adit

Deus quare tanta diligẽtia defendit Danielẽ.

Deus quasi impatiens pro suis redditur amicis.

Malac. 4.2.

Simile.

ab

ab ordinaria domestica familia recipitur, & eadem ei inseruit: fortuito aduenit magnus Dominus, seu potentatus; tunc ad ei inseruiendum dantur curiæ maiores: at modo, vt aperiat Deus, suis ex maioribus amicis vnum esse Danielem; ecce vult, vt Angeli, & Prophetæ ipsi inseruiant apud eum maiores. Et demum tertio qua re, scilicet, plenum, & cumulatum prandium? non ne parum aquæ, & panis satis erat, vt subsisteret quousque egrediebatur ab illinc? Minime; Deus enim ita seruos suos ardet, vt numquam in munera, & gratias impertiendas deficiat, aut laxetur. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Magnum quidem est (ait Propheta) quod Deus numquam seruos suos suorum donorum participes facere non defatigatur: satis enim dicere erat: *Quam magna dulcedo*: & dicit, *multitudo dulcedinis*, quoniam assidue, & gratias elargitur, & beneficia impertit.

Deus in partiex do iustis beneficia, numquam laxatur.

Psal. 30.20.

Et iure: nam Daniel, & quicumque iustus etiam tres habet condiciones his correspondentes. Primo iustus omnem eius spem, & fiduciam in Deo collocauit. Princeps per vrbem ambulat, & pauperes ad ipsum pedes dirigunt, eumque aspicientes auxilium, & eleemosynam ab ipso expectant: at princeps statim crumenam accipit, aperit, & eis subuenit. *Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.* Ego (ille pauper inquit) omnem in Deo spem collocaui; & ideò mirum non accidit, si ita ad mihi auxiliandum est paratus. Secundo, gratior est iusto, cum bona conscientia, panis, quam omnes mundi diuitiæ. *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Et propterea Deus agit, vt Angelus Danieli inseruiat, & Propheta: idest, plena, dat ei prandium, dulcedine, ac cumulato solatio. Tertio, & vltimo, iustus illum inquirit cibum, qui verè animam saturare potest, qui est æterna vita: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et ideò Deus plenum, & cumulatum prandium Danieli mittit, elargitur eidem quotidianæ gratiæ augmentum, quod hilarem hac in vita ipsum sustinet, vt illi inde in alteram vitam plenissimam, & cumulatissimam gloriæ comestionem donet.

Iusti tres habent condiciones.

Simile.

Psal. 120.11.

Iusti panis suauior est, quã omnes mundi diuitiæ.

Psal. 36. 16.

Psal. 16.15.

Hinc oritur, quòd loquens Spiritus sanctus de hac protectione Esdræ 1. cap. 9. in sæpis formam pinxit eam, quæ vineam circumdando, vel agrum, ab omnibus contrarijs defendit:

Deus iustis est sapes.

O fendit:

1. Esdr. 9. 9. fendit, dicens: *Sed inclinauit super nos misericordiam coram Rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret solitudines eius, & daret nobis sa-*
Psal. 31. 10. *pem in Iuda, & Ierusalem.* Et Regius Vates Psal. 31. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Sed lucu-
Zach. 2. 5. lentius in Zach. 2. hoc habetur; vbi hæc protectio igneo mu-
Deus iustis est murus igneus ro comparatur, dicente: *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Murum verò ignis se dicit, vt rem terribilem hostibus inaccessam, & in qua nemo audeat, aut tentet irrumpere, nisi suo malo: tū etiam ex qua multas ad victum commoditates, lucis, & temperati, proficuique caloris homo petere possit. Hunc igitur murum igneum reformidabat leo, qui circuibat rugiens, & quærens quem deuo-
1. Petr. 5. 8. raret, vt 1. Petr. 5. dicitur: territur enim leo, vel accenso titione; nam cum alia timeat, sed maxime ignes, vt naturæ
Plin lib. 8. c. 1. scriptores tradunt, præsertim Plinius lib. 8. cap. 1. Sed quid mirum Deum muri, & colli vices subire pro suo iusto defen-
Deus galea est iustis. dendo, hosteq. propulsando? Galea est iusto, vt caput illius coronet, dicente Dauide: *Obumbrasti super caput meum in*
Psal. 139. 8. *die belli.* Psal. 139. Scutum, *Scuto circumdabit te veritas eius.*
Psal. 90. 5. Psal. 90. Dextera; *Dominus à dextris tuis confregit in die*
Psal. 119. 5. *iræ suæ reges.* Psal. 119.

Deus est in omni loco. Sed dices. Deus in omni loco est, id bene: sed alio modo Christus fuit in domo Zachæi: & alio modo in alijs domibus; nam Christus Zachæo suam præsentiam ostendit, quo factum est, vt multis cumularetur beneficijs. Sic aliter est in Ecclesia, & inter nos; & aliter inter infideles, & extra Ecclesiam. In Ecclesia namque sacramentaliter manet verum
Christi corpus in Ecclesia sacramentaliter manet. Christi corpus, ita magnum, & integrum, sicuti est: ita merito possumus dicere tantam salutem nobis esse in Ecclesia allatam, quantam olim fuit in domo Zachæi: immò copiosiorem in Ecclesia mediantibus Sacramentis. Sic etiam aliter est in iustis, & sanctis, & aliter in alijs; quia vbi in alijs est per communem prouidentiam, in iustis vero per particularem, & peculiarem. Immò ità illis fauet, vt non solum sit eis sæpes; sed, vt illi sint aliorum duces, & prępugnacula. Vnde Rex Osias, decumbente Elisæo propheta, exclama-
4. Reg. 2. 12. bat: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius*; quia cum esset Dei amicus, suo sancto exemplo, & doctrina, totum Israelem ducebat. Currum vocat, quia virtute sua, crebrisque orationibus populum sustinebat, ne Deus illis

propter

propter peccata ipsorum perderet, hoc sensu in veteri lege dicitur Osææ 4. Sacerdotes templi comedere peccata populi, quia stante sacerdotio, & iugi sacrificio, Deus illi populo semperque adhærebat; & vtrumque aliter peccantem tolerabat, suæque gratiæ beneficijs prosequebatur: quemadmodum cum pater familias, cum famulis eius aliquod sceelus perpetrarint, quod supplicio dignum sit, si quis forte vir nobilis, cui reuerentia debeatur, superueniat, non eos punit; sed iubet gratias agere circumstantibus, prædicens tamen fore, vt vbi eos solos comprehenderit absque patronis, tunc pœnas illis dabunt. Eodem modo Deus in hòc sæculo parcit malis: pœnam eorum differt propter præsentiam Sanctorum, quos diligit, & quos singulariter protegit.

Osææ 4. 8.

Simile.

DECIMASEPTIMA LECTIO.

De malignitate, & iudicio temerario.

IN QVA DVO EXPLANANTVR.
In quorum primo tractabitur de effectibus malignitatis. In secundo de iudicio temerario.

Iob 1. 9. Numquid Iob frustra timet Deum?

PRIMA PARS.

CVM in præterita Lectione satis expressserim propositionem, quam Deus omnipotens, & immortalis cum inferni dæmone habuit, dicens: *Numquid considerasti seruum meum Iob?* modo superest hac in præsenti Lectione declaranda, & exponenda ipsiusmet dæmonis ad ipsummet Deum responsio. Et ecce: *Numquid*, scilicet, Iob, *frustra timet Deum?* ac, si diceret; Verum est, quòd Iob timet Deum, & eum amare demonstrat; sed seruitus hæc, vsuraria seruitus est; & hic amor, amor est seruilis, & non filialis: & iure quidem; hoc enim in loco verbum frustra, aliud non sonat, & aliud, quam gratis, dicere non vult, idest, absque causa: sicuti etiam

Frustra, idest gratis.

Psal. 34.7. dictum fuit in Psalmo 34. *Gratis absconderunt mihi in interitum laquei sui*, idest, absque causa me persequuti sunt:

Psal. 68. 5. & in altero Psalm. 68. *Qui oderunt me gratis*: absque causa

odio

odio me habuerunt, ait Diuus Basilius. Et sic in hoc loco, *frustra*, idest, gratis: *Numquid Iob frustra timet Deum?* Forsan Iob frustra Deo inseruit, & eũ absq. causa amat? quasi dicat; minime. Sed quoniam multas in ipsum gratias contulisti, & eidem multa præstasti beneficia; ideò, & non secus agit hæc, & ad hæc agenda mouetur. Et quod hoc veritatem redoleat, inde sequitur (sicut in aliam declarabimus lectionem) *Non ne tu vallasti eum, &c.* Et potest secundum sacros Doctores tres in se habere sensus, qui tres falsas calumnias continent à Dæmone repertas; contra Iob duas, alteram contra Deum ipsum. Duæ primæ hæ sunt. Mirum non est, quod Iob timere, & amare Deum demonstrat: quoniam ab ipso multa bona, multaque munera accepit, ecce prima. Vlterius accipere sperat, ecce secunda. Contra Deum ipsum. Admiratione non indiget, quod te à Iobo timere facias: quoniam, vt ad hoc se addiceret, tu ei multa bona es elargitus, & multa munera dedisti. Sed quia hoc totum à malignitate scaturit, & à iudicio temerario, & falso; hac in præsenti Lectione nobis occasionem præstat de vtroque verba faciendi. In prima igitur parte de malignitate loquemur, ostendentes omnia, quæ ait dæmon falsa esse, & ex malignitate emanare, & in secunda parte temerarium iudicium patefaciemus. Attendite.

D. Basilius.

Lectionis diuisio in duo capita.

NVmquid Iob frustra timet Deum? Et primum: quod hæc verba dæmonis à malignitate, & non à veritate, procedant, clare patet: diuitiæ enim, & studia, non causant, quod serui Dei Deum amẽt, & corde timeant; & quod hoc à veritate non distet, Deus Abrahã, Iacob, Isaach, Ioseph, & alijs innumerabilia beneficia est elargitus: nihilominus omni cum synceritate, ac veritate, & eũ timuerunt, & eidem seruierunt. Nec vera est secũda, idest, quod id agãt propter futuri præmij spem: nam scimus, quod ceteri timuere, & amauere Deum absque hac futura re; quemadmodum cernitur in illis tribus egregijs adolescentibus Daniel 3. qui Babyloniæ Regi dixerunt: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis: quòd, si noluerit, notum sit tibi Rex, quòd Deos tuos non colimus*, idest, scias, ò Rex, quòd licet nos non lateat, nostrum Deum sic volentem ab igne, & à morte liberare posse: attamen quamquam nos liberare noluerit, non propterea deficiet in nobis eum adorandi, & Daniel. 3. 17.

Dæmonis malignitas.

Diuitiæ nõ sunt causa, vt serui Dei ipsũ ament.

amandi vigor, quoniam ita meretur, & expedit. Tertia autem falsa est calumnia ab eodem dæmone Deo relata, hoc est, quòd suis seruis suffragatur hac re, vt, scilicet, ipsi ei inseruiant, eumque colent, quod quidem, & auctoritate, & ratione, veritateq. patet: nam in Exod. 33. Deus ipse, qui mentiri non potest, ait: *Miserebor cui voluero*: vt si diceret. Ego faueo illis, qui mihi placent, & absque aliorum meritis, mea bona eis impertior. Et Diuus Paulus ad maiorem dilucidationem, & anthonomasiam reduplicans verbum *Misereor*, ait. 9. Roman. *Miserebor cuius misereor*. Vbi clare ostendit, gratias, quas Deus elargitur, tam temporales, quam spirituales, ipsum non re, nec status ratione, sed gratis elargiri: scientes enim nos Deum omnium bonorum originem, ac fontem esse, & in semetipso perfectissimum, nihilo, extra seipsum, eget: vnde iure inquiebat, quòd, scilicet, *bonorum nostrorum non eget*. Ecce igitur, omnia quæ ex dæmonis verbis elici possunt, calumniæ, ac falsitates sunt: quod totum à sua calliditate, ac malignitate emanat, quæ quidem bonum in malum vertit, & bona opera baptizat mala, & falsa, sicut ait Eccles. 11. *Bona enim in mala conuertens insidiatur, & in electis imponent maculam*. Iniquus homo omnia bona aliorum opera in malam partem interpretatur. Et equidem Christi portenta admiratione, ac stupore plena erant, & vtilitate simul: admiratione, ac stupore, quia omnibus imperabat, & etiam dæmonibus ipsis: vtilitate, quoniam omnibus proderat, præsertim in à dæmone obsessis reddenda valetudine: verumtamen Hebræi, discipuli, & istiusmet impij satanæ ministri veneficia, ac fascina ei adscribebant, dicentes in D. Luc. c. 9. *In Belzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*.

Exod. 33. 19. — *Deus gratis miseretur.* — *Roman. 9. 15* — *Deus gratis sua largitur præmia.* — *Psal. 15. 2.* — *Dæmon bonum in malum conuertit.* — *Eccles. 11. 33* — *Homo iniquus bona aliorũ opera in malã partem interpretatur.* — *Luc. 11. 15.*

Hoc annuere voluit Regius Vates cum Psal. 11. dixit: *In circuitu impij ambulant*: cuius loci multiplex est expositio, Prima est Remigij, dicentis: *In circuitu impij ambulant*, quia numquam intrabunt illam felicitatem, seu octauam, pro qua hic psalmus inscribitur, cum semper in miseria voluantur. Itaque, significat secundum Remigium Deum recta via quærendum esse, atque ideò impios, qui in circuitu ambulant, numquam ad Deum peruenturos, quia numquam ex eo rerum temporalium circulo egrediuntur, quæ eadem est sententia Augustini. Secunda expositio est Cardinalis Caietani: *In circuitu impij ambulant*, videlicet instar

Psal. 11. 9. — *Remigius.* — *Augustini sententia* — *Cardin. Caietani.*

ſtar puerorum, qui in circuitu ambulantes turbantur, caduntque ſubito: ſic enim impij circumeuntes circa temporalia, continuo perturbantur, & in peccata ſæpiſſime corruunt; interdum etiam, Deo puniente, ſubito moriuntur: quia in re dæmonem imitantur, qui propterea, vt nonnulli aduertunt, læſo ſemper capite, & perturbatus incedit, quia in circuitu ambulat, vt ipſemet ſupra teſtatus eſt. *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Et illud 1. Petr. 5. *Circuit quærens quem deuoret*. Tertia expoſitio eſt, quia ſicut circulus, & circuitus non habet principium, neque finem, & qui incedit per illum, numquam ad ſtatum peruenit: ſic qui ſequitur ea, quæ diabolus, & mundus præcipit, numquam quieſcet; ſed ſemper quaſi per circuitum ambulabit. Vnde Hierem. 16. *Seruietis ibi dijs alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*: in cuius confirmationem duo hic adducunt teſtimonia eorumdem hominum mundo inſeruientium. Alterum viuorum: alterum verò mortuorum. Viuorum tale eſt teſtimonium ditiſſimi, & ſapientiſſimi Salomonis, dicentis Eccleſ. 2. *Ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, &c. & vidi in omnibus afflictionem animi*. Teſtimonium mortuorum eſt Sap. 5. Vbi impij poſiti in inferno dixerunt: *Laxati ſumus in via iniquitatis, & perditionis: & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. Quid profuit nobis ſuperbia?* Porro falſæ Dalidæ illecebræ ad mortem fortem Sampſonem prodiderunt, quem Philiſtæi obcæcatum priſtino moliturum alligarunt. Eodem modo dum impius huic mundo inſeruit quaſi alterum Sampſonem gyros facit, honores, diuitias, & voluptates huius ſæculi gerens, animoque miſerrimo, & abiectiſſimo eius libidini, inceſtiſque voluptatibus obtemperare. Quarta, & poſtrema expoſitio, & ad noſtrum faciens inſtitutum, eſt Theodoreti explicantis de perſecutione iuſtorum, quam impij moliuntur iuſtos circuire, & obſidere factis, & verbis conantes. Nam ergo illos non rectè ſentientes bona eorum opera in mala conuertent: & ſic in gyro verborum ambulant, iuxta illud Iſai. 5. *Ve qui dicitis malum bonum, & bonum malum*. Hinc eſt, quod impius mulo aſſimilari poteſt primo ratione innaturalitatis, quia mulus generatur contra ordinem naturæ, ſcilicet, ex commiſtione duarum ſpecierum, ex equa, & aſino, vel è conuerſo ex aſina, & equo. Vnde dicit Iſidorus, quod Naat nepos Eſau fuit

Peccatores in more puerorum in circuitu ambulant.

1. Petr. 5. 8.

Peccator numquam quieſcit.

Hier. 16. 13.

Eccleſ. 2. 4.

Sap. 5. 7.

Impius mundo inſeruiens quaſi Sampſon pergit alligatus.

Theodoret.

Iſai. 5. 20.

Simile.

Impius mulo aſſimilatur.

Iſidorus.

primus, qui asinis equas supposuit, vt contra naturam muli nascerentur. Sic etiam peccatum (vt ait D. August.) non est ex natura, sed vitium naturæ, appetentis id, quod non est sui ordinis. Et sicut mulus generatur ex eo, quòd asino equa supponitur; sic etiam nascitur peccatum, & peruertitur ordo naturæ cum ratio sensualitati subijcitur; ita, vt non rationi sensualitas subijciatur, sed potius rationi sensualitas dominetur. Vnde Ecclef. 10. *Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes quasi seruos super terram*. Secundo, impius assimilatur mulo ratione sterilitatis, quia mulus sterilis est natura ab eo suum beneficium retrahente; quia quasi in eius iniuriam contra naturam producitur. Sed Aristoteles dicit, quòd muli sterilitas prouenit ex frigiditatis excessu in ipso dominante. Sic peccatum est sterile, idest, absque fructu, & fœcunditate meriti, vel præmij ipsius gloriæ. Excessus autem frigiditatis est in anima propter defectum caritatis, quia, scilicet, est vt calor animæ vitalis, sine qua opus meritorum vitæ æternæ non producitur. Vnde Matth. 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet caritas multorum*. Tertio, & postremo, & ad nostram rem pertinens, ratione vertibilitatis; nam mulus à moliendo est dictus, eo quod iugo pistorum subactus ducat in gyro molas, vt auctor est Isidorus. Sic impius, & malignus cum verborum circulis, bonum in malum conuertere conatur: & ita in circuitu ambulat.

Augustin.

Peccatum est vitium naturæ.

Eccl. 10. 7.

Aristotel.

Peccatum est sterile, idest, sine fructu.

Matt. 24. 12.

Isidorus.

Ad hoc etiam alludit Regius Vates Psal. 49. dicens: *Cor tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos*. Vbi primum est obseruandum verbum illud *abundauit*: nascitur enim malignitas non ex quauis, sed abundante malitia, quæ ex corde præ sui affluentia in os ipsum maligni redundat. Deinde notandum est cum Remigio verbum illud *concinnabat*: solet enim malignus malignitates suas armatis verbis componere, & ficto caritatis zelo in speciem adornare. Huic conuenit, quod Ioannes Apocal. 9. commemorat de prodigiosis illis locustis mystice malignos repræsentantibus, qui cum humanas facies habere videantur, sæuissimos tamen leonum dentes in moribus, factisque hominum insigentes, & (quod omnem humanitatem superat) humanis carnibus, vt leones, vescentes, instar locustarum omne viride depascunt, & assumunt. Vnde est illud Psal. 26. *Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*: eoque alludit Paulus Galat. 5. cum dicit: *Quod si inuicem mordetis, & co-*

Psal. 49. 19.

Malignitas nascitur ex abundantia malitiæ.

Remig.

Apoc. 9. 4.

Malignus locustæ comparatur.

Psal. 26. 2.

Galat. 5. 15.

& comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Quam ob causam in Daniel. 7. ostensa est quarta quædam bestia terribilis, dentes habens magnos, & ferreos, multaque comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus conculcans, habensque decem cornua. Quæ bestia, licet, ad litteram Romanum significet imperium, tamen à Glossa mystice accomodatur malignis, & detractoribus. Vbi aduertit, cum tres præcedentes bestiæ suis, idest, leonis, vrsi, & pardi nominibus appellatæ à Daniele fuissent: solius huius quartæ bestiæ nullum nomen afferre, quia malignorum malitia non potest vnico nomine comprehendi. Notandum est etiam, quod dicta bestia habebat dentes ferreos magnos, ad comminuendum, & deuorandum excellentium virorum famam. Denique erat decem armata cornibus propter decem detractionum, & malignitatum genera, quæ ibidem à Glossa commemorantur. Vnde Prouerb. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt*. Sic ait D. Gregor. 14. moral. 1. afferens illa verba Iob. *Quare*, scilicet, *persequimini me sicut* Deus: *& carnibus meis saturamini*. Quod si bestia ista à Daniele visa alicui animali assimilare volueris, serpenti comparari potest. Primo, quia serpens silenter morsum infigit, sicut dicitur de Bypsa quod prius occidit, quam sentiatur: neque tristitiam morituro inducit: talis est malignus occultus. Vnde Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio*. Nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. In quem locum D. Hieronymus, inquit: *Serpens, & detractor æquales sunt: quo modo enim ille occulte mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens, posteris suis virus infundit*. Hæc ille. Atque hunc merito tamquam serpentini generis hostem persequebatur Dauid Psal. 10. cum dicebat: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*. Quo loco D. Basilius regul. 26. ex breuibus argumentatur detractores, & malignos esse à reliquorum societate, & consuetudine exterminandos. Secundo, quia serpens non recte, sed tortuose incedit: vnde secundum Isidorum vocatur anguis quasi angulosus, quia numquam incedit recte, & talis est malignus fraudolenter, qui solet incipere à commendatione, vt non recte credatur ex odio dicere, sed post commendationem retorquetur ad vituperationem. Vnde Psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*. Tertio, quia serpens terram comedit: sunt enim quidam

dam

Daniel. 7. 7.

Murmurator bestiæ terribili comparatur.

Glossa.

Malignorũ malitia non potest vnico nomine comprehendi.

Prou. 23. 20.

D. Greg. 14 moral. 1.

Iob 19. 21.

Malignus serpenti comparatur.

Eccles. 10. 11

D. Hieron.

Psal. 100. 5.

D. Basil reg. 26. ex breuibus.

Isidor.

Malignus fraudolenter incedit.

Psal. 138. 4.

dam serpentes, qui latitant in cauernis, & lingunt puluerem, & fugunt terræ humorem, vt auctor est Plinius. Talis est malignus, insidiosus, & maleuolus, qui actibus aliorum insidiator latenter: & solum illud, quod videt terrenum, idest, vile, vel despectum, comedit, idest, mordendo, & detrahendo dicit. Bona autem, si quæ mouit, occultando, sopiuit. Vnde Isai. 65. *Serpenti puluis panis eius*. Quarto, quia detractor serpentinam linguam habet: Est autem, auctore Plinio lib. 5. histor. natur. cap. 37. Serpentis lingua tenuissima, trifulca, vibrans, atri coloris; & si extrahat prolonga. Sic enim lingua maligni, & detractoris tenuissima est, quia in detrahendo subtilissima. Vnde Regius Vates Psal. 56. acuto gladio comparat: *Lingua eorum gladius acutus*. Et D. Paulus 1. Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse non percussorem*: quod D. Hieronymus in Commentarijs ad linguam, non ad pugnos refert, qua aliquis, siue per contumeliam, siue per malignam detractionem quasi gladio illum percutit; alioquin quid magnum est episcopum à pugnis abstinere? Triplica, quia tribus nocet, sibi, præsentibus, & quibus malignatur. Vibrans, quia semper in motu est, vt hic dæmon fatetur: *Circuiui terram, & perambulaui eam*. Quam ob causam Isichius presbyter Ierosolymitanus lib. 6. in Leu. docet malignos, & detractores iuge scabie laborare, atque pra prurigine à detrahendo non posse desistere: sic autem exponit legem illam Leuit. 21. quæ sanciebat, vt homo habens iugem scabiem, ab omni sacro mysterio arceretur. Atri coloris, quia fœtida, ac turpis, & atribili, atque maleuolentia imbuta: cui etiam concinnunt ora locustarum, quæ connumerantur à Ioanne in Apocal. loco præallegato, quæ nihil aliud, quam purulentam saliuam euomunt.

Plinius. — *Malignus latenter incedit.* — Isa. 65. 25. — *Plin. lib. 5. hist. natur. c. 37.* — Psal. 56. 5. — 1. Tim. 3. 3. — *D. Hieron. in cōmentarijs.* — *Murmorator quasi gladio, lingua percutit.* — *Isichius presbyter Ierosolymit. lib. 6. in Leuit.* — Leuit. 21. 20.

Potest etiam malignus comparari coruo: illi namq. quem Noe ab arca emisisse dicitur, qui non est reuersus in arcam, illectus nimirum aliquo supernatante cadauere, qui solet esse suauissimus detractorum, & malignorum cibus, quemadmodum docet D. Augustinus contra Manichæum cap. 20. E contrario verò columba reuersa est ramum oliuæ virentibus folijs gerens in ore suo, quoniam vir iustus, & alienis bonis tamquam suis per caritatem gaudens, nihil aliud noluit ore gestare, quam eorum, de quibus loquitur laudes, & præconia, quæ numquam in eius ore marcescunt, sed semper per laudabilem, & honorificam commemorationem, quasi

Simile. — *Malignus assimilatur coruo.* — *D. August. contra Manichæū c. 20.* — *Iusti de bonis alterius tanquā de proprijs gaudet.*

quaſi renaſcentia, virentibus folijs veſtiuntur, malignus, & detractor verò tamquam coruus cadaueribus paſcitur, nec inde recordatur ad arcam per ſanctam cum iuſtis conuerſationem reuerti.

Detractor tamquã coruus cadaueribus paſcitur

Poſtremò comparantur malignus, & detractor ſepulcro aperto; quo ſenſu illud pſal. 13. a pleriſque accipitur *ſepulcrum patens eſt guttur eorum*. Primo, quia os maligni nihil aliud eſt, quam apertum quoddam ſepulcrum ad cadauera inhians, viuosq. homines quod plus eſt in ſe ipſo ſepeliens, ideſt, quantum in ſe eſt, excellentium virorum famã, & nomen obſeruans: quæ expoſitio eſt D. Hieronymi: Secundo, quia ſicut patens ſepulcrum graueolentia ſua aerem inficit: ita malignorum guttur fœtidiſſimum eſt, & graueolens, præſentesque omnes, cum quibus agit intolerabili maledicentiæ fœtore corrumpens. Denique prælonga, quia ad longiſſima poſitos, immo ad mortuos etiam pertingit. Vnde in pſalm. 56. detractorum, & malignorum verba comparantur armis, & ſagittis, *filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ*: quia non ſolum cominus, vt arma quædam, ſed eminus etiam & longe, vt ſagittæ feriunt. quæ omnia aperte, & clarè in hoc loco videntur, & apparent. Vbi ſatan morſu maligno quærit operationes bonas a Iob perpetratas in ſenſum contrarium extrahere, dicens. *Numquid Iob fruſtra timet Deum*? In quibus verbis non ſolum malitia: verum etiam & eius iudicium temerarium detegitur. Sed de hoc in ſecunda parte, &c.

Simile.

Pſal. 13.3.

Maligni os, & detractoris, eſt ſepulcrum patens.

D. Hieron.

Detractorũ guttur fœdiſſimũ eſt.

Pſal. 56.5.

Satan morſu maligno quærit operationes bonas in contrariũ conuertere.

SECVNDA PARS.

IN hoc equidem mentis oculi ab oculis corporis præcipuè differunt, quòd vbi iſti aſpicere, & cernere nequeunt ſeipſos, & poſſunt alios, & conſequenter alios, & non ſeipſos iudicare: è contrario mentales oculi ſemetipſos cum cernere poſſint; ſemetipſos tantum iudicare queunt. Hinc eſt, quòd qui mentales oculos in corporales transformant, & vertunt, de quibus idem Iob dicebat cap. 10. *Numquid oculi carnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu vides*? ordinem peruertentes naturæ, varia

Differentia inter oculos corporis, & mentis.

Iob 10.4.

ria crimina perpetrant; & istis ferè plenus est mundus. Vnde Diuus Augustinus 9. Confessionum inquiebat. *Curiosum est genus humanum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam.* Et Diuus Bernardus in suarum meditationum libro, *Multi multa* (inquit) *sciunt, & seipsos nesciunt: alios inspiciunt, & seipsos deserunt.* Et Gregorius Nazianzenus. *Nihil suauius videtur hominibus, quam aliena loqui, & aliena curare, sed à composita mentis arbitrio videtur alienum.* Quod quam Deo displiceat, quamque homini exitiosum sit, nunc aperiemus. Et, vt distinctè (secundum meum morem) procedamus, tria in hac materia notabimus. Primum erit cognoscere quando peccatum sit de alijs iudicium facere. Secundum, à quo originem, ac initium habeat hoc peccatum. Tertium denique quod nam malum causat, ac producit in homine, ac muliere.

D. August. 9. Confess.

D. Bernardus.

Gregorius Nazianzenus.

Hominibus nihil suauius videtur, quam aliena loqui.

Et primo (vt hanc tam necessariam, tamque communem, & offensu facilem, intelligamus) aliqua puncta, ac peculiaria præambula notare oportet, à quorum intelligentia reliquum totum dependet. Primum est, iudicium, quod de proximo fit, & triplex est, vnum mentale; cum sola cogitatione; vocale alterum, & cum verbis. Secundum est, quod (sicuti inquit Aristoteles 2. ethic.) inueniuntur aliquæ operationes, quæ secum afferunt, & cum proprio nomine suam ostendunt nequitiam, & partim malæ sunt, quemadmodum adulterium, furtum, & huiusmodi; & partim ad malum, & bonum differunt, sicuti bene comedere, & similia. Tertium est, quòd hæ postremæ, etiam duplices, quædam sunt ignotæ, quædam autem patentes. Nunc, hac acta diuisione, quatuor notare regulas cognoscendi quando sit, vel non peccatum, alios iudicare. Prima est, quòd quotiescumque proximum tuum iudicas in malum tam mente, quam verbis, de occultis operationibus, vel malis, vel indifferentibus aliquem tangens, semper est peccatum: & iure, cum enim materia non existat nostro subiecta iudicio, nisi illa, quæ nota, ac patens est: & cum hæc sit occulta, & solum Dei iudicio subiecta: quis nostri ergo ponitur ad eam iudicandam, illud sibi arrogat, quod solius est Dei, & consequenter absque peccato esse non potest.

Iudicium, quod fit de proximo, est triplex.

Aristot. 2. ethic.

Iudicium quod fit de occultis, semper est peccatum.

Secunda regula est, quòd etiam iudicare manifesta, & patentia, quamquam ex seipsis mala sint, tangens aliquem,

etiam

etiam peccatum eſt: & hoc accidit, quia, cum iudicium noſtrum tribus cauſis errare poſſit, & de facto errat, ſicuti experientia noſcitur, primum ob nimiam familiaritatem, quæ erga alios habetur, veluti Chriſtus Dominus noſter ait in Luc. 4. *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*. Et D. Paulus 1.Cor. 10. inquiebat: *Libertas mea iudicatur ab aliena conſcientia*. Secundo ex nimio, vel minori amore, quem erga aliquem iudicatum habemus; quoniam qui nobis amore propinquiores ſunt, videntur meliores illo modo, quo videmus, quòd licet Luna minor ſit alijs ſtellis, tamen quia proximior eſt, videtur nobis, & demonſtratur maior. Tertio, & poſtremo, quod verum impedit iudicium, odium eſt, per quod res ſecus, quam exiſtunt, nobis videntur: ſicuti enim longinqua bene perſcrutari non poſſumus: ſic odij paſſio ab aliquo, quem nos odio habemus, ſe abſentans, ſua, eiuſque operationes bene nobis non patefacit. Tertia regula eſt, quòd ſola mente iudicantibus non autem voce, & verbis, quæ ex ſeipſis clariſsime mala ſunt, peccatum non eſt, & iure, quia operationes, quæ ex ſeipſis malæ ſunt, bonæ iudicari, nec poſſunt, nec debent. Verum eſt, quòd tres in hoc concurrunt circumſtantiæ. Prima quidem eſt, quòd licet aliorum operationes malæ ſint, non propterea nos curioſe perueſtigare ad ſciendas eas debemus, præterquam quando accidentaliter nobis præſeferunt. Secunda eſt, quòd nec loqui, neque diſcurrere, nec de ipſis loquutionem audire debemus. Tertia, & vltima eſt, quòd non debemus iudicare, illum, qui nunc male agit, in illo malo perſeueraturum: nam ita iudicando, peccatum eſſet. Quarta, & vltima regula eſt, quòd de patentibus, ac indifferentibus, quæ & in bonam, & in malam partem applicari poſſunt, certum in malam partem, vel voce, vel mente iudicium proferentibus, grauiſsimum eſt peccatum: & in hoc conſiſtit temerarij iudicij ſumma, & cumulus; & de hoc inquit Chriſtus Dominus noſter in Ioan.cap.8. *Vos ſecundum carnem iudicatis, ego non iudico quemquam*.

Iudicium noſtrũ tribus cauſis errare poteſt.

Luc. 4. 24.

1. Cor. 10. 29

Simile.

Odij paſſionis effectus.

Iudicij temerarij ſumma.

Ioan. 8. 15.

Sed hinc ad ſecundam tranſeamus. Verum dicite mihi, vnde hoc malum, iſteque error emanat, qui tam in hominibus, & mulieribus eſt frequens? ego inquam. Emanat à duobus falſis teſtibus, qui aſsidue apud nos manent; viſio, vel intuitus, ſcilicet, ecce vnus: auditus, ecce alter. Ille, vel illa videt, aut audit aliquid de proximo ſuo indifferens, quòd

Iudicium temerarium procedit ex duobus falſis

& in

teſtibus. qui ſemper apud nos manent. & in bonam, & in malam partem interpretari poteſt: at quid facit? quia à complacentia ſua abeſt, illico ad temerarium recurrit iudicium, & in malam partem illud interpretatur.

Socrates. Vnde Socrates aiebat: *Oculos, & nares iudicamus teſtes, quia ſæpe per ipſos decipimur.* Et primo quo ad viſionem, vel intuitum, ecce in Num. exemplum cap. 24. vbi legitur,

Num. 24. 5. quòd cum Balaam exercitus hebræorum tentoria acceſsiſſet: quæ cum aquam, ventum, Solem, & tempeſtates omnes, campeſtriæ aduenire conſuetas, ſint experta, nigra, lacerata, ac conſciſſa, & conſequenter viſu turpiſsima eſſe exiſtimandum eſt: attamen Balaam oculis ita pulchra, & venuſta viſa ſunt, vt inde ea deſcribens, nec venuſtum, nec pulchrum inueniatur aliquid, cui non compararentur, ea valles ſiluis plenas, à limpidiſsimis fluminibus rigatas, cedros, oliuas, & agros appellans. Et demum, nullum eſt, quod oculis videatur formoſum, cui, inquam, ea non compararet: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob: & tentoria tua Iſrael, &c.* Hoc autem non emanabat, niſi ab inuidia, qua ea proſequebatur: quæ quidem ita ſibi oculos caligine offundebat, vt tamquam falſi teſtes, contrarium iudicabant. Herus erga

Exemplum. ſuum ſeruum hilarem ſe demonſtrabit aſpectu, ſuper humerum eius manum imponet, &c. Statim hoc alij videntes dicent, ſeruum herum eſſe, & omnibus imperare. Quidam alter Religioſum cernet, vel aliquem alium cum aliqua muliere loquentem, illico male iudicabit; cur, inquam? ob falſi teſtis intuitum, quem ſecum affert.

Et quo ad auditum, omnibus fidem præſtare, qui aliena

Mundus plenus eſt iniquis, & inuidis. crimina tibi narrat, non debes, ſed apud te eſſe oportet: mundus enim cum inuidis, ac iniquis plenus exiſtat, qui ad alienorum criminum indiſtinctiſſima regiſtra conficienda incumbunt, quòd nè decipiatur, apud ſe peradeſſe eſt opus. Si mundus hypocritis, ambitioſis, & adulatoribus plenus non eſſet, ſicuti eſt, eidem credere poſſemus: ſed hæc crimina tot in homine, & in muliere impedimenta collocant, quod eis quidquid in proximi detrimentum, ac dedecus eſt, vel redundat, credere numquam, ac penitus debemus. Deus omnipotens

Gen. 18. 20. in Geneſi c. 18. ſemel cum ſuo ſeruo Abraham verſabatur; & ecce coram eo quærimonia, & monumenta, & tabellæ ſupplices comparent, & præſto ſunt contra Pentapolim in Sodoma vrbes: & tot, & talia fuere, quod Deus coactus fuit ipſimet Abrahæ dicere: *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt.*

Et

Et D. Gregorius 8. moral.c.7. dicit, quòd intelligitur quia res patens, claraq. erat: tunc Abraham inquit Deo: *Domine quid facies eis? Numquid perdes iustum cum impio?* Forsan punies eos, eosque destrues? Pedetentim (ait Deus) ambulatur, & agitur; & propterea prius *descendam, & videbo si vere clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*. Deus peroptime sciebat Adam peccasse; & nihilominus antequam ad punitionem se conferat, vocat eum: immò post vocationem, ac interrogationem ei factam, quia in mulierem se apud eum excusauit, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi, &c.* etiam ipsam vocauit: & quoniam mulier in serpentem se quoque excusauit, inquiens: *Serpens decepit me*; eumdem serpentem vocauit, & maxima patientia (ait Chrysostomus sanctus) voluit prius interrogare omnes antequam ad punitionem se extenderet. Cain interficit Abelem fratrem suum, & Deus ei inquit: *Cain vbi est Abel frater tuus?* O Domine non ne scis iniquitatem Cain, & Abelis bonitatem? qua re tu rursus scire vis quo modo se res habeat? Vt nobis demonstret, qua maturitate ad iudicandum super nostri proximi causam accedere debemus.

D. Gregorius 8. moral. 7.

Deus in punitione Sodomæ mature & tarde se gessit.

Deus in punitione Adæ tarde se gessit.

Gen. 3. 12.

D. *Chrysost.*

Deus in punitione Cain tarde se gessit.

Tribus causis temerarie iudicandi peccatum graue est, & exitiosum. Primum, quia Deo iniuria infertur, imperium eius arrogando: ipsius enim tantum est intueri, ac perscrutari cordis intrinsecum. Vnde Hieremias cap. 17. aiebat: *Prauum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes*. Et D. Paulus: *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Secundo, quia est directè contra caritatem proximi: nam (vt ait Diuus Thomas) Habere malam opinionem de alijs absque sufficientia, & certa scientia, aliud non est, quàm spernere proximum, eique iniuriam afferre: quod quidem totum est contra caritatem. Vnde Christus Dominus noster Ioan. 7. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate*. Tertio, & vltimo, ob detrimentum quod de hoc redundat, & oritur in seipsum: sicuti enim tu temerarie alios iudicas, sic etiam iudicaberis. Vnde ipsemet benedictus Christus in D. Matthæo cap. 7. ad hoc institutum ait: *Nolite iudicare, vt non iudicemini*. Et Diuus Paulus Rom. 2. *In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas*. Alexander Alensis ait in 2. par. Summæ. quòd aliorum operationes

Iudicare temerarie tribus de causis est peccatum.

Hier. 17. 9.

1. Cor. 4. 5.

D. Thom.

Ioan. 7. 24.

Matth. 7. 1.

Roman. 2. 1.

Alexand. Alen. in 2.

rationes nobis ignotæ sunt tribus de causis, ob principium, scilicet, medium, ac finem: ob principium, quia causam ignoramus, quæ ad ita operandum ipsos mouet: ob medium, quia nescimus voluntatem, qua operantur: & ob finem, quia finis, quem habere debent, nos latet. Et ideò, cum quamlibet operationem, quam faciat homo, vel mulier hæ tres circumstantiæ associentur, & prosequantur, necessario alijs ignota est, & consequenter ad eam iudicandam erratur, & peccatur: cæcus enim non iudicat de coloribus. sæpe sæpius frater Leo, ex gratioribus socijs vnus, quem inter fratres noster Pater, Diuus Franciscus haberet: in suæ pœnitentiæ, ac sanctitatis primordio visionem habuit, in qua multos in morem processionis fratres pergentes vidit; inter quos Beatus Bernardus Quinctauallensis Patris, D. Francisci socius, & discipulus: qui cum oculos candidos, ac fulgentes haberet quasi Sol, fuit à fratre Leone, altero socio dicti Patris Francisci, petitum, vnde tantum splendor, tantaque in hoc Beato in oculis lux? cui responsum fuit. Quia ipse omnia, quæ ab alijs fieri videbat, interpretabatur, & accipiebat in bonam partem. Si aliquem cernebat, qui vestem sua peiorem haberet, quamuis necessitate id efficeret, dicebat: En iste in paupertatis amore me antecellit. Si inde alterum sericis vestibus indutum intuebatur, aiebat. Forsan iste sub hoc splendido habitu, meo humiliorem, ac deuotiorem animum seruat. Et ita omnes, quas in alijs cernebat, operationes, applicabat, & interpretabatur in bonum. Et sic fugiebat, & abhorrebat malignitatem, temerariumq. iudicium: de quibus duobus hactenus satis diximus. Ite in pace Amen.

Operationes aliorum tribus de causis nobis ignota sunt.

Exempl.

Exempl.

DECI-

DECIMAOCTAVA LECTIO.

De velocitate Dei ad remunerandum, & de tarditate ad puniendum.

IN QVA DVO EXPLANANTVR:
Quorum primum, quòd Deus est velocior ad remunerandum. Secundum, tardior ad puniendum.

Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit multa? Iob. 1. 10.

PRIMA PARS.

TAM larga, magnifica, & liberalis est erga suos deuotos, suosq. seruos Omnipotentis, ac immortalis Dei manus, quòd non tantum eos de spiritualibus bonis, & gloria in alteram vitam verum etiam de bonis temporalibus, fortunaque persæpe premiari expectat: Et quamuis exempla continua sint, & plurima Abrahæ, Isaach, Iacobi, & aliorum multorum in sacra scriptura: vnicum hodie habemus clarissimum in sancto Iobo, vbi ipsemet dæmon eum cognoscens, inquit. *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, &c.* ac, si diceret. Tu domine huic homini totam illam dedisti fœlicitatem in hac vita, qua vir affici potest.

Dei manus admodum liberalis erga suos seruos.

Bona omnia quibus Deus hominem in hac vita afficit.

Deus omnia huius vitæ bona Iob contulit.

potest. Et iure quidem: Omnia enim bona, quibus Deus hominem hac in vita afficit, vel sunt circa personam propriam illius, cui Deus fauet, vel sunt circa domesticas facultates, vt est aurum, argẽtum, suppellectilia, & huiusmodi: vel sunt circa campestria, vel agraria, vt vineæ, agri, viridaria, & similia: vel demum sunt circa pecora, vt boues, oues, cameli, & huiuscemodi: & ecce omnia in hoc sancto Dei homine, & amico coaceruata. Et ideo quo ad personam, *Nonne tu vallasti eum?* &c. quo ad familiam, ac domum eius; quo ad domestica, *vniuersamq. substantiam*: quo ad agraria, & campestria, *Operibus manuũ eius*: & quo ad pecora, *Et possessio eius creuit multa.* Cernite vos si omnia amplectitur: & ego hinc duo haurio ad rem nostrã facientia. Primum est, quòd Deus ad suos seruos premiandos velocissimus est. Secundum, quòd è conuerso tardissimus est ad peccatores puniendos. Primum pro primæ partis: Secundum pro secundæ partis materia inseruiet. Attendite.

Lectionis diuisio in duo capita.

Iustus quare vallari à Deo dicitur.

NOnne tu vallasti eum, &c. quasi diceret, Diuinum præsidium Iobum vallabat, custodiebat, muniebat: quare tunc vallari iustus dicitur, simul etiam significatur, paratos esse hostes humanæ salutis ad nostram impugnationem, qui nos obsideant, & circumeant, & nisi hoc munimento interiecto non posse mortales vlla pace, ac tranquillitate potiri: cũ enim Satan circuit, & obsidet, & inuadere conatur, experitur murum sibi obstare, & vndiq; negari sibi accessum, prohiberiq. ne iustis noceat, quid si fortè hoc vallũ etiam pertineat ad pastoritiam custodiam, qua pastor circuit gregem suum, quærens ne quis deuoret: atq; circuitiones lupi sua cura, & circuitione inanes reddat; Deum verò custodire homines sicut pastor custodit gregem suum, dixit Hier. 31. Et licèt aliqui hoc custodiæ vallum ad angelorum custodiã referãt, qui dicuntur nos vallare, & cingere, de qua re non solum Origenes, velit etiã intra nos multos esse Angelos, quibus animarum, corporumq. nostrorum cura, atq; custodia demandata sit. Vnde accipit illud psal. 102. *Benedic anima mea Dominũ, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Sed etiã sæpius scriptura circa nos illas describit, sicut cum 4. Reg. 6. Syrijs obsidentibus ciuitatẽ Dothan vidit minister Elisæi mõtem plenum equorum, & currum igneum in circuitu Elisæi. Et illud Psal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium*

Hier. 31. 10.

Deus custodit homines sicut pastor gregẽ suum. Origenes.

Psal. 102. 1.

4. Reg. 6. 17.

Psal. 33. 8.

tium eum, singulare pro plurali,idest, se Angeli immittent, aut diffundent, castrametabuntur in circuitu iustorum,cingentq. illos militari custodia. Et Hieronymus vertit ab hebræo, *Circumdat Angelos domini in gyro timentes eum*, eodem pertinet illa suæ Ecclesiæ promissa tutela in Ezechiel 9. *Circumdabo domum meam ex ijs, qui militant mihi euntes, & reuertentes*. Vnde licet colligere iusti dignitatem, & pretium apud Deum, quem velit Deus perinde, ac seipsum suis angelis circumdari, atque stipari: id enim est angelorum manus esse in circuitu Throni, & coronare, ac cingere suum regem, sicut scribitur Psalm. 88. *Deus, qui glorificatur in concilio sanctorum: magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt*. Attamen melius est hoc præsidium ad Deum ipsum referri cum emphasi illius pronominis tu; quasi dicere velit, tu ipse pro muro, & lobo, & domui eius. Tuam ergo custodiam, atque potentiam expertus sum in illo defendendo, meque prohibendo, ne cum illo colligerem, aut proprius accederem tentaturus: verè hoc quoque dicit dæmon: nam videtur Deus grati animi vicem rependere hominibus. egit enim quondam Dei populus excubias, & custodias instar valli, & muri in circuitu Dei, cum castrametabantur filij Israel per gyrum tabernaculi fœderis: vt in Numeris dicitur: nunc nos ille coronat, & vallat iustum suum Iob, ac domum eius non ob aliud (vt dixi) nisi, vt citissimum, & promptissimum remuneratorem bonorum operum iusti sui se ostendet.

Angelorum custodia circa homines.
Hieron.
Zachar.9.8.
Psal.88. 8.
Deus est præsidium suorum seruorum.
Deus est citissimus remunerator bonorum operum.

Temporales Domini antequam suos seruos mercede afficiant, diu volunt, vt ipsis ijdem inseruiant: & interdum vel non largiuntur eam, vel eamdem differunt vsque ad postremam senectutem. Non ita Deus agit, qui videns, quòd vix operati sunt, vel bene agere incipiunt, statim habet paratum mutuum,ac retributionem promptam. Admirabilem Eccles.11. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat.* Scitote (ait sapiens) quòd Deus suos non premiat, sicut premiat mundus, qui vsque ad vltimum cunctatur; & prius hiatum exhalare facit, vt dici solet, quàm de tuis laboribus tibi præmium præstet; sed festinat, currit, præuenit tuas bonas operationes. Agricultor in humum semen, atque frumentum spargit spe inde accipiendi suo tempore fructum; & ideo necesse est, vt patienter die-

Eccl. 11.24.
Deus suos non premiat sicut premiat mundus.

diebus, & mensibus expectet, antequam legat ipsum. E conuerso si humus inueniretur, quæ, sparso statim in ea frumento, fructum daret. O quam egregia hæc esset tellus, ò quam pretiosus ager. Benedictio Dei in mercedem iusti festinat: & in bona veloci processus illius fructificat. Tellus mundana (nulli dubium) post tot, tantisque laboribus aliquem denique fructum producit: sed prius oportet corde circumlaborare, suam impendere iuuentutem in seruiendo, in obsequendo; & cum inde lassus es, & sepulturæ proximus, aliquod tibi præmium reddit: sed tellus Dei, & ager, mox, vt septem psalmos, Virginis officium, & precatorios globulos recitare incipis: vix pauperi manum extendisti, quòd merces parata est. Agricolæ, seu operarij ad excolendos agros, vineas, prædia pergunt, Herus manet domi, in Vrbe; & expectans operariorum in sero reditum, tunc mercedem, quam debet eis, dat illis: sed si herus inueniretur, qui vna cum ipsis ad agrum, ad vineam, ad prædia proficisceretur, & pretium secum ferens, completo vix opere, eis daret mercedem, hic non existimaretur liberalissimus, & totus caritate plenus esset equidem? *Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius in eo: opus eius coram illo.* Magnum (ait Isaias cap. 62.) Deus suos fideles in hunc campum, in hanc vineam Ecclesiæ vocat: & dicit eis, quòd circa ipsam operentur, ac laborent, quoniam non faciet sicut facit mundus, quòd post labores oportet ire humiliter ad mercedem postulandam cum bireto in manibus, & expectare eum, vt intret cubiculum, vt clauem inueniat, & accipiat; arcam, seu mensam aperiat: vel, vt chirographum, seu schedam scribat ad nummulariam tabernam, vt eis soluat: sed statim secum in pera nummos afferens, accipit eos, & soluit. Hoc illud est, quod Deus in Deuteron. 11. populo suo memorabat, vt ad bonum ipsum prouocaret, cum ei narrabat differentiam, quæ est inter terram Aegypti, & terram promissionis, dicens. *Non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irrigua: sed montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius sunt à principio anni vsque ad finem eius.* Quid nam vos cogitatis; ait Deus hebræis, quòd, scilicet; terra promissionis, quam ego vobis dare volo, Aegyptiacæ æqualis sit, vel similis, quæ

Eccl. 11. 23.

Mundus tardè præmiat.

Exempl.

Isa. 62. 11.

Deut. 11. 10.

Terra promissionis differt ab alia terra.

quæ poſtquam Aegyptij eam arauerunt, & ſeminauere, volentes facere, quòd germinet, & producat fructum, neceſſe eſt irrigetur, ſicuti affabrè diligentia, & labore horti, & viridaria irrigantur? non, non, equidem ita ſe habet: ſed eſt montuoſa tellus, & infimul laborioſa: nihilominus ſcitote, quòd pluuia è cælo deſcendit: Deus eſt, qui ſua peculiari gratia; irrigat, & humectat: & ab initio vſque ad finem anni eam reſpicit; tamquam diceret. Verum eſt, quod mundi tellus, & ſeruitus, qua ipſe circum afficitur, plana eſt, videlicet, aliqua cum voluptate, ac delectatione edendi, bibendi, ſpectaculorum, cantionum, ludorum: verumtamen è conuerſo, vt hæ impetrentur voluptates, oportet eam irrigare cum laboribus, cum ſolicitudinibus, cum obſequijs, varijsque moleſtijs: vbi ſeruitutis Dei tellus, licèt aſpera, dura, abſtinentijs plena, & difficultatibus ſit: nihilominus ſemper paratus ſtat fructus: quoniam omnes, quas operabimini, bonæ operationes, à ſua gratia diuina irrigabuntur, & diluentur. Diuus Ioannes Apocal. 4. ait ſe vidiſſe ſeptem lampades, quæ continuò ardebant ante Dei thronum: & ſeipſum declarans, addit, has ſeptem lampades eſſe ſeptem ſpiritus Dei. *Et ſeptem lampades ardentes ante thronum* Dei, *qui ſunt ſeptem ſpiritus* Dei. Circa quem locum aliqui pro iſtis ſeptem lampadibus, quæ ſunt ſeptem ſpiritus capiunt omnes Angelos. Alij pro ſeptem angelis peculiaribus, quibus omnium humanarum rerum cura commiſſa eſt. Alij denique (quod communis eſt patrum opinio) intelligunt eas pro ſeptem ſancti Spiritus donis: quæ quidem iure optimo lampadibus comparantur: ſicut enim iſtæ illuſtrant, & illuminant locum, in quo ſunt: ſic ſancti Spiritus dona hominis mentem illuſtrant, & mulieris: & (quod expedit, & ad rem noſtram facit) continuo ardent ante Dei thronum: nam (ſicuti Gloſſa ait in hoc Apocalypſis loco) munera, gratiæ, & mercedes Dei ſemper paratæ exiſtunt, vt ſe dent non tantum, inquam, illis, qui opus adimpleuere, & laborem; ſed illis vix ad benefaciendum ſe diſponere, & præparare incipientibus. Eadem ratione hæc ipſamet munera interdum in ſacra ſcriptura appellantur brachia, ſicuti in Deuteron. cap. 33. *Non eſt alius* Deus, *vt Deus rectiſsimi aſcenſor cæli, auxiliator tuus; magnificentia eius diſcurrunt nubes, habitaculum eius ſurſum, & ſubter brachia ſempiterna.*

Mundi tellus differt à tellure Dei.

Dei tellus, licet ſit aſpera, ſemper tamen producit fructum.

Apoc. 4. 5.

Lampades Apocal. quæ ſunt.

Gloſſa.

Merces Dei ſemper eſt parata.

Deut. 33. 26.

Rupertus Abb lib. 2. in Deut. cap 33. na. Et Rupertus Abb. lib. 2. in Deut. c. 33. ait, quòd hic scriptura nisi velocitatẽ, qua Deus suos seruos præmiat, innuere non vult. & iure: quid enim est habitaculum supernum, nisi

Christus habitaculũ supernũ dicitur. Christus dominus noster? Et brachia sempiterna quidnam sunt, nisi illa munera, & illa merces, quam continuò paratã habet pro iustis, & pro eum toto corde venerantibus, & ei

Exempl. seruientibus? Interdum optatis aliquem vestrum amicum, aut coniunctum inuenire: quid nam operamini? Non modò expectatis eum, sed vbique ciuitatis inquiritis eumdem: & ecce quod vbi eum reperire non putatis, in ipsum incidi-

Isai. 65.1. ditis. *Inuenerunt qui non quæsierunt me, dixi, ecce ego.* Ecce ego ad gentem sic affabrè Deus agit (ait Isaias cap. 65.) cum non existimatis, tunc proximior est, & vicinior.

Cant. 2.1. In Cantic. capit. 2. Christus dominus noster flos appellatur campi. *Ego flos campi.* In quo loco, quamquam enim dubium sit, num hæc verba sponso, an sponsæ tribui debeant; nec desunt qui eum ad sponsam referendum exi-

Greg. Nissen in exposit. trium patrum. Theodoret. D. Greg. D. Bernard. Beda. Paraph. Caldaicus. stimant, vt Gregorius Nissænus in expositione trium Patrum apud Theophylactum: & alij. Nos autem cum Theodoreto, Diuo Gregorio, Diuo Bernardo, Beda, & communi ferè sententia, illam sponso tribuimus: & hebraicè pro flore est rosa nigro colore, sed eleganti, & venusta specie, odoreque suauissimo. Et Paraphrases Caldaicus hunc locum ita transtulit. *Ego similis sum lilio viridi ex paradiso voluptatis: & opera mea pulchra sunt sicut rosa,*

Christus omnes delitias cõtinet. *quæ est in campo horti voluptatis*, quoniam in eo omnes deliciæ, voluptatesque continentur, vt qui huiusmodi lilium decerpserit, eo ipso omnia voluptatum, deliciarumque genera collocat. Deinde esse florem, qui inter spinas nascitur, quoniam Christus inter huius vitæ labores acerbissimos, quos pertulit, & inter ipsas passionis suæ difficulta-

Christus flos eleganti specie. tes, immo & inter spinas, quibus fuit coronatus, quasi flos extitit eleganti specie, eximioque decore visendus. quare meritò his verbis sponsus suam sponsæ commendat pulchritudinem, vt eam ad se magis amandum alliciat. Incitauerat quippe illa paulo ante sponsum ad consortium thalami commemorata lecti pulchritudine; quem floribus, rosisque insparsum dixerat. *lectulus*, inquit, *noster floridus*: cui contra sponsus respondit, non esse opus, vt externam florum pulchritudinem elegantiam desideret, cum ipsemet sit flos omnium pulcherrimus: & qui vnus omnium florum,

ac

ac liliorum instar ipsi sponsæ esse debeat. *ego*, inquit, *flos campi, & lilium conuallium*; cui expositioni concinit alia quorumdam translatio: qui ita reddunt, *ego flos societatis*: solus enim iste flos est, qui suo odore, & pulchritudine sponsæ, idest Ecclesiæ appetitum, & voluntatem implere, satiareque potest. Quod quidem optimo iure dicitur, quia cum plantauerat Deus in campo suæ Ecclesiæ florum diuersa genera, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, Confessores, ac Virgines, quibus dicta Ecclesia flagrat, & valdè condecorata est, congruum fuit, vt inter tot flores, & lilia ipse extiterit omnium pulcherrimus, immo omnium aliorum pulchritudo. Tertio, vocatur flos campi propter conceptionem, quoniam in Virgine nulla viri opera, sed cælesti tantum virtute cõceptus est. Ad discrimen floris, qui in horto aliquo solet humana industria coli, & irrigari, vt ille, qui in campo nascitur, cælesti tantum virtute pluuia, roreq. efflorescit. Quarto flos fuit in natiuitate, nam natus est in vtero virginis quasi in cælesti quodam paradiso, & eius odore vniuersum orbem impleuit, ita, vt omnes creaturas ad se pertraxerit. Vnde Isai. 35. *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda.* & subdit. *Gloria libani data est ei.* In quibus verbis docuit, quòd sicut arbores flores, frondes, & fructus parturiunt absq; conceptione, & dolore, & quæ in libano crescunt cedri odoriferæ, & pulcherrimæ non sentientẽ monte surgunt, sed ornatæ tantis arboribus, & vestitæ tanta florum varietate: sic sanctissimæ Virginis partus futurus erat, implẽs odore, & sapore totum terrarum orbem. Vnde Angelus Gabriel Luc. 1. ijsdem vsus est verbis. *Benedictus fructus ventris tui*. Quinto fuit flos in vita: nam, cum postquã flos iste adoleuit; tunc verò multo maiorẽ odorem emisit: præcipue cum laboribus, quos assidue patiebatur; quasi manibus præmebatur: sicut enim flores manu præmuntur, & attrectãtur magis redolent; ita Christus laboribus, quos præferebat quasi flos compressus odorem emisit. Iccircò Isaias super hunc florem septẽplicẽ spiritum requieuisse testatur, dicens, *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus cõsilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis: & replebit eũ spiritus timoris domini*. Itaq; super hunc florem suauissimũ septem spiritus Domini: hoc est vniuersæ virtutes, quæ per septemplicem spiritum significantur, requieuerunt, vt tamquam diuinæ quædam, cælestesq. apes ex eo florem,

Christus solus suo odore & pulchritudine ecclesiæ appetitum impleuit.

Christus quare flos campi.

Christus flos in conceptione.

Christus flos in natiuitate.

Isa. 35. 2.

Luc. 1. 42.

Christus flos in vita.

Isai. 11. 2.

Christus fuit repletus septẽ spiritibus domini.

ſuauitatem, dulcedinemque haurirent, ſcitum namque eſt vniuerſas virtutes ex ipſo faciliores, ſuauioresq. nobis extitiſſe, quòd Chriſtus earum in ſe ipſo dedit præclara documenta. Itaque humilitas, patientia, ceteræque virtutes omnes, quæ antea inſuaues, ac difficiles hominibus videbantur, exemplo Chriſti dulciſſimæ, ac mellifluæ effectæ fuere; tantamque ex hoc flore ſuauitatem hauſerunt, vt nihil iam ſuauius, atque dulcius ſit hominibus, quàm in illis ſe ſe ad Chriſti exemplum, formamq. componere: nec multum abhorret ab hac ſententia illud pſalmi 117. *Circumdederunt me ſicut apes:* ſeu (vt Græci habent) *Circumdederunt me ſicut apes fauum*: nam virtutes omnes (vt modo diximus) Chriſtum, vt apes florem, circumderunt, vt inde ſuauitatem, dulcedinemq. conciperent. Sexto in paſſione etiam dicitur flos, quia manibus crudelium Iudæorum contractus, tantum odorem emiſit, vt vel ipſum iudicem propter maximarum virtutum odorem, quem in illo ſentiebat in admirationem adduxerit: ſpinæ verò, inter quas ortus eſt hic flos, fuit circumſeptus ignis: namque amoris, qui in his ſpinis accenditur, vehementiſſimus eſt: magnopere enim amor in Deo conſiderata Chriſti paſſione, & ſpinea eius corona exardeſcit, ſanè ſponſa Chriſtum in paſſione vſque adeò dulcem, odoriferumque ſentiebat, vt eius omnibus contumelijs, cruciatibusq. in vnum collectis, ſe mirificè recreari, oblectarique confeſſa fuerit. Cantic. 1. illis verbis. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* quo loco per faſciculum myrrhæ accipiendus eſt, faſciculus ex myrrhæ floribus, & folijs confectus: non tamen cuiuſuis myrrhæ, ſed eius, quæ in Syria prouenit, cuius flores, & folia ſuauiſſimi ſunt odoris, & eſt ſponſæ oratio in hanc intelligenda ſententiam. Ceteræ quidem fœminæ ſolent ſibi faſciculos ex floribus contexere, quos & naribus admoueant, & in ſinu recondant. Et ego te ſponſe omnibus floribus, roſiſque profero. Itaque tu mihi es ſuauiſſimus florum faſciculus, quem ad cor exhilarandum in ſinu meo geram perpetuo reconditum. Cur verò myrrhæ potius quam alterius generis florum faſciculum nominauerit? Illud eſt cauſæ, quòd cum ſponſus ei in ceteris omnibus gratiſſimus eſſet, atque dulciſsimus: in paſſione tamen ipſa, quam hoc loco myrrham appellat, multo ſuauior, dulciorque

Virtutes à Chriſto dulces effectæ fuere.

Pſal. 117. 11.

Chriſtũ virtutes vt apes florẽ circundederunt.

Chriſtus flos in paſſione.

Cant. 1. 12.

PaſſioChriſti per faſciculum myrrhæ ſignificata.

ciorq. videbitur. Secundo, fuit etiam flos in resurrectione, vbi reflorescens elegantissimum sese omnium oculis obiecit: eo namq; mysterio voluit in horto sepeliri, vt habetur Ioan. 18. *Erat*, inquit, *in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat:* vt, videlicet, indicaret se per resurrectionem, tamquam pulcherrimum florem ex horto illo producturum, quo spectat illud psalm. 27. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei*, eo namque in psalm. ad litteram loquitur Christus suam à Patre resurrectionem eleganti similitudine explicauit. *Caro Christi*, inquit D. Hieronymus, *in resurrectione refloruit:* Eodem sensu interpretatur D. Augustinus. Dicitur autem Christus in resurrectionem floruisse, quoniam qui antea mortalis erat, eo passibilis, postea immortalis, & impassibilis resurrexit. Octauo fuit flos etiam post Ascensionem, vbi in Apostolis odor mansit, qui eumdem etiam ceteris fidelibus communicarunt; nec mirum: cum enim flos est magni odoris, si contrectatur, gesteturque in manibus, solet in eo, qui gestauit eadem odoris suauitas adhærescere, & vero, quòd Apostoli Christum, seu florem manibus tractauerint scriptum reliquit Ioannes Apostolus in prima sua. c. 1. cum dixit. *quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* quod verò eius floris odor Apostolis adhæserit, quem deinceps fidelibus communicauerint, docet D. Paulus 2. Corint. 2. illis verbis. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus.* quo loco nomine odoris notitiæ Dei intelligit Christum ipsum. D. Ambrosius, *Odor*, inquit, *notitiæ Dei in Christo, & per Christum est; Odorem autem iccircò dixit: quia sicut quædam res cum non videantur: per odorem tamen agnoscuntur: & intelligis in aliquo loco esse quod non vides. Ita Christus per ascensionem inuisibilis effectus, per Apostolorum prodigia, & signa manifestaretur.* Hæc ille. Nono, & vltimo, & ad nostrum faciens institutum, dicitur flos non solum, sed flos campi, quia (vt interpretatur Beda) flos campi non paucis tantum, vt flos horti: sed vniuersis patet, suumque odorem, & pulchritudinem omnibus, qui accedere voluerint, impertitur. Itaque omnes pro libito possunt illum sibi decarpere, odo-

[Margin notes: *Christus flos in resurrectione.* — Ioan. 18. — Psal. 27. 7. — *Hieron.* — *August.* — *Christus flos in ascensione.* — 1. Ioan. 1. 1. — *Apost. Christũ, tamquam florem manibus contrectauerunt.* — 2. Cor. 2. 14. — *D. Ambros.* — *Christus quare flos campi.*]

Christus propter vniuersos venit in mundum. odorareque, & (quod maius est) antequam etiam ad ipsum peruenias, tibi odorem suum tribuit: sic namque Christus, vt Deus, propter vniuersos venit in mundum, & omnibus, qui per fidem ei adhærent, statim eos donis gratuitis ornat, & cumulat. Vnde Simeon suo illo Cantico Luc. 2. cecinit:
Luc. 2.30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Quæ etiam causa fuit cur apud
Zach. 13.1. Zachariam fons nō signatus, sed patens appellatur. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ.* Vnde optimo iure diximus, ipsum promptissimum ad remunerandū esse. E conuerso tardissimus est ad puniendum. Sed de hoc in secunda parte.

SECVNDA PARS.

NOnne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq. substantiam per circuitum. Et quidē hæc duo tantum intersunt, quòd tantum etiam terrestres affectus à nobis abdicare deberent, & affectibus cælestibus nos cumulare, Deiq. amo-
Dei liberalitas debet nos reuocare ad illius amorem. re, hoc est, cogitando, quàm largus sit Deus, ac paratus in præmiando nostras bonas operationes: & quā è conuerso sit parcus, & tardus in puniendo, ac castigando nostra peccata. De præmio satis in prima parte diximus: nunc in hac secūda parte de punitione loquemur. Et primum, quòd Deus parcè puniat, neque vllum vectigal, seu portorium habeat: nam punit citra condignum, dicunt sacri Theologi, sed quòd puniat etiam omni tarditate, clarissimè patet: cum enim à nobis sæpe sæpius offendatur, & mensibus, & annis: verumtamen expectat patientissimus, & longanimis. Hinc est,
Gen. 9.13. quòd in Genesi cap. 9. ait: *Arcum meum ponam in nubibus cæli. Arcum ponam, non sagittam,* inquit Ambrosius libro
D. Ambros. lib. de Noe, & arca c. 17. de Noe, & arca c. 17. *Arcum enim instrumentum iaculandi sagittis est. Itaque non ipse arcus vulnerat, sed sagitta. Et ideò Dominus in nube arcum magis, quam sagittam, ponit: idest, non illud, quod vulnerat; sed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non soleat.* Hæc ille. Hinc
Psal. 59.6. est illud Psal. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, vt*
D. August. *fugiant a facie arcus.* In quem locum D. Augustinus, *per tribulationes*, inquit, *temporales significasti tuis fugere ab ira*

ignis

ignis sempiterni: arcus est extentus adhuc in comminatione est: & videte quid fit in arcu, nonne sagitta in priora mittenda est, neruus autem retro extenditur in contrarium, & quanto plus erit eius extensio retrorsum, tanto maiore impetu illa currit in priora? Quid est quod dixi? quanto magis differtur iudicium, tanto maiore impetu venturum est. Hæc ille. Quæ etiam expositio est D.Gregorij lib.19.Moral.c.28. *D.Greg.lib.19. moral.c.28.* Vbi in eumdem sensum affert illud Psal. 7. *Arcum suum tetendit, & parauit illum, arcum suum*, inquit, *Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit.* Hæc ille. Psal.7.13.

Proterea autem Deus prius minatur, quam puniat, quia manibus ad punitionem venit, id, quod ex eo est perspicuum, quia virgam, qua percutit, solet per indignationem conterere, sicut pater virgam, qua filium flagellauit, solet in ignem proijcere, vt ostendat se inuitum filium verberasse: immò se verberum pœnitere. Hoc verò haber expressum Osææ 2. vbi Dominus post illatum supplicium sic loquitur: *Arcum, & gladium, & bellum conteram de terra*, & luculentius in Isa.10. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est in manu eorum indignatio mea ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, vt diripiat prædam*: Et paulo post, eam virgam se fracturum esse pollicetur. *Et erit*, inquit, *cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.* Et in Ezech.21. de Rege Babylonis contra Sedechiam dicitur: *Mucro, mucro euagina te ad occidendum, lima te, vt interficias, & fulgeas*: Et postquam Deus Rege Assyriorum pro mucrone vsus est, subiungit: *Reuertere ad vaginam tuam, in loco, in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ: iudicabo te, & effundam super te indignationem meam in igne furoris mei sufflabo in te; igni eius cibus*: Propterea in Exod.32. sic legitur: *Placatus est Dominus, ne faceret malũ, quòd locutus fuerat aduersus populum suum.* Vbi Hebræi pro *placatus* transferunt *pœnituit*: verbum enim hebraicum Nabam, quod ibi legitur significat, & *consolari*, & *pœnitere*. Denique Iudicum 10. Postquam filij Israel ad Dominum conuersi, idola proiecerunt, subiungitur: *Doluit Dominus super miserijs eorum.*

Deus prius minatur quam puniat.

Osææ 2.18.

Isa. 10.5.

Isa. 12.

Ezech. 21.28

Ezech. 30.

Exod. 32.14.

Iud. 10.16.

Hinc

Deo scriptura sacra quare tribuit humana membra.

Hinc est, quòd scriptura sacra tribuens Deo humana membra, hoc idem significari voluit; oculos enim, palpebras, & visum habere describitur, quia cum habeat virtutem vniuersorum consideratiuam, nihil eum latere potest: aures quoque, & auditum habere describitur, quia apud eum propitiationem fore, & deprecationis susceptionem non timemus. Per hunc enim sensum vos mites ostendimus quando deprecantibus aures fauorabiliter inclinamus. Os, faciem, & labia habere dicitur, quia illud velut loquendo per inspirationem nobis reuelat, quòd hominum cognitio per huiusmodi organa exprimit, & ostendit. Guttur, & gustum habere dicitur, quia in nostræ iustitiæ operibus, tamquam in gustu delectatur. Nares, & olfatum habere dicitur, quia tamquam odor suauissimus Domino placet quidquid deuotionis affectus ei exhibetur. Faciem vero habere dicitur, quia per eius opera eius virtutem, & præsentiam perpendimus. Nam personam præsentem per faciem cognoscimus. Manus repræsentant eius subtilitatem, & inuisibilem operationem, quia nos digitis, & manibus, & brachijs subtiliora, & fortiora speramus. Quando verò scriptura dexteram commemorat, clariora Dei, & digniora insinuat. Vnde & iurare per dexteram dicitur, quando intransmutabiliter eius consilium perhibetur; sed frequenter pauperibus, & indigentibus subuenit: & ideo pedes habere dicitur dum sæpè ostendit in affectu quod solent operari homines pedibus vel incessu. Cor, & pectus habere dicitur propter cognitorum iugem recordationem. Ventrem verò, & viscera propter compassionem, quam se habere in nobis ostendit. Irasci dicitur propter odium malitiæ, & eam, quam adhibet vltionem. Et (quod ad nostrum facit institutum) dormire, & obliuisci dicitur propter iniuriæ simulationem, & tarditatem, qua vtitur ad puniendum. Vnde eleganter Origenes homil. 1. super cap. 1. Ieremiæ, inquit, *Deus ad benefaciendum promptus est, ad puniendum autem eos, qui pœna digni sunt, dissimulat, cum possit, quippè tacens sine contestatione venturi, puniri eos, quos simul dignos supplicio iudicat. Numquam hoc facit, sed & si condemnauerit, dicit, quod tibi semper dicere propositum est, vt liberentur à con-*

Deus dicitur dormire, & obliuisci propter iniuria simulationē.

Origen. homil. 1. super c. 1 Ierem.

à condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per delictum. Horum exempla cum ex scripturis multa possimus accipere, sufficiant incidentia. Niniuitæ *peccatores condemnati erant à* Deo, *adhuc enim quadraginta dies, & futurum, vt* Niniuè *subuertatur, noluit eos cum silentio* Deus *punire damnatos, sed dans eis locum pœnitentiæ, & conuersionis, misit* Prophetam, *vt dicente illo adhuc quadraginta dies, &* Niniuè *subuertetur, qui condemnati erant non perirent, sed agentes pœnitentiam, impetrarunt misericordiam Dei, qui in* Sodomis, *&* Gomorrhis *iam erant exitio destinati, vt manifestum est ex sermonibus* Dei, *quos locutus est ad Abraham: attamen quod erat suum fecerunt Angeli, volentes eos saluari, qui se dignos saluare iudicarunt, hæc dicentes ad* Loth. *Est tibi hic aliquis gener, aut filij, & filiæ?* Neque *verò ignorabant non esse eos sequuturos* Loth, *sed ostenderunt suam pariter, & eius, qui eos miserat, benignitatem in homines, & amorem.* Horum *quidem simile inuenimus in* Hieremia *scriptum esse: Est enim annotatum tempus prophetiæ eius, quando cœpit prophetare in diebus Iosiæ filij* Amon Regis Iuda *vsque ad consummationem vndecimi anni* Sedechiæ *regis Iuda: & legens didicit, quia per tres reges prophetia eius contexta sit vsque ad captiuitatem Ierusalem in quinto mense. quid ergo docemur per hæc? Condemnauerat* Deus *Ierusalem propter peccata, quæ fecerat; & hæc erat extrema sententia, vt captiuitati relinqueretur: verumtamen cum hominum sit amator, nec quidquam velit perire, antequam depopulationis tempus instaret, misit & hunc prophetam, vt per sermones eius ad pœnitentiam conuerteretur: misit eumdem, & sub secundo rege post primum: misit quoque sub tertio, quid plura? Captiuitas iam eminebat, & adhuc adorabatur* Deus, *tribuens (vt ita dicam) & ante vnam diem locum pœnitentiæ. Vnde scriptum est. Neque ad captiuitatem Ierusalem, & neque ad quintum mensem prophetasse* Hieremiam. Iam *hos trium vincula restrinxerunt manus; & nihilominus hæc quodammodo aiebat* Deus. *Ecce captiui facti estis, agite, licèt sero, pœnitentiam; rogate me, vt parcam vobis: possum eruere de captiuitate, qui tradidi.* Hæc ille. Et Diuus Chrysostomus homil. 46. in oper. imperfect. in Matth. explicans illa verba Matthæi 23. *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare filios*

D.Chrysost. homil. 46. in oper. imperf. in Matt. 23.

lios tuos, quemadmodum gallina, &c. sic ait. *Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare: non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit saluare: nam quemadmodum in nobis alienum est benefacere; sic & Dei contra naturam est malefacere, aut perdere*. Hæc ille.

Isai.28.21. Ideo apud Isaiam 28. Vbi misericordia opus Dei, punitio opus alienum ab eo nuncupetur his verbis. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo*. In quem locum Diuus Hieronymus contra ipsos, inquit, *irascetur Dominus, vt faciat opus suum: non est enim opus domini perdere quos creauit, sed facere opus alienum ab eo, vt puniat, qui est saluator*, in eumdemque cursum Thren. 3. *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum*: idest, non est cordis sui punire, sed id facit prouocatus: quomodo enim ex animo dicitur punire, qui Genes. 6. *tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creaui*: atque hanc promptam, & facilem ad miserendum naturam, Christus, vbi prius natus est, ostendit: ea enim ipsa die, qua fuit in crucem editus, Romæ in Transtyberinam regionem fontem olei voluit scaturire, quam integrum diem sine intermissione manauit, vt argumento esset, ipsum, vbi primum in terris pedem posuit, simul dexterum misericordiæ pedem quam primum ostentasse, atque suæ clementiæ, & misericordiæ fontem aperuisse: ex quo omnia beneficiorum genera continentur, dimanarent. Sic scribunt Sabellius, & Platina in vitis Pontificum cum de Iesu Christi natiuitate loquuntur: quamquam hoc prodigium non ipso die ortus Christi, sed multo ante accidisse probabilius videatur: quemadmodum testatur Eusebius in Chron. Paulus Diaconus libro 7. de gestis Roman. Paulus Orosius lib. 6. cap. 19. qui addit huiusmodi signum gratiam per Christum effundendam portendisse.

Misericordia opus Dei, Iustitia opus alienum dicitur.

D. Hier.

Thren. 3. 33.

Gen. 6. 6.

Christus in morte ostendit misericordiam Dei.

Christus quã primum fuit incarnatus, ostendit suã misericordiã

Sabellius.

Platina in vitis Pontificum.

Euseb. in Chron.

Paulus Diac. li. 7. de gestis Romanorum.

Paul. Oros. lib. 6. cap. 19.

Ps. 114.5. Ps. 111.4. In eumdem sensum dicitur in Psalm. 114. *Misericors dominus, & iustus, & Deus noster miseretur*. & Psalm. 111. *Misericors, & miserator, & iustus dominus*. In quibus locis pro vno titulo iustitiæ, duplex misericordiæ ponitur, vt intelligas plura esse misericordiæ opera, quam iustitiæ: & quod libentius dominus miseretur peccatoris

Misericordia Dei plura sunt opera, quam Iustitia.

catoris

catoris, quàm de illo sumat vindictam. Ideo 2. Regum 8. dicitur, quòd Dauid mensus est duos funiculos ad mortificandum: & impleuit funiculum ad viuificandum, vt plures vitando saluaret, quàm occideret, quasi volens ostendere, quòd pronior erat ad misericordiam, quàm ad iustitiam: non enim impleuit funiculum, qui ad mortem destinatus erat, quod quidem multo melius de Deo nostro potest annui, qui licet funiculus duos habeat, vnum iustitiæ, alterum misericordiæ, attamen funiculus misericordiæ maior est, semperque impletur; & funiculus iustitiæ aliquando relaxatur: & illius mensuram non implet, cum ad illum peccatores conuertantur. Vnde Sponsa Cantic. 1. canit. *Oleum effusum nomen tuum:* siue (vt alia littera habet) *Vnguentum effusum nomen tuum. Ideo adolescentulæ dilexerunt te*: per oleum enim, aut vnguentum misericordia designatur. Et quia Deus vnguenti, & olei naturam in mansuetudine, & lenitate imitatur: ideo animæ nostræ illum diligunt, illum sequuntur, & ad eum accedere non dubitant. Vnde Regius Vates psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit: & dominus exaudiuit eum*: quasi dicat. Accedite ad lumen misericordiæ eius, si illuminari, & de tenebris peccatorum ad lumen gratiæ eius transferri cupitis. Et confidite, quòd non confundemini in die nouissimo, sicut confundentur omnes illi, qui ad Deum non accesserint. Ego enim cum pauper essem; & despectus, peccatisque irretitus, ad eumdem accessi, & pro venia sum deprecatus, qui & exauditus sum, & cum misericordia susceptus, sed non dissonat à proposito nostro versio felicis, qui sic ait. *Respexerunt ad eum, & cucurrerunt, & illuminati fuere: & vultus eorum non confundentur*: illius enim vultus non confundetur in iudicio; qui ad eum accedit, non quomodocunque, sed currens, & velox, qui pœnitentiam non differt vanis speciebus præpeditus, & blandicijs carnis, & mundi deceptus. Non enim procrastinandum est in pœnitentia: sed opportunè, & properè agenda, ne postea confusi impœnitentes ante Dei Tribunal præsentemur. Dicitur enim Ecclesiast. 32. *Ante grandinem præibit corruscatio, & ante verecundiam præibit gratia.* Locum hunc interpretans

Inco-

Margin notes: 2.Reg. 8. 2. — *Deus pronior ad miserēdum, quā ad puniendum.* — Cant. 1. 2. — *Misericordia per oleum designatur.* — Psal. 33. 6. — *Deus lumen misericordiæ dicitur.* — *Pœnitens qui nō differt pœnitentiam, accedere ad Deū dicitur.* — Eccl. 32. 14.

Incognitus super psal. 23. incognitus super psalm. 23. dicit, quòd per corruscationem, quæ luminosa quidem est, sed breuis, nisi peccati delegatio intelligitur: quæ ad momentum apparet lucida, sed subitò transit, quia laus impiorum breuis; sed grando, qui hanc sequitur corruscationem, est pœnæ peccato debitæ grauitas: ante grandinem enim præcedit corruscatio, qui culpæ pœnam præcedit, & ante verecundiam præibit gloria. quid enim verecundia, nisi æterna confusio significatur? quam præcedit gratia: quia ad illam considerandam, vt timeatur, nos diuina gratia inducit. Colligamus ergo ex ijs, quòd tanto maior erit verecundia, & confusio, quam patiemur, si ad Deum illicò non conuertamur: quantò maior est eius misericordia, quæ nos inuitat; & gratia, quæ nos præuenit.

Verecundia æternam confusionem significat.

Ex hoc prouenit, quòd vbi Deum misericordiam effundere, iustitiam stillare dicitur. Vnde Ezechiel 20. aiebat. *Fili hominis pone faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Africum.* Non enim dictum est prophetæ effunde, sed stilla ad Africum, quia sermo est de supplicijs ad Africum inferendis, quemadmodum in illum Deum obseruauit Diuus Hieronymus: vt non, inquit, tota Dei ira videatur effusa; sed stilla quædam, & pars. Si autem stilla tantæ sæuitiæ est, quid in totis imbribus existimandum erit? Eodem sensu dicitur eidem Prophetæ cap. 31. *Fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem, & stilla ad sanctuaria.* Et Daniel 9. *Stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in lib. Moysi serui Dei, quia peccauimus ei:* cur enim stillari dicitur maledictio, Deique ira? Nimirum, quia ex phialis funditur, quæ angusto sunt ore: hoc est, ex diuinis iudicijs, quorum ora misericordia comprimit: & ideo angusta sunt, & stricta, ne fundant, vel stillent iram. Misericordia enim est, quæ diuina iudicia constringit, & temperat iuxta illud psalm. 77. *Ipse autem est misericors: & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos.* Cuius rei statim ratio subiungitur verbis illis consequentibus. *Et abundauit, vt auerteret iram suam: & recordatus est, quia caro sunt.* quo loco illud *abundauit* ad misericordiam pertinet, quæ abundat super iram, quia Deus semper plus miseretur, quàm irascatur. Itaque non abundauit, vt perderet, sed, vt auerteret iram suam, eamque constringeret. Et quamuis iuxta proprietatem linguæ hebrææ,

Ezechiel 20. 46. *Deum misericordiam effundere, iustitiam stillare dicitur.* *D. Hier.* *Ezech. 21. 2.* *Dan. 9. 11.* *Maledictio quare dicitur stillari.* *Ps. 77. 38.* *Misericordia abundare dicitur.*

bræ, illud, *non accendit omnem iram ſuam*, ſignificet, nullam iram accendiſſe, ſed totam auertiſſe, & remiſiſſe: tamen alij ita accipiunt, vt non omnem iram, ſed partem aliquam accenderit; atque adeò iram per miſericordiam temperauerit, phialæq. os magis compreſſerit. Hinc eſt, quòd Apoc. 15. Phialæ plenæ ira Dei dicuntur aureæ; quoniam ex amore, tamquam ex aurea phiala diuina in nos ira, atque animaduerſio procedit eum: nos in hac vita caſtigat, vt corrigat. Itaq. cum punimur, æſtimare debemus eiuſmodi ſupplicium eſſe veluti pretioſum opobalſamum, quod ex phiala funditur aurea; ſicut è contra maximi ſupplicij loco ducere, cum peccantes minimè punimur. Apoc. 15. 7. *Phiala Apocal. quare plenæ ira Dei dicuntur.*

Ideoq. ipſemet Deus occaſiones puniendi vitat, iuxta illud Malach. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Hoc eſt, mittam Eliam, vt conuertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres; vt qui tunc increduli fuerint, eamdem fidem accipiant, quam antiqui patres habuerunt; & ita patres, & filij ſeipſos mutuo diligant, nec percutiam terram anathemate, ideſt, ſeparatione ſempiterna. Cernis Dei miſericordiam eò ſpectare, vt, nè cogatur impios punire: iccirco miſſurum Enoch, & Eliam, vt homines prædicatione ſua conuertant, & iræ diuinæ ſubtrahant. Simili affectu dixit Dominus Exod. 33. *Mittam percuſſorem tui Angelum*: non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, nè forte diſperdam te in via. Itaque modis omnibus vitat Dominus occaſiones puniendi. Hinc eſt, quod antequam impios puniat, eius amicos, & prophetas de punitionis tempore, & modo præmonet. Vnde cum de ſuo populo aut puniendo, vel vt in tantis minis deterrendo à peccatis ſtatuit, prius omnia prophetis reuelauit, eoſque monuit, quòd ſi præcatores, & interuentores cito non adſint, meritò conqueritur indulgentiſſimus pater, ac benigniſſimus iudex: atque ex illius nomine Iſaias 64. in inſigni illa pugnali clade, dolens, ait: *Non eſt qui inuocet nomen tuum*, quaſi dicat, Non eſt qui te inuocando, tuamq. clementiam tibi, quaſi in memoriam reuocando, te reuocet à ſupplicio. Non eſt qui clamet, Deus optime, nè ſtringas gladium, nè ſtrictum iam, atque ſplendentem extendas in populum tuum. Non eſt, qui conſur-

Malach. 4. 5. *Deus occaſiones puniendi vitat.* *Deus mittet Enoch, & Eliam ne punire cogatur.* Exod. 33. 2. *Deus modis omnibus vitat occaſiones puniendi.* Iſa. 64. 7.

gat, & teneat te, quod videtur colludere cum illo Abrahami gesto, quasi per antithesim: *Clamauit enim Angelus Domini dicens*, Gen. 22. *Abraham, Abraham ne extendas manum tuam super puerum*. At extendente Deo manum, & arripiente gladium, non est qui inuocet illius nomen, & teneat illum. Tenebat porrò Moyses Deum, cum diceret: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos*. Moyses autem orabat Dominum Deum suum. Hinc mansuetissimus Rex ille iuxta cor Dei valde opportunas Abigailis preces gratulatus est, dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel, tui misit te hodie in occursum meum: & benedictum eloquium tuum. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, nè irem ad sanguinem, vt vlciscerer me manu mea*. Quod si præter morem statuat, nullius precibus acquiescere, dolens ipse indulgentissimus parens, ait Ierem. 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio*, Chaldæos videlicet, quorum morsus, atque impetus, quod Deus sic decreuisset, nullius prece, aut oratione comprimi, placari, aut debilitari possit: *Et mordebunt vos, ait Dominus, dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens super contritione filiæ populi mei, contritus sum, & contristatus, stupor obtenuit me*.

Gen. 22. 11.

Moyses Deum deprecando tenebat.

1. Reg. 25. 32. & 33.

Ier. 8. 17.

Huc etiam spectat illud eiusdem Iob 14. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus*. Vbi est notandum Iobum in hoc loco non postulasse aliud perfugium, aut latibulum, quàm illud ipsum, cuius furorem timet, & fugit, & quem latere cupit, nimirum Deum timet, & latere desiderat, & precatur, vt ipse Deus illum abscondat: scit enim neminem alium posse nos abscondere, & subtrahere diuinæ iræ, non cælum, non infernum, non maris extrema, non tenebras ipsas. Vnde Psal. 138. *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum ades, &c.* Ergo quod de diuina caritate dum nos flagellat, dixit D. Gregorius in Iob 14. Vna manu protegit & sustentat, altera percutit. Idem nunc dicendum, vna manu protegit, & abscondit, alia irascitur, & quærit quem percutiat, & prosternat. Igitur misericordia nos diuina, diuinæ iræ subtrahi efficit. Propterea enim inter Cherubim Deus in propitiatorio sedebat, quod erat arcæ operculum aureum, in qua lex, & tabulæ, quæ in arca erant, tegebantur, & quasi occultabantur. Nam Deus altera manu legem proponit omnibus seruandam, lumine, igneque vindictæ de transgressionibus

Iob 14. 13.

Psal. 138. 8.

D. Greg. in Iob 14.

Deus vna manu protegit altera percutit.

Deus vna manu legem proponit altera verò abscondit ipsam.

nibus sumendæ corruscantem, & fulgurantem. Vnde Deuter. 33. dicitur: *In dextera eius ignea lex*. Altera verò manu operit, & occultat legem, & illius transgreßiones propitius dißimulat. Qua re beatos illos prædicat Dauid Psal. 31. *Quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata*, idest, qui propitiationem, veniamque peccatorum obtineat à Deo, residente in operculo arcæ, quasi arcam illam tegente, & operiente, & legis transgreßionem, atque seueritatem occultante, transgressoresque protegente, abscondente ab ira sua: licet enim pro me iustitia, & sanctitate impietati, & sceleri fauere, aut patrocinari nulla ratione poßit: sed tamen pro sua bonitate, & clementia peccatores à suæ iræ, & iustitiæ seueritate abscondit; & nostra delicta pro paterna sua erga genus humanum caritate operit, & dissimulat, iuxta illud Sap. 11. *Dißimulans peccata hominum propter pœnitentiam*, eadem hominis à diuina irà, & seueritate protectio, alijsque translationibus, vt Ezech. 16. *Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam*. Et Isai. 38. *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*. Et quidem his omnibus rationibus homo absconditur, & occultatur, nè diuinæ seueritati, atque iustitiæ pateat; deturque commeritis supplicijs: & hoc, quia Deus iram suam stillat: misericordiam verò effundit. Amen.

Deut. 33. 2.
Psal. 31. 1.
Sap. 11. 24.
Ezech. 16. 8.
Isa. 38. 17.

DECIMANONA LECTIO.

De necessitate tribulationis.

IN QVA NECESSITAS TRIBVLATIONIS ad iusti perfectionem explanatur; quæ in patiente tres pretiosissimos refert effectus: Primum, quia aperit oculos illius ad cognitionem veritatis: Secundum, quia diuinum conciliat amorem: Tertium, & vltimum, quia gratiam, & gloriam confert.

Iob 1. 11. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

PRIMA PARS.

POSTEA quàm satan fecit (vt dici solet) maiorem, & propositionem suam, ad consequentiam, & conclusionem denique descendit. Præmissa, & propositio fuit (sicuti dixi in transacta Lectione) *Numquid frustra*, scilicet, *Iob timet Deum?* idest, quòd si Iob timebat Deum, eique inseruiebat; hoc veram sanctitatem, & bonitatem Iobi non redolebat; sed omnia hæc operabatur ob beneficia, quæ in eum diuina sua manus contulit, & ipsum collaturum sperabat: modo consequentia sequitur:

quitur: & hæc est, scilicet, *sed extende manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, &c.* idest, reuoca manum, incipe ferulis, ac tribulationibus eum afficere: tolle ab eo tantam illam felicitatem quam in eum contulisti; & videbis, quòd non tantum tibi inseruiet, & te adorabit: *sed in faciem benedixerit tibi*. Et quidem quamquam dæmon hoc in loco quidquid dicit, praua agit intentione, & malignitate, & inuidia, quam habebat erga sanctitatem Iobi: nihilominus verum dicit, & iure vtitur: tribulatio enim non modum vtilis est, verum necessaria Dei seruis existit: quæ quidem in ipsis tres generat pretiosissimos effectus. Primus quorum est, quia notam facit & homini, & mulieri rerum veritatem. Secundum est; quoniam erga Dei amorem inflammat. Tertium est, & vltimum, quia per ipsam gratia acquiritur, & gloria. Hæc autem erit hodiernæ Lectionis materia. Attendite.

Dæmō quidquid dicit, & agit, à malignitate procedit.

Tribulatio non solum vtilis, sed necessaria est.

Lectionis diuisio in tria capita.

SEd extende manum tuam, &c. Et quidem quod tribulatio necessaria Dei seruis sit, clare patet in Tobia c. 12. Vbi postquam ipsemet sanctus Tobias orbus, pauper, tribulatione tentus, & illusus, etiam ab ipsamet vxore euasit: volens Spiritus sanctus declarare, qua ratione tanta mala, tantasque molestias passus est, ait ei Angelus Raphael: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te*: ac si diceret, Tu, cum sis Dei amicus, & seruus, oportebat vi tribulationis, ac molestiæ affectum fuisse. Moyses populo hebræo, commemorare vult beneficia, quæ Deus in eum contulit, liberans eum ab Ægypto, & quod ideò dicit: *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret*. Magnum quidem. Vult Moyses commemorare populo tantum beneficium, quantum est id, quo à seruitute Pharaonis liberauit; attamen concludit hanc gratiam sibi largitum esse, vt ipsum tentaret, & tribularet: Scitis ne propter quid? vt disceremus tam necessariam esse tribulationē Dei amicis, quod inter particularia eius insignia beneficia ipsam cōmemorat. In Act. Apost. c. 9. ait Deus Ananiæ: *Vade, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem, quoniam vas electionis est mihi. Ego enim ostendam illi, quanta oportet eum pro nomine meo pati*: tantum in eum confert beneficium, vt vas electionis eum decernat: & inde concludit, quod hoc agit,

Tob. 12. 13.

Deus seruus oportet, vt tribulationes patiatur.

Tribulatio tanquam beneficium in sacra Scriptura recensetur.

Actor. 9. 11.

vt pati, tribularique debeat: non propter aliam, inquam, causam, nisi vt necessitas demonstret tribulationis, qua se homo facit Deo carum, iucundum, & gratum. Et iure quidem, nam non est discipulus super magistrum. Filij patris vestigia sequi debent, & discipuli præceptoris: Christus nostrum caput, Pater noster, nostrique præceptor extitit; ipse passus est: nos etiam igitur pati debemus. Hoc illud est, quod D. Ioannes c. 1. innuere voluit, cum loquens de Christo, ait: *Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit* (Græce est, vixit) hoc est post mortem resurrexit: huiusmodi inscriptione animatur Smyrnensis Episcopus ad labores; quorum magnam siluam, multamque materiam Synagoga satanæ suppeditabat, forti, & inuicto animo perferendos. Quæ inscriptio ad hoc persuadendum tres rationes continet. Prima ducitur ex Christi magnitudine, & potentia, qui possit ijs, qui propter fidem, & virtutem vitæ se discrimini obijciunt, opitulari; immò, & vitam, si eam amittere contigerit, restituere, hoc sensu, huc animum despondeas, si in capitis discrimen pro nomine meo adducaris: immò nè si mortem ipsam inimici intentent, & afferant, cum ego sim, *primus, & nouissimus*, idest, *Alpha, & Omega*; omnium rerum; atque adeò omnia, quæ sunt, & erunt, potestatis amplitudine coërcens, vimq. habens omnia pericula propulsandi: quòd vel ex eo potes intelligere, quòd ego ipse mortuus fui, & resurrexi, in hunc sensum interpretantur hunc locum Riccardus de sancto Victore, & Beda, qui illud *primus, & nouissimus* sic exponit, idest, qui omnia creauit, & omnia moriendo instaurauit. *Aperta*, inquit, *præfatio patientiam suasuro*. Et Rupertus, qui illud primus, & nouissimus non principium, & finem interpretatur, sed ad humanitatem, & passionem referuat: quasi Christus in hunc modum loquatur. Verum quidem est te propter fidem, & iustitiam pati: sed si ad illum respicias, qui, cum esset apud Deum primus, idest, pretiosissimus, omnique honore dignissimus apud homines: tamen ità nouissimus, idest, vilissimus, & abiectissimus fuit, iuxta illud Isaiæ 13. *Vidimus eum despectum, & nouissimum virorum*: quod omnes in tribulationibus antecellit.

Tribulationis necessitas. — *Christus pater, & præceptor noster est.* — Apoc. 2. 8. — *Christi magnitudo, & potentia.* — *Christus principium, & finis.* — *Ricardus de S. Victore.* — *Beda.* — *Rupertus.* — *Christus primus & nouissimus.* — Isa. 53. 3.

Huc spectat illud Gen. 35. vbi de morte Rachelis tractans dicitur: *imminente iam morte vocauit nomen filij sui Benoni*, idest, *filius doloris mei*. Pater verò appellauit eum

Gen. 35. 18. — *Beniamin filius dexteræ.*

Benia-

Beniamin, ideſt, filius dexteræ. In quo loco non modica infertur occaſio dubitandi, cur Rachel, dum peperit filium, dederit illi nomen *Benoni*, ideſt, filius doloris. Iacob verò pater eius vocauit illum *Beniamin*, ideſt, filius dexteræ? Aliqui dicunt, quòd mater impoſuit ei nomen doloris, quia eius cauſa mortua eſt; pater verò nomen dexteræ, ad exprimendam eius potentiam, & fortitudinem ex morte eius cariſſimæ Rachelis; ſed melius, & facilius reſpondetur; quia iuſtus in hac vita dicitur *Benoni*, ideſt, filius doloris propter afflictionem, & tribulationem, quam patitur; ſed in alia vita, dicitur *Beniamin* filius dexteræ propter beatitudinem, quam merebitur, quia in iudicio ad dexteram collocabitur. Hinc eſt, quòd omnes ferè eius amicos, & dilectos voluit Deus, vt tribulationes, & flagella paterentur. Vnde Geneſ. 22. Iuſsit Abraham, vt immolaret filium. *Tolle*, inquit, *filium tuum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem moſtrauero tibi*. Sed numquid tẽtauit Deus Abraham, vt aliquid diſceret, quod prius ignorauerat? Abſit. Sciebat enim optimè fidelitatem ſerui ſui, eiuſque virtutem nouerat; ſed, vt hæc mundo manifeſta fierent. Vnde verba illa à Domino prolata: *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum*, ſic interpretatur Lyranus: *Nunc alios cognoſcere feci, quia timeas Dominum*. Hæc ille. Vel, vt ait Paulus Burgenſis metaphorice accipienda ſunt hæc verba: quia Deus ſe habuit circa Abraham per modum tentantis, qui vult accipere experimentum de aliquo ignoto. Contingit, quòd ante oculos noſtros inſtrumentum muſicum afferatur varijs coloribus depictum, & ſummo ingenio elaboratum, monocordium, vel clauicordium, & ſtatim multis de illo experimentum ſumere, illudq. tangere, vt appareat omnibus, vtrum interior muſica exterioribus picturis correſpondeat: quod ſi chordæ illius non ſint bene temperatæ, nequaquam illud poteſtis ferre; at, ſi vocum conſonantia, & harmonia exteris coloribus conformatur, illud ſummis laudibus efferetis: ſic nimirum iuſtus nihil aliud eſt, quam diuinum quoddam inſtrumentum virtutibus, meritis, & gratiarum prærogatiuis depictum. Et quia ſunt etiam hypocritæ eiſdem coloribus, quantum ad exterius ornati, & eamdem ſanctitatis imaginem repræſentant; vult Deus laboribus, & calamitatibus illos tangere, vt eorum virtus magis,

Benoni filius doloris.

Iuſtus Benoni, ideſt, filius doloris.

Iuſtus Beniamin filius dexteræ, quia in iudicio ad dexteram collocabitur.

Gen. 22. 2.

Deus quare Abraham tentauit.

Lyranus.

Paulus Burgenſis.

Simile.

Iuſtus inſtrumento muſico cõparatur.

ac magis mundo nota fiat; & ſic tribulationes eis neceſſarias eſſe clare videtur.

Amos 7.7. Septuaginta. D.Hieron. Deus quare adamantem in manu fert.

Huc ſpectat illud, quod habetur Amos 7. *Hæc oſtendit mibi Dominus, & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarÿ*, Septuaginta habent; & in manu eius adamas, vbi aduertendum ſecundum D. Hieronymum conſuetudinem eſſe Scripturæ ſacræ multoties ſingulare pro plurali accipere. Itaque in manu ſua plures lapides pretioſos, ſiue adamantes habeat: ſed qui nam ſint iſti adamantes in manu Domini exiſtentes, dicitur Sap. 3. *Iuſtorum animæ in manu* Dei *ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*: dicuntur enim iuſti adamantes propter eorum in laboribus tolerantiam: fuit enim adamas apud antiquos (vt apud Pierium Valerianum habetur) firmitatis, & infracti animi hieroglyphicum; qui adamas ſui nominis proprietatem obſeruat, etenim indomabilis, quia nullo inſtrumento, vel ferreo, vel æreo domari poteſt: ſic iuſtus in manu Dei exiſtens nullis ictibus, laboribus, aut calamitatibus concutitur; ſed omnibus viriliter reſiſtit. Habet hos adamantes Deus in manu ſua, quos offert diabolo, & mundo, perſecutionibus, & tribulationibus exponit, ac tentari permittit, vt eorum virtus admirabilis manifeſta fiat, & ſic neceſſaria ad iuſti laudem appareat.

Sap. 3.1. Pierius Valerianus. Adamas, ideſt, indomabilis. Iuſtus tamquã Adamas offertur à Deo, vt probetur à diabolo.

Sed extende manum tuam, &c. Et hoc contingit, quia, vt dixi tres in tribulato admirabiles effectus generat: cumque primo ita eidem mentis oculos aperit, vt ea, quæ ſequi debet, & amare cognoſcit; Hoc illud eſt, quod Diuus Ioannes Apoc. 3. dicere ſolebat, ſcilicet: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas*. Vbi notandum eſt, quòd cupiens Chriſtus Dominus omnibus Laodiceni Angeli, ideſt, Epiſcopi malis occurrere; cum in illum paupertatis ſuæ, & nuditatis admonuiſſet, atque ad aurum caritatis emendum, bonorumq. operum indumenta accipienda fuiſſe adhortatus; tandem cæcitati, qua etiam laborabat, benigne conſulens, monet, vt collyrio, quod eſt præſtantiſſimum optalmiæ medicamentum, oculos vngat, vt videat. Quid nam ſit huiuſmodi collyrium non vno modo doctores interpretantur. Prima expoſitio eſt per collyrium hoc loco accipiendum eſſe diuinorum eloquiorum contemplationem cum operatione coniunctam. Quam expoſitionem afferunt, & ſequuntur Beda, Riccardus de S. Victore, Pannonius, Primaſius, Vgo Cardinalis, & Ambroſius, Ansber-

Apoc. 3. 18. Chriſtus cupit noſtris malis occurrere. Collyrium quid eſt, & ad quid deſeruit. Beda, Riccardus de ſancto Victore, Pannonius, Primaſius, Vgo

Ansbertus, qui ita hanc admonitionem interpretatur, *Adbibe*, inquit, *diuina præcepta ad mentem cæcam, quatenus, virtutum nuditatem, quam pateris videas, nisi enim quodam essent collyrium diuina mandata, non diceret Regius Vates Psal. 18. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Cum itaque superna aspiratione quilibet per singulas scripturarum paginas, quid Dominus iusserit legendo, vel audiendo ad mentem reuocat, videt nimirum, vel quantum de virtutibus habet, vel certe si nihil habet.* Hæc ille. Id, quod etiam significauit Dominus Deuteron. 6. Nam vbi nos habemus, *ligabis ea*, idest, mea mandata, *quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos*. Alij ita transtulerunt ex hebræo: *Ligabis ea in manu tua; & erunt quasi specilla ante oculo tuos*. Etenim verbum hebræum etiam specilla significat: rectè autem specilla appellantur, quia per ea clare conspicimus quantum Deo debemus, & quantus sit noster in virtute progressus, quo videtur allusisse Regius Vates cum dixit Psal. 118. *Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis*. Atque hanc collyrij acceptionem videntur superiores doctores mutuati à D. Gregorio primæ partis pastoralis curæ cap. 11. Vbi hunc locum Apocal. illustrat: *Collyrio*, inquit, *oculos, vt videamus, inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adiuuamus. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lumen videre non finitur, quia arrogantia sapientiæ, vel iustitiæ cæcatur. Pupilla namque nigra oculi videt, albuginem tolerans, nihil videt: quia, videlicet, sensus humanæ cognitionis, si peccatorem se intelligit, cogitationem intimæ claritatis apprehendit: si autem candorem sibi iustitiæ, vel sapientiæ tribuit, à luce superna cogitationis se decludit, iuxta illud ad Roman. 1. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Hæc ille.

Cardalis, Ambrosius, Ansbertus.

Psal. 18.9.

Deut. 6.8.

Præcepta tanquam specilla ante oculos sunt ponenda.

Psal. 118.6.

D. Greg. 1. par. past. curæ c. 11.

Secunda expositio est Riccardi de sancto Victore, & Dionysij Carthusiani, aientium per collyrium intelligi amaritudinem pœnitentiæ, quæ per compunctionem clarificat sensus cordis, sicut collyrium per effusionem lacrymarum oculos carnis.

Riccardus de S. Victore.

Dionys. Carth.

Pœnitentiæ amaritudo per Collyrium significatur.

Tertia per collyrium alij dicunt memoriam passionis Christi accipiendam esse, pro cuius maiori expositione sciendum est, quemadmodum aduertit Franciscus Vallesius libro suo de sacra Philosophia cap. 42. ad abstergendas inuete-

Franciscus Vallesius lib. de sacra Philosoph. cap. 42.

ueteratas oculorum albugines, nihil magis à medicis celebrari, quam fel, præcipuè verò cuiusdam piscis, qui callionymus dicitur, ideſt, pulchri nominis. Id quod etiam docet Galenus libro 10. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 12. Plinius libro 32. histor. natural. cap. 7. & Acarius libro 13. cap. 4. de Aristotelis sententia: ex quo verisimile arbitratur. Vallesius, piscem illum, quem à tygri flumine Tobias extraxit, Tob. 6. fuisse hunc callionymum, cuius fel præcipuum est oculorum medicamentum. Quamquam verò hunc Tobiæ piscem Beda in sua allegorica expositione libri Tobiæ interpretetur dæmonem, quem Christus in cruce cœpit, traxit, & exenterauit, ideſt, nequitiam eius fidelibus operuit, & quasi arcana insidiarum euisceraui; tres etiam eius partes reseruauit, nimirum cor, fel, & iecur: cor quidem, quia caliditatem eius sacræ Scripturæ monumentis inuoluit: fel, quia quanto malitiæ furore contra genus humanum seuiret propter cautelæ studium scribi voluit: iecur denique reposuit, quia malignam consiliorum eius aduersum nos concoctionem declarauit. Ferunt enim calore iecoris occulta cibi exequi: nihilominus alij cum piscem Christum mysticè accipiunt, qui si callionymus fuit (vt vult Vallesius) rectè etiam rationem Christi exprimit, qui pulcherrimo Iesu nomine appellatur; iuxta quam sententiam ità mysterium possumus exponere. Piscis Christus est, cor dilectionis immensitas, iecur amoris perfecta deuotio, fel passionis amaritudo, in felle illo significata, quod ipsi propinatum fuit Matth. 27. *Dederunt ei vinum bibere felle mixtum*; de quo idem multo ante per Regium Vatem fuerat conquestus Psalm. 68. *Dederunt in escam meam fel*. Fel ergo, & cor piscis, ac iecur sibi cum Tobia reponunt, qui dilectionis, qua Christus dilexit nos: & amaritudinis, quam in passione subiuit, recordantur, iuxta illud Thren. 3. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ absynthij, & fellis*. Quo fiet, vt sicut Tobias senior felle piscis ad oculos adhibito, aspectum recuperauit: ità nos recordatione passionis Christi, tamquam collyrio videamus, & gratiam consequamur. Quod signignificauit idem Propheta statim subiungens: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea*, hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo. Et Paulus ad hebræos 12. *Recogitate*, inquit, *eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum*

Galenus lib. 10. de simpl. medic. facultat. c. 12. Plin. lib. 32. hist. natur. c. 7. Acarius lib. 13. c. 4. de Aristot. sententia.

Tob. 6. 5.

Beda.

Dæmon per piscem Tobiæ interpretatus.

Dæmon quare per piscem Tobiæ interpretatur.

Christus per piscem Tobiæ interpretatur.

Matt. 27. 34.

Psal. 68. 22.

Thren. 3. 19.

Passionis Christi memoria aperit nostros oculos.

Heb. 12. 3.

sum semetipsum contradictionem, vt nè fatigemini animis vestris deficientes.

Postrema expositio, & ad nostrum faciens intentum est aliorum collyrij nomine quamlibet tribulationem accipientium, quæ per amaritudinem sensus spirituales purgat ad cernenda spiritualia, iuxta illud Thren. 1. *De excelso misit ignem*, videlicet, tribulationis, *& erudiuit me*. Et Isai. 28. *Vexatio dabit intellectum*. Immò ipsum collyrium humilitatem, quæ ex cognitione propriæ vilitatis oritur, significat secundum mentem Ruperti sic aientis, *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas, id est, cor tuum vera humilitate purifica, vt per paupertatem tuam videas, vtrasque diuitias bonitatis Dei cognoscas*. Hæc ille. Atque ad hoc significandum videtur Christus Ioan. 9. cum cæco à natiuitate aspectum restituere voluit, lutum super oculos eius posuisse: quia nimirum si lutum, ex quo conditi sumus vniuersi ob oculos mentis proponamus, nostræque vilitatis memores simus, ea cogitatione, veluti collyrio aspectum ad diuina contemplanda, nostraq. omnia in Deum referenda, atque adeò ad diuinam gratiam consequendam recuperabimus.

Tribulatio per collyrium significatur. Thren. 1. 13. Isa. 28. 19. *Rupertus.* Ioan. 9. 6. *Memoria nostræ formationis, ex luto nobis est necessaria.*

Sed extende paululum manum tuam, &c. Secundo loco tribulatio (vt dixi) diuinum amorem conciliat iuxta illud Psalm. 9. *Dum superbit impius, accenditur pauper*. quem locum exponens magister sententiarum, inquit; *Dum superbit impius, incenditur pauper, quasi dicat. Eo concilio tribulari sinis pauperem, vt incendatur desiderio tui, vel incendatur, vt purificetur*. Hæc ille. Hoc est, ex eo quod impius per superbiam pauperem persequatur, ipse pauper ea ipsa persequutione, quasi per Anthiperistesim ardentissimo caritatis igne in Deum succenditur, atque adeò eius patientia, quasi terra persecutionibus frugifera redditur. Hinc est, quòd tribulatio plumbo assimilatur primò ratione geni turæ; aliquando plumbum inuenitur solum in suo loco proprio in eius vena, aliquando cum argento mixtum, & aliquando cum auro. Tunc inuenitur per se solum plumbum tribulationis, quando grauiter, & non libenti animo, immo cum murmuratione, & impatientia portatur. Vnde Diuus Paulus Roman. 2. *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Tunc inuenitur plumbum tribulationis cum argento, quan-

Tribulatio diuinum amorē conciliat. Psal. 9. 23. *Magist. sentent.* *Impius per superbiam pauperem persequitur* *Tribulatio plūbo assimilatur.* Rom. 2. 9. *Tribulatio quādo sapienter toleratur.*

Sap. 6.13. quando sapienter, & patienter toleratur; vnde Sapien. 6. *Clara est, quæ numquam marcescit sapientia*. Tunc deniquè inuenitur plumbum cum auro, quando non solum patienter, sed libenti, & hilari animo suffertur. Vnde idem Paulus 1. Chorint. 13. Caritas, inquit, non solum est patiens, sed etiam benigna. Prima tribulatio, quæ insipienter portatur, peccatorum est. Secunda, quæ sapienter suffertur, est Philosophorum. Tertia, quæ lætanter amplectitur, est sanctorum, quos diuini amoris auro accendit. Secundo, tribulatio assimilatur plumbo ratione tincturæ, quoniam plumbum aliquando nigrescit, aliquando albescit, aliquando rubescit. Nigrescit, cum secundum Philosophum plumbum generatur ex sulphure grosso, non depurato, & argento viuo non puro: vnde ex immunditia sulphuris contrahit nigredinem: plumbum autem tribulationis in sua vena est quando homo suis proprijs passionibus vexatur, & affligitur. Vnde Diuus Augustinus: *Voluisti Domine, & ita factum est, vt impius sibimetipsi sit pœna*. Plumbum etiam aliquando albescit; & hoc est, quando super ipsum immittitur acetum (auctore Hermete) tunc autem super plumbum tribulationis immittitur acetum, quando grauis tribulatio, quam quis patitur, ab ipso in peccatorum suorum pœnam accipitur. Vnde Glossa super illa verba. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem*, inquit, idest, *à peccato purgationem*. Denique plumbum aliquando rubescit, & hoc est quando igne incenditur: sic plumbum tribulationis tunc rubescit, quando patientis cor diuino amore incenditur: Vnde Diuus Paulus. *Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Tertio ratione efficaciæ; nam plumbum habet virtutem dissolutiuam, & Hermes, inquit, quòd plumbum in sua ebullitione omnium corporum solidorum duritiam soluit, etiam adamantis: sic tribulatio feruens frequenter dura corda, etiam magnorum peccatorum emollit, & inflammat. Vnde Gregorius, *oculos, quos culpa claudit, pœna aperit*. Postremò ratione purificationis: nam plumbi igne purificatur: & cum ignis est feruentior, & cum magno flatu accenditur, tantò magis purum efficitur. Sic fornax tribulationis ligna vitiorum in cineres conuertit, plumbum virtutum purgat, & seruos Dei caritatis igne flagrat. Vnde Isai. 54. *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas*. Faber enim super

Margin notes: 1. Chor. 13. 14. — *Tribulatio, quæ insipienter suffertur.* — *Homo suis proprijs passionibus vexatur.* — D. Aug. — Hermes. — *Tribulatio debet in pœnā suorum peccatorum accipi.* — Glosa. — *Tribulatione incenditur cor diuini amoris.* — 2. Chor. 12. 10. — *Tribulatio dura corda emollit.* — Greg. — Isai. 54.16.

prunas est persecutor, cui ipso persecutionis flatu plumbum virtutum Sanctorum sufflas, eos magis amor Dei igne ardere facit. *Persecutor est faber qui prunas administrat.*

SECVNDA PARS.

Sed *extende manum tuam, &c.* Cum hucusque non solum de persecutionis necessitate, sed & de duobus eius effectibus, videlicet cognitionis sui ipsius, & Dei amoris, actum sit; nunc verò de tertio disserere mihi remanet: nempe persecutionem ad gloriam acquirendam, vtilem: vel (vt melius dicam) necessariam esse, iuxta illud 2. Timoth. 2. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Vbi Rupertus obseruans, inquit. Ius regale est apud cælestem Regem: ait enim Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo:* à quo legali iure nec ipse Christus exemptus fuit, quemadmodum docet Petrus 1. sua epistola 1. *Scrutantes in quod, vel in quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias:* posteriores, inquam, idest, præcedentibus tribulationibus comparatas, quemadmodum interpretatur Glossa. Idemque docet Tertullianus lib. de corona militis cap. 14. expendens illud, quod dicitur de Christo post resurrectionem, quod fauum mellis comederit: *Christus*, inquit, *fauos post flagella gustauit: nec antea rex gloriæ à cælestibus salutatus est, quam* Rex Iudæorum *præscriptus in cruce, minoratus primum à Patre, modicum quid citra Angelos: & ita gloria, & honore coronatus.* Hæc ille. Atque in huius rei figuram, vt obseruauit idem Tertullianus lib. de baptismo cap. 8. Iacob patriarcha benedictionem filijs, Ioseph decussatis manibus, hoc est, in crucis formam positis impertiuit, Genes. 48. Vt, videlicet, intelligeremus benedictionem non nisi per crucem haberi posse, in typum etiam eiusdem rei in superiora Salomonis templi tabulata per cocleam ascendebatur; quod idem de Ezechielis templo dicitur cap. 41. his verbis: *Platea erat in rotundum ascendens sursum per cocleam,*

2. Tim. 2. 12. — *Rupertus.* — *Luc. 22. 28.* — *1. Petr. 1. 11.* — *Christus nõ fuit exemptus à persecutionibus.* — *Glossa.* — *Tertullian lib. de corona militis c. 14.* — *Christus qua re post resurrectionem fauum mellis comedit.* — *Tertullian lib. de baptismo c. 8.* — *Genes. 48.* — *Benedictio per crucem acquiritur.* — *Ezech. 41. 7.*

& in cænaculum templi deferebat per gyrum: quo significatur, in cælum non nisi per tortuosam laborum viam ascendendum esse: Nam quemadmodum docet Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum. Coronæ in eos comparantur, qui certamine congrediuntur, non qui sursum sederent veluti spectatores esse, iuxta illud 1. Petr. 4. *Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem, vt christianus non erubescat.* Ideò Apoc. 1. cum regno tribulatio coniungitur: immò regnum inter tribulationem, & patientiam collocatur: *Particeps*, inquit, *in tribulatione, & regno, & patientia*, vt intelligamus nihil esse gloriosius, magisque regale, quam pro Christo tribulationem patienter tolerare. Itaque tribulationem, & patientiam regalis quidam honor, immò, & regnum ipsum connectit, vt putemus tunc verè nos regnare, hoc est, verè nobiles, gloriososque esse cum pro Christo tribulationem, ac persecutionem aliquam patienter ferimus. Id, quod disertè tradit Petrus 1. sua epist. c. 4. *Carissimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes, si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis* Dei, *& qui est eius spiritus super vos requiescet*. Vbi primum aduerte, quod dicitur: *Nolite peregrinari in feruore*. Pro feruore accipiendum esse tribulationem, tunc verò sensum esse, Nolite tribulationibus commoueri, quasi nouis, & insolitis: hoc est, nolite mirari propter tribulationes, quæ vobis accidunt, quasi homines in huiusmodi peregrini, & hospites: est enim peregrinorum externarum gentium mores, & opera admirari. Nè igitur tamquam peregrinos vos in tribulationibus præferatis, quasi tribulationes Christiano homini nouæ sint, & insolitæ: hæc enim vis est græcæ sententiæ dicentis: *Nolite peregrinari in exustione*, siue examinatione per ignem. Alludit enim iterum Petrus ad aurum, quod per ignem probatur; vt sit sensus, Nè veluti peregrini, tamquam re noua, & insolita moueamini, cum per ignem tribulationis imploramini: etenim quod, peregrinari, vsurpet Petrus pro, admirari; patet ex eadem epistola, eodem capite; nam, vbi nos habemus, *in quo admirantur non concurrentibus vobis*, est græcè, *in quo peregrinantur, seu quasi ad rem nouam, & insolitam instar peregri-*

[Margin notes:]
Cælum nemo ingreditur, nisi per viam tortuosam
1. Petr. 4. 15.
Apoc. 1. 9.
Tribulationem pro Christo pati nihil gloriosius.
1. Petr. 4. 12.
Tribulatio pro feruore accipitur.
Fidelis nō debet admirari propter tribulationes.
Peregrinari pro admirari accipitur.

regrinorum obstupescunt, accedit ex sententia D. Cypriani, qui ità etiam locum intellexit, is enim lib. 4. epistolarum epist. 6. quæ est numero 56. vel secundum aliam editionem epist. 63. quæ est ad Tyburtinos pro exhortatione martyrij. Nec *quisquam*, inquit, *miretur persecutionibus nos assiduis fatigare, & pressuris angentibus frequenter vrgeri, quando hæc futura in nouissimis temporibus* Dominus *ante prædixerit, & militiam nostram magisterio, & hortamento sui sermonis instruxerit. Petrus quoque Apostolus eius docuerit. Ideò persecutiones fieri, vt probemur, &, vt dilectioni* Dei *iustorum præcedentium exemplo, nos etiam morte, & passionibus copulemur: posuit enim in epistola suâ, dicens: Carissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit; nec excidatis tamquam nouum vobis contingat, sed quoties communicatis* Christi *passionibus, per omnia gaudet?* Hæc ille. Vbi cernis Cyprianum pro eo quod nos habemus, Nolite peregrinari, legere, Nolite mirari. Deinde id, quod iam ad rem facit, obserua illud, quod subiungitur, *si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: Quoniam quod est honoris, & gloriæ super vos requiescet*. Quibus verbis significatur maxime honorificum, & gloriosum esse pati pro Christo. Quid verò mirum, si honorificum sit fidelibus pati pro Christo, cum Christus honor fidelium sit, sic enim eum idem Petrus appelat 1. sua epist. c.2. *Qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis*: porrò quod dictum est, *qui crediderit in eum non confundetur*, desumptum est ex Isaia 28. vbi ita legimus: *Qui crediderit non festinet*, vbi, *non festinet*, idem est, atque non confundetur, *non erubescat*: ea enim est vis hebrææ dictionis desumpta metaphora à consuetudine erubescentium, qui solent festinare, idem, qua citissime se se reliquorum consuetudini, & aspectui subtrahere.

D. Cypri. in lib. 4. Epistol. ep. 6.

Christus honor fidelium.

1. Petr. c. 2. 6.

Isa. 28. 16.

Hinc fit, quòd tribulatio in sacris Litteris pondus dicitur, iuxta illud Apoc. 2. *Non mittam super vos aliud pondus*, in quo loco, licet Primasius, Riccardus de sancto Victore, Ansbertus, Pannonius, Vgo Cardinalis, & alij pro *pondere* intelligant legem veterem, propter multos, qui eo tempore surrexerunt ex circumcisione fideles; & putabant necessarium esse ad salutem legalia simul cum lege noua obseruare,

Tribulatio pondus dicitur.

Apoc. 2.

Primas.

Riccardus de S. Victore.

Ansbertus.

Pannonius.

Vgo Card.

uare, vt sensus sit. Nolo vobis pondus legis veteris, sed tenete eam doctrinam, quam habetis, quæ dumtaxat ad salutem necessaria est. quod autem lex vetus pondus dicatur, perspicuum est ex Actor. 15. vbi dicitur. *Visum est Spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria*. & ad hebræos 12. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*: nam hoc loco *pondus* nonnulli de veteri lege interpretantur, quemadmodum Diuus Thomas in Commentarijs super Matthæum ad Iudæos præcipuè dictum esse existimat illud Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis*; nec solum pondus, & onus, sed iugum etiam importabile dicitur à Petro Actor. 15. in primo illo Concilio Oecumenico Ierosolymis celebrato: cui Petrus tamquam Pontifex Maximus præfuit. *Quid tentatis*, inquit, *Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*? immo & iugum seruitutis appellatur à Paulo ad Galat. 5. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri*: fuit autem lex vetus pondus; primum propter præceptorum multitudinem, & etiam quemadmodum docet Abulensis quæst. 1. super 27. caput Deuteronomij,& quæst. 24. in primum cap. Ruth. & Lyranus ibidem,& Paulus Riccius Rabbinus hebræorum versic.9. ad præsidem in lib. suo de Mosaicæ sanctionis, seu Pentatheuchi edictis, omnia in vniuersum præcepta legis veteris, tàm affirmatiua, quàm negatiua erant terdecim supra sexcenta, quamquam Rabbi Moyses Aegyptius, qui dicitur dux neutrorum, seu dubiorum lib. 3. traductu peculiari de præceptis legis affirmet, præcepta affirmatiua, & negatiua fuisse quingenta octoginta tria: verum omittit multa, quæ alij rectius in numero mandatorum ponunt. Secundo propter difficultatem ipsorum præceptorum in cibo, in sacrificijs, in cœrimonijs, in iudicijs, quæ modo infinitum esset oratione complecti. Tertio, quia cum tam multa essent præcepta, & tam ardua, tamen sacramenta, & sacrificia non conferebant gratiam ex opere operato, quæ difficultatem temperaret: neque lex tota vim habebat iustificandi, quemadmodum multis in locis docent sacræ litteræ, veluti ad hebræos 9. *Munera, & hostiæ offeruntur, ecce non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem*. Vbi illud *iuxta conscientiam* significandi-

Lex vetus pondus dicitur.
Act. 15. 28.
Hebr. 12. 1.
D. Tho. in Comm. super Matt.
Matt. 11. 28.
Actor. 15.
Lex vetus iugũ insopportabile.
Galat. 5. 1.
Abulen. q. 1. super 27. c. Deut. & q. 24. in 1. c. Ruth.
Lyran. in Ruth.
Paulus Riccius Rabbin. Iudæor. vers. 9. ad præsidem in lib. de Mosayc. sãction.
Rabi Moyses Aegyptius.
Lex vetus cur quibus erat grauis.
Sacrificia antiqua nõ cõferebãt gratiã ex opere operato.
Hebr. 9. 9.

gnificat legem veterem nō habuisse vim conferendi gratiam: qua conscientia, siue anima mundaretur: & c.10. Siquidem in lege erant verba bonorum futurorum, non ipsamet substantia earū rerum: icciрco etsi quolibet anno illa ipsa sacrificia offerrentur, numquam potuerunt perficere eos, qui ipsa offerunt: & ad Galat.3. *Si enim data esset lex, qua posset viuificare, vere ex lege esset iustitia*: atque hanc ob causam appellatur lex vetus infirma, & egena elementa, ad Galat.4.

Sacrificia legalia non perficiebant offerentes.

Galat. 3.21.

Galat. 4.9.

Sed his dimissis, & ad nostrum rediens institutum, licet, inquam, pondus in hoc loco, secundum hanc opinionem, lex vetus dicatur: attamen D. Augustinus, & alij pondus hoc ad laborem, & tribulationem spectare existimant. Vt sit sensus: *Non mittam super vos aliud pondus*, idest, non implicabo vos nouis tribulationibus eo quod non fueritis impiæ Iezabelis sectatores. Quod enim in sacris Litteris tribulatio pondus, seu onus appelletur, exploratum est ex diuinis Vatibus, qui cum impendentia hebræorum genti, vel alteri cuipiam populo mala comminantur, titulum oneris suis vaticinijs præfigere consueuerunt. Sic enim Nahum dicit: *Onus Niniue*. Abacuch: *Onus, quod vidit Abacuch propheta*. Malach. *Onus verbi Domini ad Israel*. Quæ obseruatio est D. Hieron. lib.5. in Isaiam c.13. & in prologo super Nahum, & Abacuch; simulq. eam reddit huius appellationis rationem, quòd tribulatio instar pondus premat eos, quibus immittitur. Vbi etiã aduertit idem D. Hieronymus, & ad nostram rem attinet in prologo Commentariorum super Abacuch, pro pondere, seu onere, Symmacum, & Theodotionem transtulisse verbum significans assumptionem, & optimo iure, cum in hebræo deducatur à simili radice, quæ leuare, seu assumere significat: quã ob causam Septuaginta etiam pro assumptione reddiderunt, ponentes assumptionem pro re assumpta, idest, pro onere quod amittitur, vt ceruicibus imponatur: quo eodem verbo vsus est Regius Vates, cum dixit Psal.137. *Sicut onus graue grauata sunt super me*. Itaq. secundum D. Hieronymum, onus appellatur assumptio, quia assumitur, vt ceruicibus imponatur. Verum alia ratio afferri potest, cur Septuaginta, & alij, pondus, assumptionem transtulerunt, & ad nostram rem facit; quia nimirum ex laboribus, & afflictionibus plerumq. homines solent proficere, vt ad gloriam assumantur. Itaque laborum immissio, est veluti oneratio, ac depressio, quasi assumptio quædam, & elatio ad gloriam est. Hanc enim ob

Pondus lex vetus dicitur.

D. *August.*

Tribulatio onus dicitur.

Nahum 1.1.

Abac.1.1.

Malach. 1.1.

D. Hieron. lib. 5. in Isai. c. 13.

D. *Hieron.*

Symmacus. Theodotion.

Septuaginta.

Psal. 37.5.

D. Hieron.

Onus assumptio dicitur.

Laborum immissio est veluti oneratio.

Brachia Christi alæ dicuntur. causam ipsius crucis brachia, quibus Christus affixus fuit, alæ, seu pennæ dicuntur, quibus ipse ad gloriam sui corporis,
Psal. 90.4. & nominis celebritatem euolauit, iuxta illud Psal. 90. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Quem locum
D. Hieron. de Christo in cruce interpretantur D. Hieronymus, & Vgo
Vgo Cardin. Cardinalis. Quo eodem sensu accipiendum est illud Mal. 4.
Malach. 4.2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ: & sanitas*
Solis radij pennæ appellantur. *in pennis eius.* Vbi radij Solis per metaphoram pennæ appellantur, tum, quòd Solem pennarum instar circumdat: tum, quòd illis, quasi pennis vuiuersam terram trahunt; & ad crucis cornua referendum est, iuxta prædictam Hieronymi ex-
Brachia Christi in cruce veluti radij Solis. positionem: tum, quia Christus crucis brachijs quasi radijs Sol fulgentissimus enituit; tum, quia his, tamquam alis se ad gloriam sui corporis euexit. Hanc laborum dignitatem,
Iob 31.35. & præstantiam agnoscens Iob, dicebat c. 31. *Librum scribat ipse, qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi*; qui locus dupliciter exponi potest, vno modo, vt significetur Iobum de sua ipsius innocentia confidentem; optare, vt iudex aliquis, qui de sua causa criminosè iudicaret, librum scriberet vniuersa vitæ suæ facta complectentem; quia nimirum sic sperabat fore, vt omnes vitæ suæ seriem gloriosam, rerumque optimè gestarum gloriam cognoscerent; & ipse de libro illo, quasi de facinorum suorum monimentis, & quadam, veluti corona, gloriaretur. Altero vt velit Iob in librum referre labores omnes, qui ex diuino consilio sunt pro toto vitæ suæ decursu definiti, videlicet, memoriæ causa, nè vel vnus prætermittatur, quem ipse non ferat; atque ita totum librum patiendo percurrat, & absoluat. id enim significat cum optat, vt humeris suis imponatur, intelligens in ijs omnibus ferendis illustrissimam gloriæ coronam, ad quam per eos assumi debent, esse constitutam. Quod subsequentia verba significant, vt circumdam illum, quasi coronam mihi.

Tribulatio triumphi materia est. Ideò persecutio, à qua tribulatio procedit, triumphi, &
Gen. 27.40. gloriæ materia est, iuxta illud Gen. 27. *Viues in gladio, & fratri tuo serues.* Vbi quamquam communiter Interpretes
2. Reg. 8.14. accipiant de Idumæis posteris Esau, qui Dauidi Regi ex stir-
Esau persequendo Iacob ei materiam triumphi tribuit. pe Iacob descendente tributarij fuerunt, vt 2. Reg. 8. legitur: tamen eo etiam sensu à plerisque accipitur, vt Esau fratri suo Iacob seruiuit, in eo persequendo, dandoq. ei materiā triumphorum per patientiam, qua ipsum non solum tulit, sed etiā
Genes. 33.3.

ex

ex Mesopotamia rediens adorauit septies genuflexus, vt Genes. 33. habetur. Itaque aliorum persecutor in gladio viuit, dum illos persequitur: sed tamen illis, quos insectatur, eo ipso seruit, quòd eos non ad errorem suum, & vitia pertrahit, sed etiam siluam, & segetem præbet meritorum. Hinc est, quòd persecutor aliorum designatur in illo equo rufo, quem vidit Ioannes Apoc. 6. vbi dicitur: *Exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, vt inuicem se interficiant: & datus est illi gladius magnus.* Vbi nota primo, Persecutor est equus rufus, equus, idest, sine ratione, rufus, idest, sanguinolentus, & crudelis. Vnde Zach. 1. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum.* Secundo, nota, quòd persecutor est equus diaboli, qui eum ducit: ideò dicit: *Et qui sedebat super eum.* Tertio, quod persecutor exerceat suam tyrannidem, hoc est à Deo permissiuè. Ideò dicitur: *& datum est ei*, idest, à Deo, *vt sumeret pacem de terra*, idest, quietem mentis tolleret à terrenis. Vel sic expone, *vt sumeret pacem de terra*, idest, illatis persecutionibus mentes hominum ab amore terrenorũ auelleret, & gloriæ triumphum acquirant. Vnde Matt. 10. Christus aiebat: *Non veni mittere pacem, sed gladium.* Et Orig. hom. 9. in c. 16. Num. explicans illa verba: *Et murmurauerunt filij Israel aduersus Moysen, & Aaron: in impetu fugerunt ad tabernaculum testimonij*, inquit, *non legimus antea, quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuit maiestas Domini, & recepit intra nubem Moysen, & Aaron, nisi tunc cum insurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit, discamus ex hoc quanta sit vtilitas in persecutionibus christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo abundanter sanctus Spiritus infundatur: tunc enim maximè gratia Dei adest, cum hominum sæuitia concitatur, & tunc pacem habemus apud Deum, cum ab omnibus propter iustitiam bella perpetramur. Adoperuit ergo eos nubes tabernaculi, & irruit Synagoga super Moysen, & Aaron; & apparuit gloria Domini, quamuis magna sint vitæ meriti Moyses, & Aaron, quamuis animi virtutibus polleant: apparere eis tamen gloria non potuisset, nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, atque in ipsa pœnæ morte iam positis. Et tu ergo non putes tibi dormienti, & otioso apparere posse gloriam Dei, aut non, & Paulus Apostolus in ijs Dei gloriam consequi meruerit? Nonne super omnes ceteros, enumerat se in tribulationibus, & necessitatibus,*

Persecutor signatur in illo equo rufo Apoc.

Apoc. 6. 4.

Persecutor quare equus rufus dicitur.

Zach. 1. 8.

Persecutor est equus diaboli.

Matt. 10. 34.

Origen. homil. 9. in c. 16. Num.

tibus, in carceribus fuisse? Ter lapidatum esse, naufragia pertulisse, pericula maris, pericula fluminum, pericula latronum, pericula à falsis fratribus, quæ quanto magis abundant, tanto amplius ijs, qui patienter tulerint, conferunt gloriam Dei. Hæc ille.

Triumphator quibus ornatur. Duo præcipuè concomitantur triumphum, frondes, quibus triumphantis ornatur caput, pretiosaque vestis, qua triumphantis ornatur corpus: ambæ iustis pollicentur. Pro-
Psal. 91. 13. mittuntur frondes dum in Psal. 91. dicitur: *Iustus vt palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Promittitur ve-
Prou. 31. 22. stis dum in Prouerb. 31. habetur: *Byssus, & purpura indumentum eius.* Quo ad primum Origenes explicans illa ver-
Iob 29. 18. ba Iob 29. *Et sicut palma multiplicabo dies*, ait, *Non immeritò iustorum vita palmæ comparatur; quia, scilicet, palma inferius tactu aspera est, quasi aridis corticibus obuoluta. Superius verò, & visu, & fructibus pulchra, Inferius corticum suarum inuolutionibus angustatur: sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur; sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra: immò ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur: in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis folijs amplitudine retributionis expanditur.* Hæc ille. Quo ad secun-
D. Hieron. dum D. Hieronymus explicans verba illa Prouerb. 31. superius allegata, inquit: *Byssus candidi coloris est, de terra oritur virens, sed per exercitationes longas, ac multifarias, omisso humore, ac virore natiuo, ad decorem candidæ vestis perducitur. Bysso induitur Ecclesia, dum castigant corpora sua electi, & seruituti subijciunt: purpura autem, cum eamdem continentiam, non ob fauorem vulgi, sed ad acquirendam beatitudinem regni perennis exercent; sed hic virtutum habitus in præsenti quidem nescientibus videtur contemptibilis; sed in futuro qualis fuerit, manifestè patebit. Vnde pulchrè in Apocalypsi sua Ioannes sanctorum se voces audire refert, dicentium, Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ Agni: vxor eius præparauit se, & datum est ei, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido: byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum.* Hæc ille. Amen.

VIGE-

VIGESIMA LECTIO.

De Blaſphemia.

IN QVA TRIA DE BLASPHEMIA explanantur. Primum, quòd blaſphemia eſt peccatum mortale, eo magis cum propter nobis collata beneficia, Deum laudare debemus, quæ beneficia in eodem capite explicantur. Secundum, quòd eſt peccatum alijs grauius. Tertium, quòd Deus contra blaſphemantes magis iraſcitur.

Niſi in faciem benedixerit tibi. Iob 1. 11.

PRIMA PARS.

NVLLI quidem dubium, quòd, licet primum, quod ad Deum fuit dæmon loquutus (quemadmodum in præcedenti Lectione narrauimus) & vtile, & neceſſarium ſit, ideſt, quòd tribulatio ea eſt, quæ ad Dei, & ſui ipſius cognitionem oculos aperit, quæ in Dei amorem inflammat, & quæ tribulato gratiam, & gloriam impetrat: nihilominus quidquid ſequens inde ait, ideſt, quòd, cum homo, & mulier tribulati, & agitati ſunt (& præſertim loquens de ſancto Iobo) tales euaſuri ſint impatientes, quòd non modo à ſua manu beneficia non agnoſcant; ſed ad tale accedant ſcelus, quod execrentur, & Deum ipſum blaſphement. Et ideò, poſtquam dixit, *ſed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet*, ideſt, tolle ab eo

 ſani-

sanitatem, filios, facultatem: demum immitte super eum infortunia, & tribulationes; & videbis, quod *in faciem benedixerit tibi*: non modo patienter sufferet, sed blasphemabit, execrabitur tui ipsius sanctum nomen. Vbi à nobis notandum est, quòd quamuis iam hoc exposuimus verbum *benedixerit*: attamen nunc id exponimus, quod tunc à nobis dictum non fuit. Et primum Origenes, & Beda inquiunt, quòd dæmon hoc verbo *benedixerit* minimè vsus fuit; sed potius dixit, *maledixerit*: verum, quòd Moyses, vel alij, qui hanc descripserunt historiam ob diuinæ maiestatis reuerentiam verbo, *maledixerit* pro *benedixerit* vsi fuere. E contrario Didimus ait, quòd dæmon, quamuis quo ad intentionem volebat dicere *maledixerit*: verum tamen, nè irritaret (vt ita dicam) & offenderet magnum Deum, timore, non autem amore pro verbo *maledixerit*, verbo *benedixerit* vsus est. Et hæc magis consonat sacræ Scripturæ: quæ simpliciter quidquid transijt refert, absque textus, & Scripturæ augumento. Et propterea hunc locum optimè intelligere volentes, necesse est, vt enucleetur verbum *Benedixerit*, quo sensu capiatur. D. Thomas inquit, quòd *Benedixerit* hic propriè capitur pro benedicere, hoc tamen sensu, videlicet, si tu Deus molestijs, & tribulationibus Iobum agitabis, clarè, & manifestè reperies, (nam ita sonat verbum in faciem) quòd non pro bene, & proprio corde sit tibi benedicturus, laudaturus, & adoraturus; quæ quidem sententia satis acceptatur, & apprehenditur. Chaldæus textus inquit, hoc verbum *benedixerit* dicere velle (secundum vulgus) borbottare, vel subloqui, vel susurrare de sua diuina Maiestate: sicuti propheta Dauid in 34. psal. volens ostendere se à murmuratione abstinuisse aduersus eius inimicos, ait: *Oratio mea in sinu meo conuertetur. Oratio*, idest, murmuratio. Denique quo ad tertiam opinionem, Græcis, & Latinis communem verbum *Benedixerit* hoc in loco, præterquam *maledixerit*, aliud innuere non vult. Verum est, quòd D. Gregorius lib. 2. Moral. 6. aliquantulum variè trahit: & ait, quod ita intelligitur, scilicet, si Iob amittet quidquid in eum contulisti, in faciem, idest, te non colet, nec venerabitur sicuti debet; & si in futurum quod optat, non impetrabit, maledicens gratias tuas, tuaque beneficia spernet, tamquam diceret, Nihili faciet coniunctionem tuam, cum in seipso in negotijs, & rebus tota fundamentum teneat: quod, inquam,

Origenes. Beda.

Dæmon hoc verbo benedixerit secundũ aliquos vsus non fuit in hoc loco.

Didimus.

Sacra Scriptura quidquid transit refert.

D. Thomas.

Chaldæus.

Benedicere pro borbottare, & subloqui.

Psal. 34. 13.

Oratio, idest, murmuratio.

D. Gregor. lib. 2. Moralis. 6.

ſatis eſt à communi ſententia, & ipſiuſmet Scripturæ phraſi diuerſum: vbi ordinarie pro maledicere, benedicere capitur; & D. Augustinus (ſicut iam dixi) in huius confirmationem illum locum Reg. 3. cap. 21. ſcilicet, Benedixit Deum, & Regem, ideſt, maledixit: & annuere denique vult, verum eſt, quod Iob te adorat, & tibi inſeruit; ſed id agit propter bona à te accepta, & propter ea, quæ inſuper à tua manu accipere ſperat: ſed *tange cuncta, quæ poſsidet*, tolle ab eo quidquid es largitus, & videbis, quod *in faciem benedixerit*, ideſt, maledixerit tibi, tibi maledicet, te publicè, aperteq. blaſphemabit. Quod quidem, licet quo ad ſanctum Iobum falſum loquebatur dæmon; attamen, quo ad nonnullos, ſatis vera loquitur: nam multi, inquam, reperiuntur, qui dum res eis proſpere ſuccedunt, & currunt, omnes profectò deuotionem redolent, & contritionem: verum ſi res in oppoſitum cadunt, & voluuntur, ſtatim perturbantur, illico linguam ſoluunt non modo contra homines, ſed etiam contra ipſummet Deum; & ad id perueniunt, quòd ſerpentina lingua benedicunt, ideſt, maledicunt ei: Deum, & Sanctos blaſphemant; & quidem ſceleſtes recordari deberent, blaſphemiam peccatum eſſe mortale, & peccatum grauius alijs, & iniquius: peccatumq. demum eſt, aduerſus quod maximopere Deus iraſcitur. Et hæc tria erunt capita præſentis Lectionis. Primum, & ſecundum pro primæ partis: Tertium verò pro ſecundæ partis materia inſeruiet. Attendite.

D. Auguſt. *3. Reg. 21. 10*

Lectionis diuiſio in tria capita.

NIſi *in faciem benedixerit tibi, &c.* Et primo, quòd blaſphemia peccatum ſit, de hoc vereri nemo debet; quoniam omne id, quod eſt contra rectum rationis dictamen, peccatum eſt. Ratio nobis perſuadet, vt Deo gratias agamus, & benedicamus; quidquid enim poſſidemus, à ſua accepimus manu, & ſua bonitate: blaſphemia oppoſitum agit; igitur indubiè peccatum eſt, peccatum mortale, mortaliſsimum: quia in ſacra Scriptura Leuit cap. 24. pœna mortis imponitur blaſphemantibus; & hæc non datur, niſi propter mortale peccatum: ergò talis eſt blaſphemia. *Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur*: immò omnes illæ actiones, quæ præceptis opponuntur, lethales ſunt peccata. Et quidem, licet omnipotens, & immortalis Deus poterat facere, vt ab hominibus vi, & naturæ inſtinctu ſibi obſequium præſtaretur, & obedientia, quemadmodum alijs de

Blaſphemia peccatum eſt.

Peccatum eſt contra rectum rationis dictamen.

Leuit. 24. 16.

Operationes quæ præceptis opponuntur lethalia ſunt peccata.

Deus super omnia animantia decorauit hominem libero arbitrio.

2. Reg. 7. 18.

Beneficijs homines obligantur.

Beneficia, lex Adam nuncupatur.

Osææ 11. 3.

Adam funiculi sunt opera caritatis.

Rationale legalis Pontificis quid significabat.

Exod. 28. 4.

Apoc. 1. 13.

animantibus fecerat; tamen, vt super ceteras omnes creaturas illis faceret, liberis eosdem decorauit arbitrio, & voluntate, vt amore non vi ipsi inseruirent; &, vt facilius id efficerent à principio incœpit ad hoc eos adducere, & beneficijs, & gratijs. Hoc illud est, quod Rex Dauid in 2. Reg. cap. 7. exclamabat: *Quis ego sum Domine Deus? & quæ domus mea? Quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum. Ista enim est lex Adam Domine Deus.* Vbi per legem Adam beneficia intelliguntur: quam legem hominis appellauit, quoniam beneficio, tamquam potentissimo seueræ alicuius legis imperio homines fortiter, sed suauiter tamen obligantur: hæc altera huius loci expositio præter illam aliam communem de perpetuitate generis, posterorumque successione, quam homines maximè cupiunt; ijsque verbis Rex Dauid significauerit. Cum igitur beneficia, lex Adam, siue hominis appellentur, merito Dominus in hominem amore, beneficiorumq. magnitudine ad se pertrahere instrueret, dixit Osææ 11. *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quod curarem eos, in funiculis Adam: traham eos in vinculis caritatis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Quid enim sunt funiculi Adam, nisi vincula caritatis? Nec verò id tantum per Osæam prædictum fuit, sed etiam in legali Pontifice illustri, & minime obscuro typo figuratum. Etenim vnum in præcipuis legalis Pontificis ornamentis erat rationale iudicij, quod eleganti opere perfectum, & duodecim pretiosis lapidibus, in quibus nomina duodecim tribuum incisa erant, supra pectus Pontificis ponebatur zona quædam hyacinthica ad tunicam hyacinthinam, & superhumerale illigatam in Exod. 28. vt ita indutus, ornatusque Pontifex, Christum maximum Pontificem referret, qui erat, præ amore, fideles in pectore, atque in corde gestaturus; & Iona non hyacinthina, sed aurea, ardentissima, videlicet, aduersus homines caritate præcingendus. Ideò in Apoc. 1. Præcinctus ad mammillas zona aurea Ioanni apparuit.

Festiuitates Iudeorum quot, & quæ erant.

Num. 28. 3.

Quæ beneficia, si recensere velimus, figurata fuere in illis festiuitatibus, quas Iudæi consueuerunt celebrare; nam in veteri lege erant septem solemnitates temporales, vel speciales, & vna continua, vt potest colligi Num. 28. erat enim

quasi

quasi festum continuum; quod quotidiè mane, & vespere immolabatur agnus ad repræsentandum perpetuitatem diuinæ conseruationis. Vnde Psal. 36 *Iusti autem in æternum conseruabuntur*. Aliæ autem erant festiuitates speciales, inter quas prima erat Sabbatum in qualibet septimana in memoriam creationis vniuersalis. Secunda erat Neomenia in quolibet mense in nouatione Lunæ ad commemorandum opus diuinæ gubernationis, quia inferiora præcipuè variantur secundum motum Lunæ. Aliæ verò quinque fiebant tantum semel in anno, scilicet, Phase in primo mense ad commemorandum beneficium liberationis de Ægypto, & festum Pentecostes quinquaginta post dies, ad recolendum beneficium legis datæ. Alia tria celebrabantur mense septimo, qui quasi totus erat solemnis, sicut dies vnus; in prima enim die mensis septimi erat festum tubarum in memoriam liberationis Isaach, quando Abraham inuenit arietem hærentem cornibus, quem repræsentabant per cornua, quibus buccinabant; sed decima die celebrabant festum expiationis ad rememorandum beneficium propitiationis Deo super adoratione vituli ad preces Moysi. Post hæc autem celebrabant festum Scenophegiæ, idest, tabernaculorum septem diebus ad commemorandum beneficium protectionis, & deductionis per desertum: vbi in tabernaculis habitarunt. Vnde in hoc festo debebant habere ramos arboris pulcherrimæ, scilicet, buxum, & lignum densarum frondium, idest, mirtum, quæ sunt odorifera; & spatulas palmarum, & salices de torrente, qui diu retinent suum virorem: & hæc inueniuntur in terra promissionis, ad significandum, quòd per terram aridam deserti eos duxerat Deus ad terram delitiosam. Octaua autem die celebrabant festum cœtus, atque caleste, in quo colligebantur à populo ea, quæ necessaria erant ad expensas cultus Domini; & figurabatur adunatio populi, & pax præstita in terra promissionis: omnia hæc festa figurabant à Christo nobis beneficia collata; nam per iuge sacrificium, quod quotidie fiebat, figurabatur perpetuitas Christi, qui est agnus Dei, iuxta illud ad Hebr. vlt. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula*; per Sabbatum autem specialis requies nobis data per Christum Dominum nostrum. Per neomenia autem, quæ est incessio nouæ Lunæ, significabatur illuminatio primitiuæ Ecclesiæ per Christum eo prædicante, & miracula faciente, iuxta illud: *Multa quidem*,

Agnus legalis quotidie immolabatur.
Psal. 36.28.
Sabbatum quid significabat.
Neomenia quid significabat.
Phase quid significabat.
Pentecostes quid significabat.
Festum tabernaculorum quid significabat.
Festum expiationis quid significabat.
Festum scenophegiæ quid significabat.
Festum cœtus quid significabat.
Festa Iudæorum festa Christi significabant.
Heb. vlt. 8.
Sabbatum id est requies.
Ioan. 20. 30.

dem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum. Per festum autem Pentecostes descensus Spiritus sancti promissus à Christo in Apostolos, iuxta illud Actor. 11.
Actor. 11. 15. *Cecidit Spiritus sanctus tamquam ignis super eos.* Per festum expiationis, nostra emundatio per Christum à peccatis, iuxta
Apoc. 1. 5. illud Apocal. 1. *Lauit nos à peccatis nostris in saguine suo.* Per festum tabernaculorum, peregrinatio iustorum in hoc mundo, qui Christi gratia adiuti ambulabant in virtutibus
Psal. 83. 8. proficiendo, iuxta illud Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.* Per festum autem coetus, & collectæ, congregatio fidelium per Christi merita in
Matt. 25. 34. regno cælorum facienda, iuxta illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum.*

Apoc. 4. 5. Hinc est, quòd Ioannes Apoc. 4. vidit lampades septem continuo stantes ante thronum. *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Quid propter lampades, quæ ante thronum Dei credebant, intelligendum sit, Ioannes ipse declarauit, cum dicit: *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei*; per hos autem septem spiritus quidam vniuersitatem Angelorum: alij septem illos Angelos tantummodo intelligendos esse, qui rebus humanis præsidentes, sicuti intellexerunt Irenæus, & Clemens Alexandrinus, quos in hoc loco Apocal. citat Aretha, illud dumtaxat explicandum superest, cur lampadibus ante thronum Dei ardentibus comparentur. Illa igitur est ratio potissima; quia nimirum septem isti Angeli fideles in fidei caligine, vitæque huius tenebris versantes per inferiores Angelos, & interdum etiam per seipsos, tamquam splendidissimas lampades illuminant. Quam tamdem ob causam astra matutina appellantur Iob 38. *Vbi eras cum*
Iob 38. 7. *me laudarent simul astra matutina?* Quo loco Patres per astra matutina Angelos accipiunt, veluti D. Gregorius, & D. Hieronymus in commentarijs eius loci. Sunt autem continuo hæ lampades ante thronum Dei, idest, omnibus expositæ, vt ex illis quicumque voluerit, lumen sibi mutuari possit. Vnde ad idem significandum, diuersa tamen simili-
Zach. 4. 2. tudine ex candelabro illo aureo apud Zachariam cap. 4. Septem lucernis constante, quòd Ecclesiam repræsentabat, septem Spiritus sancti donis illustrata ex duobus rostris aureis, idest, quibusdam veluti clauis dependebant septem infusoria, idest, septem vasa, in quibus seruabatur oleum, quod in lu-

Lampades Apocal. quid significabant.

Septem spiritus vniuersitatē Angelorum significat.

Ireneus.
Clemens Alexandr.
Aretha.

Angeli superiores per inferiores, & interdum per seipsos homines illuminant.

D. Gregor.
D. Hieron.

in lucernas mitteretur, quemadmodum plerique interpretantur. Quæ infusoria Arias Montanus in Commentarijs super Zachariam interpretatur cælestes spiritus ad diuina beneficia Ecclesiæ ministranda deputatos, iuxta illud ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Cernis igitur Angelos non solum lampades esse, quæ luceant, sed etiam vasa aurea dicuntur beneficiorum, & gratiarum plenissima; quas cupiunt fidelium mentibus, tamquam lucernis infundere. Rectè enim diuina beneficia olei nomine intelliguntur, cum ex Dei misericordia proficiscantur. Merito etiam hæ lampades ardere visæ sunt, quia Angeli, quantum est ex se, quos illuminant, accendunt, & Dei amore inflammant. Vnde & in sacris Litteris sub ignea potissimum specie describuntur, quemadmodum tradit Dionysius Areopagita in sua cælesti hierarchia cap. 15. Tandem alij has septem lampades septem dona Spiritus sancti intelligunt; & rectè lampadibus comparantur, cum ijs iustorum mentes illustrentur, beneficio Christi Domini, ex quo veluti flore hi pulcherrimi donorum fructus pullularunt: iccircò enim Isaias cũ de donorum Spiritus sancti germinatione ex Christo loquutus est, florem Christum appellauit: sic enim ait cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse; & flos de radice eius ascendet, & requiscet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini*, quia nimirum ex Christo, tamquam ex flore, septem hæc dona non solum veluti odores suauissimi; sed etiam vt fructus pulcherrimi orta sunt, & vniuersam Ecclesiam impleuerunt. Ardentes autem hæ lampades visę sunt, quia Spiritus sancti dona semper caritatem comitantur, atque adeò continuo ardent: sunt enim hæc dona quemadmodum & virtutes morales infusæ, veluti pedissæq. caritatis, quæ eam quasi reginam semper prosequuntur.

Arias Montanus in Commentarijs super Zachariam.

Heb. 1.14.

Angeli per lampadès nõ solum, sed vasa aurea dicuntur.

Dionys. Areopagita in cælesti hierarch. 15.

Isa. 11. 1.

Dona Spiritus sancti ex Christo tamquam ex flore prodeunt.

Dona Spiritus sancti, & virtutes morales infusa sũt tanquã pedissequæ caritatis.

Sed cur ante thronum, inquies, ardent? quia, vt ait Glossa, dona Spiritus sancti semper parata sunt dare se disponentibus: qua re hæ septem lampades semper ante Dei thronum ardentes, significant Deum promptissimum esse, & paratissimum ad conferendum omnibus gratiam; quam etiam ob causam eadem Spiritus sancti dona brachia appellantur, quia Deus vniuersos cupit amplecti: & quæ propterea

Glossa.

Dona Spiritus sancti semper parata sunt se dare disponentibus.

Spiritus sancti dona brachia appellantur.

ptereà è cælo in terram porrigit ad complectendos vniuersos. Sic enim Rupertus lib. 2. in Deuter. cap. 20. exponit illud Deuteronomij cap. 33. *Non est Deus alius, vt Deus rectissimi, ascensor cæli, auxiliator tuus, magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna*. Quid est, inquit Rupertus, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna? Nisi, quod Christus ascendit in cælum, sedensque ad dexteram patris habitat sursum, & exinde porrexit huc brachia sua sempiterna, idest, sancti Spiritus sui dona fortissima. Atque hæc Dei promptitudo significatur Isa. 65. vbi Deus ipse ita loquitur. *Inuenerunt qui non quærebant me, dixi, ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum*. Hanc non aliam ob causam Deus inuenitur à non quærentibus, nisi quia ipse omnibus se offert, & omnes vias interrupit; ita, vt in Deum omnes, vel inscij, & imprudentes incurrant; nec eo contentus, præterea clamat, ecce ego, ecce ego. Id, quod etiam Christus de seipso significauit, cum dixit Cantic. 2. *Ego flos campi*. Vbi (vt alias diximus) obseruandum est cum Beda in Commentarijs eius loci non se appellasse florem horti, quia non omnibus patet; sed campi, qui est omnibus expositus: ita, vt, cum omnes liberè possint decerpere, quasi diceret, inquit Beda, *flos sum campi*, quia per totius orbis latitudinem odoris mei gratiam innotescere cupio. Quo videtur allusisse Simeon in Luc. 2. cum ita cecinit. *Viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum*.

Rupert. in Deuter. c. 20. — Deut. 33. 26. — Isai. 65. 1. — *Deus quare inuenitur à non quærentibus se.* — Cant. 2. 1. — *Beda in Commentarijs.* — *Christus quare flos campi.* — Luc. 2. 30.

Quoniam beneficiorum memoria tantæ efficaciæ, & virtutis esse in nobis deberet, vt omnem mentis duritiem expellere posset; nam beneficijs delinitur feritas mentis, vt patet in elephantibus, qui hoc modo capiuntur (auctore Solino) fit quædam fouea subterranea in via, per quam assueuerunt ire, in quam elephans ignoranter incidit, ad quem pergens vnus venatorum percutiens pungit ipsum: alter verò venator dum venit, percutientem ipsum percutit, & eum expellit, & elephanti dat ordeum ad comedendum: cumq. ter, vel quater hoc fecerit, bestia liberantem se diligit, & ei obediens mansuescit: vnde optimo iure dixit quidam Poeta:

Beneficijs delinitur feritas. — *Solinus.* — *Exemplum.* — *Elephantis historia.*

Ferox animal placat amica manus.

Sed si brutum animal sic diligit se deceptoriè defendentem, vel

vel demulcentem, seu de fouea extrahentem: quanto magis anima Christiana debet Christum diligere, qui eam veraciter à diabolo defendit, cælesti pabulo reficit, de baratro peccati educit, & tot beneficijs commemoratis eam decorauit? Vnde quilibet Christianus debet cum Psalmista psalm. 15. dicere: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Vnde Diuus Chrysostomus homil. 28. in Matth. ait: *Et nos tum de magnis, tum de paruis beneficijs memoriam habemus: & si enim paruum aliquid fuerit: fit magnum tamen de honore donantis: & nihil exiguum est, quod illo largiente confertur, non solum etiam, quia datur à Deo. Sed quia tale est, quidquid ille confert, vt dici non mereatur exiguum, vt, si alia, præter ea, quæ multitudine sua numerum exuperant arenarum, quid nam poteris ei, quæ propter nos facta est, dispensationi præferri? Quod enim erat apud Deum, omnibus pretiosius, vnigenitum pro nobis filium dedit; & quidem cum adhuc essemus inimici.* Hæc ille. Nunc ad primam rediens meam rem, quamuis videatur me transgressum esse eam: tamen ad rem fuit quidquid dixi, vt blasphemiæ peccatum demonstrarem: nam, cum (vt ita inquam) vti intellexistis, ferè infinita erga nos Dei beneficia existant: ea etiam onera debent esse nostra erga ipsum, & consequenter deuincti ad eum die, noctuque exaltandum esse debemus; attamen, si tu inique, & virose blaspheme blasphemas eum, en oppositum peragis, & non modo te ingratum ipsi reddis, sed capitalissimus sui inimicum te largiris. Et ideò quid mirum, si tua blasphemia sit mortale peccatum? Immò grauius est, quo tu peccare potes. Sed de hoc in secundam partem. Interim quiescite.

Christus animã fidelem ab infestatione dæmonij defendit.

Psal. 115. 3.

D. Chrys. hom. 26. in Matth.

Blasphemus inimicus Dei capitalissimus.

SECVNDA PARS.

NIsi in faciem benedixerit tibi, &c. Mortale profectò peccatum est blasphemia, non modo, quia in Leuitico per eam in pœnam mortis incurritur: non modo, quia secundo opponitur præcepto decalogi: sed etiam, quia cum homo, & mulier plurimum teneantur Deo ob beneficia ab eo accepta, & ob ea, quæ quotidie accipit à sua diuina manu; & gratiarum agendarum vice, ipsum blasphemant. Et ideo peius est, quòd blasphemia non tantum mortale est peccatum, sed ceteris omnibus grauius existit. Audi, audi blaspheme, ò te infelicem, si audis, infelicissimum si non audis: Blasphemia, inquam, omnibus peccatis committendis maius est peccatum, adulterio maius, omni carnali vitio, iuramento falso, homicidio ipso: vnde iure dictum est. Omne peccatum blasphemiæ comparatum, leuius est, & Heli 1. Reg. 2. aiebat. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest dominus: si autem in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Magnum quippe dicit Glossa quædam super psalm. 68. Maius illi peccant, qui Christum blasphemant, quàm illi, qui eum crucifixerunt, *Grauius peccant qui blasphemant sedentem in cælo, quam qui crucifixerunt ambulantem in terra.* Et primùm: vultis videre, quòd blasphemia, carnis est vitio grauior? Audite sancti Augustini argumentum. Blasphemia falso iuramento, peior est: hoc omnibus carnalibus vitijs peius est, ergo, concludite vos, blasphemia carnalibus vitijs peior est. quòd periurium adulterio grauius existat, & ceteris carnalitatibus, clarè patet; nam adulteris iuramentum dabatur, spe, quòd qui adulterare non timuerat, saltem periurare formidaret. Quòd inde blasphemia falso sit iuramento magis infanda, magisque obscœna, ratio ostendit; quoniam qui periurat Deum vocat in falsi testem; sed blasphemans de Deo falsum loquitur. Itaque peior est blasphemia, quam periurium. Vlterius, blasphemia est homicidio peior. Verum est, homicidam magis nocere, quam blasphemum; sed in peccatis affectus attenditur; & quoniam blasphemus cõtra Deum immediatè peccat, homicida in homines: ideò bla-

Blasphemia peccatum grauius omnibus peccatis est.

1. Reg. 2. 25.

Glossa sup. ps. 68

August.

Periurium grauius adulterio est.

Blasphemia grauior est iuramento falso.

Blasphem. est peior homicidio.

blaſphemia grauius eſt peccatum, quam homicidium. O infanda, ò turpis blaſphemia, quæ ſcelere adulterium antecellis, periurium ſuperas, vincis homicidium.

Quid plura? tam graue eſt blaſphemiæ peccatum, quòd ipſimet fidei opponitur. Vitium aliquod eo damnabilius eſt, quo magis laudabiliori virtuti opponitur: in chriſtiana vita quæ nam magis ſaluti congrua virtus, & neceſſaria, quam fidei confeſſio? Huic attamen blaſphemia opponitur. ergo vitium non eſt, vitium non reperitur, quòd magis nobis exitium afferat, & paret, quam blaſphemia. Cui non patet, quòd ore confiteri, vel corde, quæ credenda, neceſſe eſt noſtræ ſaluti? Impoſſibile eſt, vt aliquis (quicunque ſit ipſe) ſaluetur, ſi non confitetur, ſaltem mente, quidquid ſancta Chriſti fides continet: ſed qui non ſcit etiam, quòd Deum blaſphemare aliud non eſt, quàm in ipſo negare aliquam illarum mirabilium excellentiarum credendarum? Et ideo blaſphemia confeſſioni opponitur fidei. Et licèt in Deum iniuriam inferre magis ad odium ſpectat, quam ad infidelitatem, & conſequenter magis opponi caritati, quam fidei videtur: tamen animaduertendum eſt, quòd viua fides caritate formata eſt; & ideò mirum non eſt, ſi vitium aliquod caritati oppoſitum, eodem tempore etiam fidei opponitur. Sed clarius loquamur. quicumque blaſphemus blaſphemans, diuinæ bonitati detrahit, nulli quidem dubiū; ſed hoc dupliciter fieri poteſt, vel ſola intellectus opinione, vel adiuncta affectus deteſtatione: ſic D. Thomas ait. Aliquis negat in Deo ſummam potentiam; hic, vel ſic inquit, quia ſimpliciter ita credit: vel deſiderio etiam detrahendi odio Deum. ſi primo modo tantum intellectu peccat. ſi ſecundo modo etiam affectu peccat. Harum duarum blaſphemiarum vna fidei mortuæ opponitur, fidei viuæ altera: vna informi fidei, formatæ fidei altera; hoc vnum eſt demum, quòd ambæ fidei confeſſioni opponuntur. Quotieſcumque igitur, quòd tu Chriſtiane Dei nomen blaſphemas, tibi perſuade, te fidem negare; negare ea, inquam, quæ credenda ſunt: te chriſtianæ veritati opponere. O quod horrendum, quod infandum vitium.

Blaſph. opponitur fidei confeſſioni.

Deo iniuriam inferre magis ad odium, quam ad infidelitatē pertinet.

Fides viua caritate formata eſt

Blaſphemus diuinæ bonitati detrahit.

D. Thomas

Blaſphemia interdū fidei mortuæ, interdū viuæ opponitur.

Quid, inquam, quid plura? Sic graue eſt blaſphemiæ crimen, quòd, ſicuti omnes Dei miſericordiæ limites tranſiuit, & omnia argumenta, interdum irremiſſibile vocatur: *Qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei.*

Blaſphemia peccatū interdū Spiritus S. dicitur

Vbi

Vbi animaduertite, quòd nullum peccatum tale est, quòd Deus remittere non valeat: sed aliquod quidem sic inuenitur, quòd remitti difficile accidat, & ita blasphemia dicitur irremissibilis, idest, difficile remissibilis; non ideo omnis, vel qualibet blasphemia, sed tantum quæ est in Spiritum sanctum. Tripliciter aliquis (Auditores) potest blasphemare, videlicet, in Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum: non dico modo, quòd aliquis possit Patrem, Filium, & Spiritum sanctum blasphemare, non, minimè quidem in Patrem, inquam, in Filium, & in Spiritum sanctum. Scitis nè quid sit in Patrem peccare? Est peccare in eius attributum, quod est potentia, peccare fragilitate; scitis etiam quid est peccare in filium? est contra eius attributum peccare, quod est sapientia, peccare ignorantia: scitis insuper quid est peccare in Spiritum sanctum? est peccare contra eiusdem attributum, quod est bonitas, malitia peccare. Attendite quæso. Cum aliquis fragilitate aliqua coactus à passione inconsideratè ad Deum blasphemandum prorumpit: hoc profectò mortale est peccatum, sed blasphemia est in Patrem, & ideo remissibile est. Cum aliquis ignorantia quiddam falsum loquitur, vel Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti; hic in Filium blasphemat, & mortaliter peccat, non autem irremissibiliter: sed, quādo aliquis non nisi odio, quòd in Dei bonitatem habet, vt eius diuinitati detrahat, & vt alios ad malefaciendum excitet, vel incitet, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum blasphemat; hic semper in Spiritum sanctum blasphemat, & de ipso dicitur: *qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei.* Nunc (ò blasphemi) attendite vosmetipsos, vosmetipsos, inquam, qui nuda delectatione nomen Dei blasphematis; vos iterum inquam, qui insipienter, absque aliquo affectu, & ideo non fragilitate: vos, qui scientes insanias vestras tendere in Dei verecundiam, & ideo non ignorantia: vos, qui mera malitia inueterati habitus impatientiæ, Dei nomen blasphematis. Vos, vos blasphemi scælestes in Spiritum sanctum; vobis numquam remittetur, vel difficile remittetur vestrum peccatum. Et quod flamma è cælo cadat de iure est, & vt vos consumet: de iure est, quòd terra aperiatur, & vos absorbeat; de iure est, quòd è mare venti surgant, & vos submergant, quoniam mundi pestis, & lues estis, & scælestiores orbis homines, immo omnium creaturarum.

Peccatum omne est remissibile.

Peccare in Patrem est peccare in eius attributum.

peccare in Filiū est peccare in eius attributum.

Peccare in Spiritū sanctum est peccare in eius attributum.

Blasphemi scelestiores omnium peccatorum.

Nec

Nec tibi (ò Sanctorum blaſpheme) perſuadeas, quòd Deum non blaſphemando, idemmet peccatum non perpetres, non, minimè quippe; nam, ſicut Deus in ſuis Sanctis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis ſuis effecit: ita & blaſphemia in Sanctos conſequenter redundat in Deum; ſicuti laudando Sanctos, tú in Sanctis Deum laudas, ſic in Sanctos blaſphemando, in Sanctis Deum blaſphemas, quia mortaliter Fidei confeſſioni teipſum opponis, & ſæpius Spiritus ſancti peccatum incurris; & quòd hoc verum ſit, D. Paulum audite: *Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus*: Chriſtus in Paulo viuit; ergò blaſphemans D. Paulum, Chriſtum blaſphemat. Nec ideò te excuſabit dicere, quòd ſi tu aliquando blaſphemas, impatientia blaſphemas, in primis motibus, non quidem: nam vel tu blaſphemiæ verba loqueris, vel profers ignorans eorum ſignificationem: & hoc in ſenſu verum eſt, quòd lethaliter non peccas; ſed tu hoc modo non blaſphemas, ait D. Thomas; quia non habet propriè rationem blaſphemiæ. Vel tu ſcis, quòd in Dei dedecus ſunt: & tunc in quocumque modo ea proferas, ſemper mortaliter peccas. Et quòd verum ſit, qui ſubitanea indignatione, vel ira hominem interficit, ſciens homicidium, non nè iſte peccat? Equidem. Qua re igitur qui verba capiens, attamen in Dei opprobrium verba profert, dici non debet, quòd mortaliter peccat? Sed ad quid ratio indiget, vbi ipſiuſmet Dei ſententia patet? In Leuitico, ille Iſraelitæ filius: Iurgio (ait textus) Dei nomen blaſphemauit, cum ſubitaneo motu, & ira contenderet: nihilominus inquit Deus, *morte moriatur*. En (auditores) quam verum eſt, quòd ira, contentio, primi motus non ſemper excuſant; ſed ſemper blaſphemia peccatum eſt. Quod perpendentes, poſſibile num eſt, quòd (ò blaſphemi) veſtra inſana audacia vigeat, & limites tranſgrediatur? Et quòd propter hoc tantum, quòd locuti vſque adhuc ſumus, veſtræ effrænatæ linguæ in ipſummet Deum inueheri non deſinant? Vltra quod memoria, qua cognoſcitis vos homines eſſe, à tam ſceleſti vitio abſtinere debebat.

Sanctorum blaſphemi mortaliter peccant.

Sanctorum blaſphemia, in Deũ redundat.

D. Thomas.

Blaſphemans ſciens ſe blaſphemare, ſi per mortaliter peccat.

Et (vt tandem faciam de his hactenus) tam graue, & horrendum eſt blaſphemiæ vitium, quòd Angelus Michael cum dæmone prælians, eum blaſphemare non eſt auſus. Audite Iudam Apoſtolum in ſua epiſtola cap. 9. *Cum Michael Arcangelus*

Angelus Michael non eſt auſus blaſphemare diabolum.

Iudas Apost. in sua Can. c.9. *cangelus cum diabolo disputās altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit; Imperet tibi Deus*. Est autem horum verborum sensus, diabolum voluisse Moysi corpus reuelari, vt hebræos ad illud adorandum, atque adeò ad idololatriam incitaret, quod tamen Michael passus non est. Replicandum est autem illud, quod

Deut.34.1. scribitur Deuteron. 34. ascendisse Moysen de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Plasga contra Hierico. Ibique mortuum iubente Domino in terra Moab, sepultumque in valle terræ Moab contra Phogor; sepultumq. fuisse in valle, sepulcrumque eius vsque in præsentem diem ignorari. Quo loco aduertendum est, cum dicitur Moyses non in monte, quo obijt, sed in valle terræ Moab sepultus, innui, vt vult Caietanus, corpus eius visibiliter translatum fuisse à loco, in quo obijt, ad vallem, in qua sepultus est: alias enim nesciretur, vtrum in monte, an in valle sepultus fuisset. Qua re proculdubio viderunt multi corpus ad vallem efferri: sed incognitus tamen mansit locus, in quo Angelorum ministerio fuit repositum. Ex hoc Iudæ testimonio duo habemus Michaelis encomia clarissima. Vnum est, Michaelem pro nominis sui officij ratione omnem idololatriæ occasionem amputare voluisse, atque noluisse sepulcrum Moysi reuelari: est enim eius proprium munus pro Dei honore in campum descendere. Vnde in suis vexillis militaribus illud scriptum gerit: Quis sicut Deus? Alterum est exemplo suo docuisse quam fugiendum esset, non inquam, blasphemia, sed ipsum etiam maledicentiæ crimen: huius enim rei gratia Iudas factum præcellens de Michaele commemorauit: quod ne ipsi quidem dæmoni ausus fuerit maledicere. Obseruandum est autem verbum illud, non est ausus, quod significat Michaelem tamquam rem execrandam maledicentiam, & imprecationem refugisse: vnde huius peccati grauitas apparet.

Moyses vbi est sepultus.

Caietanus.

Michael pro sui officij rationem omnem querit idololatriæ occasionem vitare.

Michael, idest, Quis sicut Deus.

Blasphemia non solum sed omnis maledicētia euitanda est.

Nisi in faciem benedixerit tibi, &c. Et ideò mirum non accidit, si Deus magis in blasphemos peccatores, quàm in quoscumque alios peccatores irascitur indignatione. Et quod verum sit, attendite, non tam citius Sennacherib serui blasphemarunt Dei nomen, quòd centum octoginta millia

Deus magis irascitur cōtra blasphemantes, quā in alios.

Isai. 37. 36. interfecti sunt, sicuti narrat Isaias cap. 36. & Iudith cap. 7.

Iudith 13.10 Holofernes blasphemauit, & à muliere caput ei recisum

fuit

fuit sub eodem tentorio, à toto sui exercitu circumdato. 2. Machab. cap. 5. Anthiocus blasphemauit, & illa tam notabili plaga est affectus. Quid plura? Nicanorus blasphemauit, & Deus imperauit, quod minutim illa impia lingua diuideretur, & à varij auibus diuersas in partes portaretur, solum, vt in nefandum hoc vitium, magnam, quam retinebat, indignationem ostenderet. Dicite vos, quod adsit aliquis scelestis, & ferus exulum dux, qui nihil mali, aut erroris facere omittat: & quod alia ex parte in eum Princeps sic indignatus inueniatur, quòd, post omnem conatum adimpletum, vt fræna ei imponeret, tandem capiat sub potestate sua; & sic eum tenendo imperet intersecari, & ad aliorum exemplum diuersas in partes aptetur, & diuersos in sui status locos ponatur. Sic Deus in blasphemos agit: Nicanorus, inquam, scelestis blasphemauit; & Deus iussit linguam eius transportari auibus. O vindictam, vindictam atrocem, non ob aliud, inquam, quam, vt magnam demonstret, quam in blasphemantes cum concipit Deus, indignationem. Verum est, quòd his calamitosis, infortunatisque temporibus huius vitij magnitudo, & punitio in contemptum prodiere; & omnino parui æstimantur pœnæ, floccifiunt leges, & natura ferè deficit, posteaquam ab omnibus vbique locorum, vbique temporum, vbique modorum Dei nomen blasphematur, eique improperatur: per vias ambulari non potest, quin pluribus in locis blasphemare non audiatur: & miseri quidem hoc inde delubrum ingredi audent, domum, inquam, illius, quem sic dirè offenderunt: audent illo scelestissimo ore loqui ante Sanctorum imagines, quo tam eos offendunt. Et hoc accidit, quia nimium sufferuntur, & tolerantur: nam illico, cum primum blasphemare audiuntur, morte ipsa mulctari deberent. Moriantur, interficiantur blasphemi, morte profectò condemnentur. Et quamquam ista verba dira videantur; attamen diria essent illa, scilicet; Relinquite viuos blasphemantes, ciuitatis pestem: qui filios inficiunt, qui eos tot docent scelera, qui vitæ sanctitatem destruunt. Pietas, pietas est esse sæuus: & sæuitia est erga istos esse pius. Nimium, nimiumque, hæc inter Christianos lues creuit; & ideò eam amouere, auferre oportet. Et ego à tam iusta concepta in tam scelesto vitium indigna-

2. Mach. 5. 10

2. Mach. 15. 33.

Nicanoris lingua quare data est auibus.

Exemplum.

Blasphemantes illico occidendi sunt.

tione raptus,vno verbo verba finiam, dicens, quòd blaſphemiæ effectus temporalis mors eſt, & mors æterna. Et, ſi multi temporalem fugiunt, non ideò æternam fugient: vltra quòd, ſi Deus pijſſimus mortem in ipſis hic ſuper terram non permittit ſubitaneam, perſæpe in filios inde permittit, præter alia exitia, in quæ tota ipſamet eorum ſceleſtium blaſphemantium familia incidere ſolet.

Ite in pace.

Amen.

VIGESIMA PRIMA LECTIO.

De Oratione.

IN QVA DVO EXPLANANTVR.
Primum, quid oratio, & eius vis, & potentia sit. Secundum, quas condiciones habere debet.

Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Iob 1. 12.

PRIMA PARS.

ITA importunus, sicque temerarius est infernalis satan in procurando nostrum malum, & in quærendo nostrum exitium: quòd non modo in hoc omnem expendit, & adhibet laborem, & diligentiam: sed tam promptus, & velox est in exequendo: vt vix suis furoribus, & fraudibus prospiciendi, & consulendi tempus concedat. Et ecce à Deo petit, quòd Iob tentetur, & molestia afficiatur. Et vix Deus ei dicit: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt*, quòd statim, vt iniquum animum suum exequatur: *Egressus est a facie Domini*. Hinc duo extrahuntur. Primum quid peculiare sit illud, quod à Deo impetrat. Secundum, quo modo dæmon potest orando obtinere, si ipse semper demeretur, in malo stabilis, & confirmatus: nam in D. Ioanne dicitur, quod *Deus non audit peccatores*. Quo ad primum, certum est, quòd nihil positiui, vel peculiaris obtinet; sed tantum, vt suam exerceat vim, & calliditatem

Dæmon importune nostrum procurat exitium.

Iob 1.12.

Dæmon quid peculiare petit à Deo contra Iob.

Ioan. 9.31.

ei facultas datur. Hoc autem aduenit, quia Deus non cogit, nec vim facit suis creaturis. Vnde D. Augustinus aiebat: *Deus sic res administrat, vt proprios motus agere sinat*. Quo ad secundum, quare quidquid petit accipit, si Deus non exaudit peccatores? D. Augustinus hunc locum exponens D. Ioannis, ait: quòd hæc cœci nati verba fuerunt non adhuc bene illuminati, & in Fide instructi. Diuus Chrysostomus inquit, quòd cum peccator petit à Deo, vt portenta faciat, vt habeatur bonus, & sanctus, Deus sibi gratias non concedit. Cyrillus dicit super D. Ioan. cap. 9. quòd Deus peccatoribus non fauet, vt peccatoribus, idest, peccata sua non sustentat, nec defendit. Alij inquiunt, quòd pertinacibus, vel obfirmatis peccatoribus Deus aures non præstat, nec preces eorum exaudit. Alij aiunt, quòd intelligitur de merito gloriæ, non autem de corporalibus gratijs; deficiunt forsan opiniones? Et ideò nos has excludendo res, etiam peccatores (dicamus) interdum exaudiri possunt. Vel dicamus, sicut D. Augustinus ait, scilicet, quòd dæmon hoc in loco pro se exauditus non fuit, sed pro alijs; ideò enim concesſit, hoc est, iste tentandus, vt esset ille cruciandus: attamen hinc orationis vim haurio; nam licet à dæmone factam, nihilominus impetrat, & assequitur. Et ideò hac in materia duo dicamus, scilicet, quid sit oratio, & quæ eius vis, & potentia, quòd primum erit: & secundum, quas debet condiciones habere. Attendite.

D. August. — *Deum peccatorem non exaudire, quomodo intelligitur.* — *D. August.* — *D. Chrysost.* — *Cyrillus super 9. Ioan.* — *Orationis vis ex hoc loco hauritur.* — *Lectionis diuisio in duo capita.*

E*Cce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, &c.* Et primo, oratio, ait D. Thomas, est actus rationis, quo aliquis superiorem deprecetur, idest, oratio nil aliud est, quam alicuius personæ actio, qui rationem habeat, qua inferior oret, & supplicet suum superiorem, vt ei illas concedat gratias, quas ab eo postulat; & tantæ efficacitatis, tantæq. est potentiæ, quòd licet tacitè, mutuoque fiat: attamen tantam habet virtutem, quòd in sacra Scriptura vocatur clamor, ac vociferatio. Et quod verum sit, audite quidquid ait Deus Moysi in Exodo cap. 14. *Quid clamas ad me?*

D. Thom. — *Oratio quid est.* — *Oratio in Scripturæ sacra vocatur vociferatio.* — Exod. 14. 15.

Certum est enim, quod Moyses in hoc loco non loquebatur, & tamen dicitur, quod clamabat, quia, videlicet, magno ardebat liberandi populum desiderio. Igitur maximo orabat affectu. Vnde Greg. Nisſ. in lib. de vita Moysis eumdem locum expendens: *Monemur*, inquit, *sonoram esse illam vocem, &*

Moyses non loquebatur, & tamē dicitur quod clamabat. — *Gregor Nissan. in lib. de vita Moysis.*

vsque

vsque ad diuinas aures magnitudine sua peruenire, quæ non contentione clamoris, sed puritate cordis sua meditatione concipitur. Hæc ille. Et Gregorius Magnus in Comment. super 1. lib. Reg. 6. *Quid est*, inquit, *clamor orantis, nisi in supplicatione petentis magna virtus desiderij? Vnde ad tacentem labijs Moysen, sed populi salutem feruenti deuotione cupientem à* Domino *dicitur. Quis clamas ad me?* Hæc ille. D. Ambr. serm. 19. in Psal. 118. super illa verba: *Clamaui in toto corde meo, exaudi me* Domine. *Clamat*, inquit, *cor nostrum non sono corporis, sed cogitationum sublimitate, conceptuque virtutum, magna vox iustitiæ, magna est castitatis, per quam, & mortui loquuntur. Gracili voce erat* Moyses, *nec loquebatur: plus tamen omnibus exaudiebatur. Vnde dictum est ei, quid clamas ad me? Clamabat affectu pio, & personabat in cælo: clamabat populus, & non audiebatur: audiebatur tamen* Moyses, *qui tacebat. Tu solus, inquit, ad me clamas? quid de me speras, qui virtutem meam excitas? Tu populus ad me clamas, qui per vniuersam terram annunciaui, meum nomen expectas?* Hæc ille.

Gregor. Magnus in comment. super 1. lib. Reg. 6.

D. Amb. ser 19. in Psal. 118.

Hinc fit, quòd nonnulli assimilant affectuosam orationem, & contemplationem nuci muscatæ. Primo, quia nux muscata est quadam pellicula circumdata tenuissima: infra quam eius continetur substantia; sic oratio affectuosa oportet, vt captiuetur, & includatur in Fide, & notitia, quæ tamen tenuissimè attingit ad diuina, & suprema; & ideò est tenuissima pellicula; idest, tenuissima notitia diuinorum, videlicet; nihilominus est sufficiens ad saluandam animam. Secundo, propter excellentiã, quia nux muscata tanto est melior, quanto est ponderosior, & in odore suauior, & sapore acutior; sic contemplatiuus homo tanto est melior, quanto est ponderosior per mentis stabilitatẽ, quia grauia, & ponderosa difficulter mouentur, & firmius stabiliuntur; & quanto odor suauior per conuersationis sanctitatem; & quanto sapore acutior per sapientiæ sublimitatem. Tertio, & postremo, propter efficaciam, quia nux muscata habet virtutẽ calefaciendi, & stomacum confortandi, ventositatẽ extenuandi, & dolorem capitis auferendi. Similiter oratio feruens inflammat amantẽ, confortat operantem, expellit ventum, idest vanitatem, & aufert dolorem exteriorem, quia sine voce, & clamore, sua virtute quidquid petit, accipit; & interiorem consolationẽ infundit, iuxta illud Ps. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorũ in*

Oratio assimilatur nuci muscatæ.

Oratio affectuosa includitur in Fide, & notitia.

Cõtemplatiuus tanto est melior, quanto est ponderosior per mentis stabilitatem.

Oratio feruens inflãmat amantem.

Psal. 93. 19.

corde meo, consolationes tuæ lætificauerũt animam meam. Ionas, qui in profundo maris in ventre cœti verba proferre non poterat, dicit: *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum*, vt
Ionæ 2. 2. habetur cap. 2. eiusdem: *Et exaudiuit me*. Clamor prophetæ magis fuit ingens desiderium cordis, quàm vocis. Susanna sancta femina neque clamorem, neque verba faciebat in
Dan. 13. 35. sua tribulatione: *Clamor autem eius* (inquit Daniel 13.) *erat fiduciam habens in Domino*. De tali etiam clamore loqui-
Psal. 9. 39. tur Dauid Psal. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Deus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua*. Et D. Paulus
Rom. 8. 15. Roman. 8. scribens credentibus, ait, quod *spiritum adoptionis filiorum Dei acceperint, in quo clamamus*.

Oratio gladius nuncupatur. Hinc est, quòd oratio, gladius, quo inimicus superatur, & vincitur, vocatur, Genes. 48. illis verbis, quæ dixit Iacob
Gen. 48. 22. Patriarca filio suo Ioseph: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*.
Paraphrastes Caldaic. Vbi per *gladium*, & *arcum* Paraphrastes Caldaicus eum locum ita transtulit: *Quem tuli de manu Amorrhæi oratione mea, & deprecatione mea*. Vbi intelligis, oratio, gladius nuncupari, quia hostem superat, & vincit. Vnde Chrysosto-
Chrysost. mus ait: *Sed quemadmodum ciuitas non munita facile venit in potestatem hostium; propterea quod prorsus absit id, quod*
Anima non munita precibus, diabolus facile in suam redigit potestatem. *fuerat hostium incursus arcendus; sic & animam non munitam precibus diabolus facilè in suam redigit ditionem: nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum quidem ad animam precibus communitam non audet propius accedere, metuens robur, ac fortitudinem, qui precantur serio, non sustinent quidquam admittere indignum precatione; sed reuertentes, Deum cum quo modo locuti fuerant, cito repellunt omnem maligni spiritus molitionem, apud se reputantes. Quantum scelus sit, cum, qui paulo ante sermone cum* Deo *miscuerit: quique ab eo pudicitiam, & sanctimoniam petierit, extemplo ad diabolum ædificare, fœdasque voluptates in animum admittere, ac diabolo præbere auditum, in illud pectus, quod paulo ante* Deus *immiserit; ac dæmonijs concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus sancti gratia plurimam exercuit benignitatem, ac solicitudinem*. Hæc ille. Et idem
D. Chrysost. homil. 4. in epist. 2. ad Thessal. c. 2. Chrysostomus homil. 4. in epistola 2. ad Thessal. 2. ait: *Si enim contra armatos ad eum modum pugnauerunt veteres, multo magis contra inermes, ita pugnandum nobis est: ita vincebat* Ezechias *Assyrios: ita* Moyses *Malechitas; ita Ascalonitas*

lonitas Samuel, *ita Israel triginta duos reges, si vbi armis opus erat, & exercitu, & pugna, relictis armis ad orationem confugerunt: vbi dumtaxat orationibus conficienda sunt negotia; quo modo non multo magis orandum est?* Hæc ille. Origenes homil. 25. in cap. 31. Numerorum, vbi dicitur: *Armate ex vobis viros, & belligerate aduersus Madian, reddere vindictam à* Domino, *mille ex Tribu ex omnibus tribubus* Israel *mittite ad belligerandum*, sic habet: *Recordare, recordare præterita, audi præsentia filij Israel dudum sexcenta millia fuerant armatorum, qui processerant aduersus* Madian, *& hi omnes victi sunt, quoniam peccatum erat in ipsis, nunc Madianitæ, qui fuerant victores, qui sexcenta millia fugauerant, vincantur à decem millibus, vt scias, quia non in multitudine, nec in numero militum vincitur Israel; sed iustitia, & pietas est in eis, quæ vincit. Propterea denique, & in benedictionibus eorum dicitur, quia si seruauerint legem* Domini, *vnus ex ipsis persequatur mille, & duo vertant decem millia. Vides ergo, quia multo plus valet vnus* Sanctus *orando, quàm peccatores innumeri præliando: Oratio* Sancti *penetrat cælum; quo modo non hostem vincet in terris?* Hæc ille.

Orig. homil. 25. in cap. 31. Numeror.

Si quæras, vnde tanta oriatur orationis vis, dico, quia est actus supremæ virtutis inter morales: nempe Religionis, quæ dum fit, multarum, & insignium virtutum actibus est comitata, Fides in primis exercetur; nam, qui petit, credit id fieri posse ab eo, à quo petit. Similiter Spes: nemo enim petit, nisi sperans id factum iri quod petit. Item dilectio: diligitur enim qui benefacturus creditur, & in quo speratur. Præterea humilitas: qui enim petit, se indigere ope alterius fatetur; tandem patientiam in expectando. Hinc est, quod Iob cum esset vlceribus plenus, nec reperiretur in eo pars corporis sana, & integra, nisi lingua, non ad blasphemias, & inutiles sermones illa abusus fuerit, sed ad iustas lamentationes, & preces assiduas, artem nimirum, & calliditatem inimici ad illius perniciem, atque ad sui defensionem conuertit. Et hoc vnico labiorum solatio se sustentabat. Dauid Psal. 108. dicebat: *Detrahebant me: ego autem orabam*, idest, dum orare licuerit, & labijs voluero, non vincar; & in inimicorum meorum potestatem non redigar: nam, si labia nostra à nobis sint, & orationis studium non intermiserimus, quis noster Dominus erit? Huc quoque detorsi per allegoriam

Orationis vis vnde oritur.

Oratio comitatur insignibus virtutibus.

Iob, licet non haberet nisi linguã integram, tamẽ Deo gratias red debat.

Psal. 108. 4.

August. riam Augustinus lectionem, Septuaginta, *ossa mea in dentibus sunt*, idest, firmitas, & fortitudo mea in verbis, non in factis, sanè labijs populi Israelitici vincendos hostes, penitusque delendos, non manibus, aut gladio indicat Scriptura, vt vim precum, & orationis significaret, quod ipse Balach rex Moab agnouit, dicens Numer. 22. *Ita delebit hic populus, omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* Quo modo autem carpit omnes herbas nisi lingua, & labijs? sic explicate legunt Septuaginta: *Nunc oblingent Synagoga hæc omnes, qui in circuitu nostro, sicut oblingeret vitulus virentia de campo, onkelus sicut lambit bos.* Quæ verba sic Origenes homil. 11. in Exod. dilucidat: *Per hoc, vt à maioribus accepimus iudicari dicitur, quia populus Dei non tam manu, & armis, quam voce, & lingua pugnabat, idest, orationem fundens prosternebat inimicos. Non mirum igitur, si sua ipse astutia delusus dæmon postea non relinquat labia, & orationis facultatem intactam, sed mutam reddat, quem semel possidet, & semel expertus virum, qui non peccauit labijs suis, labiorum vsum impediat, vt peccati sui remedium quærat: sic dæmonium stultiloquium, & garrulum aliquando multum est.* Hæc ille.

Septuaginta

Fortitudo in verbis.

Num. 22.4.

Origenes homil. 11. in Exod.

Sed cur mirum videtur, si hostes oratio superet, quæ ipsummet Deum (si fas est dicere) vincit? iuxta illud Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Quem locum expendens D. Hieronius episcopus ad Gaudentium, ait: *Quando dixit, dimitte me, ostendit se teneri posse, ne fiat quod minatus est: Dei enim potentiam, serui preces impediunt.* Et Isaias 64. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*: vnde & in Osæa 12. Vbi est sermo de lucta Iacob cum Angelo, dicitur: *Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum*; & est sensus, Iacob cum lacrymis petijsse ab Angelo benedictionem. Vnde colligitur, orationem iusti cum lacrymis: quòd illis verbis indicatur, *fleuit, & rogauit*, esse, veluti luctam, qua homo cum diuina iustitia luctatur, & superior euadit, quemadmodum Iacob orans cum lacrymis Angelum illum, qui Deum repræsentabat, superauit. Vnde & nomen Israelis obtinuit: eo enim loco *Israel* non est *videns Deum*, vt multi perperam existimarunt; sed *Princeps cum Deo*, vt auctor est D. Hieronymus in traditionibus hebraicis in Genesi. Hinc fit,

Oratio Deum vincit.

Exod. 32. 10.

D. Hieron. episcopus ad Gaudentium.

Isai. 64.7.

Osæ 12. 4.

Iacob petijt ab Angelo cum lacrymis benedictionem.

Iacob quare nomen Israelis obtinuit.

D. Hier. in trad hebraic. in Gen.

fit, quòd, Deo disponente, iustus moritur aliquando, nè ipsius orationibus mitigatus, cogatur iram exhiberi contra impios: hac enim de causa iustum Loth ex vrbe Sodoma prius egredi voluit, quo possit illam incendere; ex quo plane colligitur, cum Deus iustos eripit, merito supplicium aliquod timeri posse. En quanta est apud Deum iustorum orationis vis, si quidem quasi non posset illis viuentibus inferre supplicium: ideò prius illos per mortem eripere consueuit. Ex dictis remanet, quòd optimo iure à nonnullis oratio guttæ comparatur; & hoc tribus de causis. Prima ratione originis: est enim gutta lacryma cuiusdam arboris, siue herbæ, cuius ramusculi diebus æstiuis ab incolis inciduntur; & lacryma, quæ egreditur, gutta vocatur: immò & armoniacum etiam à quibusdam appellatur. Vbi tres particulæ in hoc primo capite complectuntur. Prima, quòd gutta est lacryma. Secunda, quòd egreditur tempore æstiuo. Tertia, quòd vocatur etiam armoniacum quoddam; quæ omnia inferuntur & ad veracem orationem. Prima, quòd gutta est quædam lacryma, quia oratio debet esse lacrymosa. Vnde Augustinus ad Dioscorum, ait: *Plerumque hoc negotium, scilicet orationis plus gemitibus, quam sermonibus agitur: plus fletu, quam afflatu*. Secunda particula est, quòd producitur tempore æstiuo: & oratio debet fieri in temporis feruore; nam feruidus affectus orationis est quasi thus redolens in diebus æstatis, iuxta illud Psal. 140. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Tertia, & postrema est, quòd vocatur etiam harmoniacum quoddam, quia in oratione debet esse duplex harmonia, vocis, & cordis; vocis, & operis. Prima vocis, & cordis per attentionem; vnde Augustinus ait: *Hymnis, & Psalmus cum oratis ad Deum hoc vertetur in corde quod profertur in ore*. Hæc ille. Idem debet habere consonantiam vocis, & operis, vt cum aliquis Deum orat voce, studeat ipsum etiam munere placare, idest, eleemosynæ largitione, & alijs bonis operibus. Et hinc est, quòd orantes manus etiam leuant ad cælum. Vnde Casiodorus super Psalm. ait: *Ipsa est suauissima virtus harmoniæ, quando vox cognoscitur operibus consonare; nam si heres discrepabili sibi varietate dissentiant, nequaquam possunt psalmodiæ efficere cantilenam; nec ad aures Domini veniet, quod se mutua contrarietate confundit*. Hæc ille. Secundo, oratio assimilatur guttæ ratione

Iustus Loth quare ab vrbe Sodoma prius egredi voluit.

Simile.

Oratio guttæ comparatur.

Oratio debet esse lacrymosa.

August. ad Dioscorum.

Oratio debet fieri in feruore.

Psal. 140.2.

Oratio debet habere duplex harmoniacum cordis, & vocis.

August.

Casiodorus super Psal.

Oratio tanto melior, quanto purior. tione puritatis; nam illa gutta est nobilior, quæ est clarior, & purior. Similiter oratio tanto melior est, quanto purior, & à peccato immunior. Vnde Augustinus super Psal. *August. super Psal.* *Orationis puræ magna est virtus, & velut fidelis nuncius mandatum peragit, & penetrat, quæ non peruenit.* Hæc ille. Et in vitis Patrum dicitur, quòd si oratio munda, & casta *Oratio munda & casta cælos penetrat.* fuerit, cælos penetrans, vacua non redibit. Tertio, & postremo oratio assimilatur guttæ ratione vtilitatis, quia, vt asserit Plinius, *Plinius.* gutta habet virtutem dissoluendi, relaxandi, & inflationes sedando. Similiter lacrymosa, & deuota oratio dissoluit peccati vincula, *Oratio deuota dissoluit peccati vincula.* relaxat debita, & sedando tumida, reddit orantem humilem, qua humilitatis virtute cælos ascendit, *quia qui se humiliat exaltabitur*; *Luc. 3. 5.* & à Deo quidquid petit accipit.

Vnde optimo iure nuncupatur oratio nouum bellum, *Iudic. 5. 8.* iuxta illud Iudic. 5. *Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* *Oratio nouum bellum nuncupatur.* In quo loco nota verbum illud *bellum*, bellum autem per orationem cum Deo committi manifestè colligitur ex lib. Sapient. 18. Vbi enarrans historiam illam, *Sap. 18. 21.* quæ habetur Numer. 16. *Num. 16. 46.* Et quo modo Aaron stans cum thuribulo inter mortuos, & viuentes, deprecansque Deum percutientem populum placare iram eius, hæc habet verba: *Properans enim homo sine querela propugnauit*; Sic habent Codices aliquod vulgate. Porro bellum illud, quòd Deus piæ animæ indicit, & si vnum, dumtaxat, sit; cum duobus tamen committitur simul cum aduersarijs, atque cum eo, *Oratio, cum quibus committit bellum.* qui est amicissimus: diuersa tamen ratione; ita vt propterea de eo, quod per se vnum est, quasi de duobus aptè admodum Debbora cecinerit: *Noua bella elegit Dominus*: noua profectò, quia non solum nouis armis, voce nimirum dumtaxat, & precibus absque clypeo, & hasta; sed noua magis, quia nouo modo fiunt: nimirum contra aduersarios auersione faciei, & irruptione, & violentia: noua denique, quia & ex fuga reuehitur victoria contra aduersarios maximè decora, & ex faciei ostensione, ac violentia; altera pariter reuehitur ex amicissimo Deo victoria, quæ tamen nedum ei, qui vicit, sed & ei, qui vincitur, est maximè dulcis. Hoc innuere volebat sponsa Cantic. 2. cum sponsum *Cant. 2. 4.* alloquens aiebat: *Ostende mihi faciem tuam*; non solum, vt ipsa facies Deo ostendatur, verum etiam id, quod præcedit huiusmodi faciei ostensionem, vt eadem facies auertatur à

reliquis

reliquis omnibus, quæ Deo sunt opposita : quod etsi præcedere videatur, fit tamen plerumque vno, & eodem actu, atque adeò bene cum vnicum bellum sit, vnica hac significatione pia anima ad illud promouetur, cum ei dicitur : *Ostende mihi faciem tuam* : & certè bene, maxime Deo nostram ostendimus faciem, cum fugamur à terrenis hisce, aut fugari vos sinimus, cum contra spirituales nequitias colluctamur : tunc quippe ardentius ad illum conuertimur, ferventioresue ei fundimus preces cum tentationes nos insectantur, & tribulationes, iuxta illud Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui*. *Et in tribulatione mea inuocaui* Dominum : & tunc vehementiori impetu in Deum irruimus, cum perfectius in oratione auertimus cordis nostri faciem ab vniuersis, quæ impedire nos possent, nè faciem illi soli ostendamus. Qua propter dum contemplatiuam animam his Deus affatur, quam tunc maximè terrenarum rerum cogitationibus, nec non, & dæmonum insultibus oppugnari cognoscit, cum in foramine petræ se abdit, & in cauerna maceriæ, vt contempletur diuinas perfectiones, vel Christi humanitatem se abscondit, confirmari potest. Sensus iste ex duobus locis Scripturæ simul iunctis, ex Genesi 32. vbi de Iacob patriarcha dicitur : *Traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane* : & post aliqua, *nequaquam* Iacob *appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam, si contra* Deum *fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis* ? Et ex illo Osææ 12. qua in declaratione loci citati ex Genesi dicitur : *In fortitudine sua* Iacob *directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est ; fleuit, & rogauit eum* : nam, quod pia anima bellum, & luctam habeat, patet ex eo, quod in dicto loco Genes. dicitur ; vir luctasse cum Iacob, & per consequens Iacob pariter luctas se cum viro illo, de quo apud Zachariam 6. legimus : *Ecce vir, oriens nomen eius*, cum viro, qui & vir erat, & Deus instar solis oriens ex alto.

Oratio faciem ostendit, & terga omnibus, quæ Deo aduersantur.

Psal. 119.1.

Psal. 17.7.

Gen. 32.23.

Osææ 12.4.

Gen. 32. 23.

Zach. 6.17.

Quòd verò lucta, & prælium istud fiat per auersionem, & fugam, & simul per ostensionem faciei ad Deum, patet illud quidem primum ex eo quòd in Genesi ante narrationem luctæ dicitur : *Traductis omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus* Iacob: alteram verò ex eo, quod Osæas formam illius certaminis, ait : I*n fortitudine sua* Iacob *directus est cum Angelo*, Dei personam gerente. Vbi D. Hieronymus : Et quia dire-

Oratio dicitur lucta.

D. Hieron.

directus est cum Angelo; ideò directi nomen accepit. Et quid verò sibi vult nomen istud? nisi dirigas faciem, vel directus facie sua contra Deum, cum quo decertauit? Vnde apparet, quòd cum per Prophetam dicitur: *In fortitudine sua directus est cum Angelo,* æquè est, ac si diceretur fortiter, magnoq. animo ostendit Angelo faciem suam.

Oratio quibus armis præliatur,

Arma si quæras, quibus prædicta commissa est lucta, vocem dumtaxat fuisse orationis, & fletus, apertissimis Osæas ijs comprimit verbis, *fleuit, & rogauit eum,* denique duplicem victoriam ex vno hoc deferri luctamine; alteram ex ijs, qui nobis aduersantur: alteram ex eo significauit, & Dei, quando ad victorem Iacob ait: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Hominum nomine ea designans vniuersa, quæ oranti animæ aduersantur.

SECVNDA PARS.

Orationis condi tiones tres sunt.

IAM de orationis potentia, ac fortitudine in prima parte me satis dixisse existimo: nunc verò ad condiciones eiusdem orationis me conferens, tres oranti necessarias esse compertissimum est. Vbi dicendum est, quòd sicut in perfecta cytharœdi musica tria simul conueniant: Operæpretium est percussio cytharæ melodia soni resonans ex percussione chordarum, & cantus vocis: adeò quod, si quodlibet istorum trium desit, huiusmodi musica perfecta dici minimè possit: vocis etenim cantus commendabilis, aut nequaquam est, nisi consors sit sono, aut harmoniæ sonantis cytharæ; nec sonus ipse cum debita potest esse harmonia, ni cytharœdus bene, & secundum musices artem cytharæ pulsauerit Fides, ni & ipse, quas bene pulsauerit Fides congruenti ratione extensæ sint, si quidem quæ remissæ sunt, tametsi artificiosissime percussæ fuerint, sonum haud quaquam reddunt harmoniarum. Eodem pacto, & demum perfecta definienda est oratio, quam labia proferunt, & in qua hæc tria simul concurrunt. Vitæ bonitas, quæ se habet instar bonæ percussionis chordarum cytharæ, quatenus potentiæ, atque effectus instar fidium se habent respectu animæ harmoniacus interioris deuotionis sonus, & concors suus

Musica quando perfecta dicitur.

Oratio quando dicitur perfecta.

huius-

huiusmodi sono cantus, & quæ voces proferuntur, preces, & laudationes Domini, quas communi vocabulo orationes peculiariter vulgo appellantur. Hinc fit, quod Deus per Prophetam Amos, si orationes, quæ ad sonum organi inconcinnè percussi, decantatæ sint, & prolatæ ab anima, quæ chordarum potentias affectuque remissas habet; & cui probitas desit vitæ, tumultum carminum appellat. Eas verò laudationes, & preces, quæ sono interioris deuotionis sua sunt concordes, cantica lyræ nuncupat, dicens: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam*. Regius Vates etiam, horumq ad perfectam orationem necessaria sunt, optimè conscius in Psal. 65. Hæc tria indicans, ait: *Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea*, sic legit D. Gregorius in 1. Regum, licet Vulgata dicat, *exaltaui*. Porrò in verbo *exaltaui*, indicat secundum, sine quo primum nihil virium habet, exaltationem interioris deuotionis; quia verò neutrum istorum duorum rectè fieri potest, vel quidquam valet ni simul adsit tertium: iccirco adiecit: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*; ac si dicat, si simul, & vitæ sanctitas; ita cum prædictis duobus adsit, vt ne dum extrinsecus nihil in me appareat, quod prauitatem redoleat, quasi in penetralibus cordis mei quidquam ipsemet aspexerit iniquitatis, oratio mea Domino haud erit accepta, & grata. Hoc idem alijs verbis indicauit sponsus præclara similitudine faui distillantis Cantic. 4. dicens: *Fauus distillans labia tua sponsa: mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris: fauus distillans labia tua*; non fauus simpliciter, sed fauus distillans. Enimverò fauus si absque melle sit, nullius est pretij, nullumve gustui profert commodum, nullum saporem, cum à vestigio, si melle refertus sit, non modica eius habetur ratio, ipsumve quo exuberat mel distillans ingentem pariter ex se profert dulcedinem; sic & preces illæ, quæ labijs funduntur, si sine melle sint intrinsecæ deuotionis, & sine mentis attentione nihil à Deo æstimantur, nullamve ex se proferunt suauitatem, nullum commodum; prout & Paulus Apost. 1. Cor. 14. testatus est, cum diceret: *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est*, idest, si lingua tantum orem absque deuotione, & absque mentis attentione,

Oratio quando vocatur tumultus carminum.

Amos 5. 23.

Psal. 65. 17.

D. Greg. in 1. Reg.

Cant. 4. 11.

Oratio fauus distillans.

Oratio sine melle deuotionis parum iuuat.

1. Cor. 14. 14

tentione, spiritus meus, idest, flatus meus, vox mea tantum orat, & sine vlla dulcedine, sine vllo fructu: nam mens mea sine fructu est. Quid ergo est? idest, quid ergo faciendum est? Qualis debet esse oratio voce prolata, vt bona sit, & fructum afferens? *Orabo*, inquit, *spiritu, orabo & mente*, idest, orationem ipsam vocalem faciam cum deuotione, & mentis attentione, psallam spiritu, psallam & mente. Dicet aliquis, si fauus distillans, & huiusmodi oratio, quæ & spiritu facta sit, & mente, cui nam ipsa distillat? quemve distillatione sua dulcedine reficit? Reficit, perfunditq. voluptate, atque dulcedine sua Deum ipsum, in cuius os mel distillat interioris deuotionis: contestatũ id habemus à Regio Propheta Ps. 146. dum ad istius modi, quo mouens orationem ait: *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit iucunda, decoraq. laudatio*, idest, suauis sit, & dulcis: quam verò iucunda sit, quamve eadem Deo placeat in Psal. 68. egregia comparatione, idem Dauid exprimere nititur, dicens: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super vitulum nouellum: cornua producentem, & vngulas*, idest, plusquam gratissima quælibet victima. Porrò quia nullatenus anima dulcedinem in os Dei distillare potest per orationem suam, eademq. Dominus delectare, ni prius ipsamet in ea delectetur, dulcedinemq. gustet illius. Iccirco sponsus adiecit *mel, & lac sub lingua tua*. Sic enim per id, quod dicitur *sub liugua*, cor intelligas, siue palatum, & guttur, quæ subtus linguæ situ gustationis sensum perficit. Per verba ista hoc designatur, quod pia anima prius ipsa gustum in corde suo, atque in se recipiat suauissimum in ijs, quas fundit precibus, tum dulcedinem, quam ipsa gustat, in ipsummet Deum refundit, distillans, tamquam à pleno fauo mel copiosum.

Orationis dulcedo quem sua dulcedine reficit.

Psal. 146. 1.

Psal. 68. 31.

Orationis pulchra comparatio.

Anima dulcedinem, quam in oratione recipit, in Deum diffundit.

Hunc gustum simplicius expressit Dauid illis cum verbis: *Ad ipsum ore clamaui; & exultaui sub lingua mea*. Verbo exultaui, maximam significans gustus oblectationem: Vnde & in Psalmum 103. dicebat: *Iucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino*, ac si diceret, vt labia mea ei sint fauus distillans; dabo operam, vt mel, & lac sit sub lingua mea, vt ipse delecter in Domino; tametsi autem voces orationis sint obiectum potius auditus, quam gustus, melli nihilominus distillanti, & fauo in os eas assimilaui, indicans nimirum, quod sicut eæ sunt mel animæ orantis, & mel in

Psal. 103. 34.

ore

ore habet. Ita sibi pariter mel sunt ex illo eius ore stillatum in os suum, quia non tantum ad suas admittuntur aures, sed & ad os, atque adeò eorum dulcedine, nedum auditu, sed & gustu percipiat: quasi & ipse quoque emissas ab anima orante voces illas in suo acceptet ore, per illud eas verset proferendo illas sibimetipsi. At id, quòd sane piæ animæ orationem reddit, & illustriorem, & Deo iucundiorem, illud est, quod ipsamet anima hasce effundens preces, & seipsam, & orationes pariter suas induit Dominum Iesum Christum, iuxta consilium Apostoli Ephes.4.exhibens se similem, & interius, & exterius Christo Iesu in iustitia, & sanctitate, necnon & ipsas, quas fundit preces, patri simul & sponso offerens, veluti indumento opertus meritis gloriosissimis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui super altare Crucis seipsum obtulit in holocaustum maxime omnium acceptabile, ad instar Iacob Genes.27. qui hedinis pellibus, manus, collumq. operuit: sic ea cooperta palpanda Isaach obtulit patri. Hæc autem omnia modicis hisce verbis, & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris peregregiè designata sunt: siue enim vestimenta accipiamus, quibus pia anima exornata comparet ante Dominum in perfecta oratione sua odor illorum in manibus Dei est, sicut odor thuris, idest, sicut odor Christi, qui de semetipso ait Eccles. 24. *Ego quasi Libanus, non incisus, vaporaui habitationem meam*. Ita nimirum Christum induta, vt vita istius manifestetur in ipsa, non secus ac vestimenta, quæ extrinsecus operiunt corpus, manifestantur in corpore ipso, siue alia illa eiusdem animæ sumamus vestimenta meritorum, quibus cooperta, & ornata vniuersa bona illius opera, & in primis orationes cælesti sponso proponit, & manifestat odor pariter istorum vestimentorum eius verissima dicitur, sicut odor thuris illius nimirum thuris, quod super altare crucis ad ignem ardentissimæ caritatis oblatum est in odorem suauitatis meritorum Christi cruce confixi.

Orationis dulcedo non dū auditu, sed etiam ore percipitur.

Anima media oratione induit Christum Dominum:

Ephes. 4.24.

Gen. 27.16.

Odor vestimentorum orationē perfectam significat.

Eccles. 24.21

Odor thuris orationem perfectā significat.

Quisquis ergo à Deo aliquid impetrare vult, oportet non tam alta, & clara voce, quæ sola non sufficit, quam magno desiderio, immò magna caritate, & spe: externus enim clamor sine viua fidei, & desiderio, Deo non admodum acceptūs est, quemadmodum in Isaia cap.29. dicitur: *Populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me: cor autem eius longe est à me.* Et Origenes expendens locum Exodi 14. in prima parte al-

Isai. 29.13.

Origenes:

Exod.14.15. legatum, in quo dixit Dominus Moysi: *Quid clamas ad me?* ait: *Nulla vox Moysi auditur, & Dominus dicit. Quid clamas ad me. Vellem scire quo modo possumus clamare sine voce ad Deum? Quam dubitationem statim soluit, dicens, quod postulante Spiritu sancto per silentium clamor Sanctorum auditur: non enim diuinus ille spiritus vocibus exterius prolatis indiget ad preces nostras percipiendas, cum interioris cordis desideria percipiat.* Et Petrus Cantor, sic ab antiquis appellatur, subtiliter aduertit, quòd cum dicitur in Psal. 36. *Os iusti meditabitur sapientiam.* Et Psal. 34. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam, ori vel lingua attribuitur meditatio, & attentio, quæ cordis est: non enim os, vel lingua meditari solet, sed cor.* Hæc ille. Et D. Bonauentura 3. par. certiloq. sect. 46. ait: *Veraciter orare est in compunctione amaris gemitibus, & non composita verba resonare.* Hæc ille. Et Hieronymus ait, sicut habetur de consecr. dist. 5. Can. *Non mediocriter, numquid verborum multitudine flecti* Deus, *vt homo potest?* Non *enim verbis tantum, sed corde ornatus est Deus.* Hæc ille. Cui consonant Saluatoris verba apud Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: Scit enim pater vester, quid opus sit vobis antequam illud petatis*, cum quasi dicat, non exauditur oratio per multiplicationem verborum, sed potiùs propter puritatem mentis, & attentionem cordis. Vnde quidam dicebat: *Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor. Non clamor, sed amor cantat in aure* Dei. Corde enim psallebat, & loquebatur Propheta, qui Psal. 26. dicebat: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea. Faciem tuam* Domine *requiram.* Et 2. Reg. 7. *Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac, & benedicit*, quia inuenit cor, quia nihil corde fugacius, nisi per discretionem, & continuam meditationem Dei restringatur, tam inquietum, & multum volubile ex natura sua: est enim (vt inquit quidam) quasi auis venatica, quæ cum manu tenetur, quocumque sonitu audito, statim nititur auolare, & aufugere, quasi vinculis, & compedibus necesse est eam ligare: quod si aufugitur carnibus cruentis reuocatur. Sic cor nostrum facillimè nosmetipsos derelinquit. Vnde Isaias 46. dicebat: *Redite prauaricatores ad cor.* Et vbi dicitur: *Audite me duro corde:* alij transtulerunt: *Audite me qui perdidistis cor.*

Margin notes: *Quomodo possumus clamare sine voce.* — *Petrus Cantor.* — Psal. 36. 30. — Psal. 34. 28. — *D. Bonau. 3. par. certiloq. sect. 46.* — *Hieron.* — Matth. 6. 7. — *Oratio non exauditur per multiplicationem verborum.* — Psal. 26. 8. — 2. Reg. 7. 27. — *Corde nihil fugacius.* — *Cor est quasi auis venatica.* — Isai. 46. 8.

Qua re refrænandum est vinculis timoris, & amoris Dei carnes Christi cruentas in oratione illi ostendendo. *Cor quomodo est refrænandum.*

Loquebatur etiam non ore, sed corde Anna Samuelis mater, de qua dicitur 1. Reg. 1. *Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumq. labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur*, tantus enim erat feruor spiritus, quod nec vllum verbum ori ponere posset; & licet sacerdos obseruaret attentissimè os eius, vt petitionem suam intelligeret, nihil præcipuè potuit. Qua re existimauit illam ebriam esse. Nec vana esset eius opinio, sic eam, quam corporis spiritus ebrietatem indicaret. Vbi inquit Glossa: hic inditur nobis forma orandi, vt non in multiloquio, sed in compunctione cordis, & effusione lacrymarum nostra fundetur oratio: & certè quidem; quia lacrymæ voces sunt, & linguæ, quæ cum Deo loquuntur: alioquin non diceret, Eccles. 35. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus:* Nonnè lacrymæ viduæ ad maxillam descendebant; & clamatio eius super deducentem os: à maxilla enim ascendit ad cælum, & Dominus exauditor delectabitur in illis. Nisi enim lacrymæ linguam haberent ad exclamandum, non ascenderet clamor eorum vsque ad cælum? 1. Reg. 1. 13. Glossa. Eccle. 35. 17. *Lacrymæ linguam habent.*

VIGESIMASECVNDA LECTIO.

De peccato libidinis.

IN QVA DE DVOBVS, QVAE A PECCATO libidinis procedunt, agitur. Primum, de malis, quæ in homine generat, & producit. Secundum, de flagellis Dei aduersus libidinosos, & per consequens è conuersa de laudibus castitatis.

Iob 1.13. Cum autem quadam die filij, & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris suis primogeniti, nuncius venit ad Iob, qui diceret, boues arabant, & asinæ pascebantur vsque ad illud exclusiue: tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua.

PRIMA PARS.

Homines si à Deo affliguntur ad alios homines, si verò ab hominibus, ad Deum recurrũt.

OMNIBVS profectò hominibus, & mulieribus solitum est, & consuetum, vel legitimum, quòd si molestia ab alijs viris, vel feminis afficiuntur, vt ad Deum confugiant: &, si à Deo afflictionem, & molestiam experiuntur, vt apud homines, & apud mulieres consulant: ita, quòd semper confugij, & auxilij locus eis superest. Verum si fortè aliquis inuenitur, qui ab vtrisque, scilicet, & à Deo, & ab hominibus simul solicitetur: clarum, certumque est, quòd tunc se quocumque auxilio, & confugio exutum dici potest. Et ecce sic affabre in innocentis Iobi personam scelestis hic dæmon operari curabat.

Quatuor

Quatuor sunt flagella, quibus in dira, & rabiosa persecutione, qua sanctum affecit Iobum, dæmon ipse vsus est, duobus ab hominibus, & à Deo duobus, tanto artificio, ac versutia tanta, quod non tam citò hominum persecutio finiebat, quod illa Dei incipiebat: nec tam citò eadem Dei remanebat, quod illa hominum emanabat, & surgebat. Hominum prima fuit: quoniam Sabæi custodes, excubiasque interficientes boues furabantur, & asinas. Dei extitit secunda, nam talis è cælo ignis descendit, quod oues, & pastores consummauit, & aruit. Tertia etiam ab hominibus: Chaldæi enim, prædia, seu rura surripientes, illos occiderunt, qui ea custodiebant. Et tandem quarta à Deo: quia impetuosus ventus cum oriretur, & domum excuteret, eamdem ruere faciens, filij, & filiæ occubuere, animamq. egerunt. De prima dicitur: *Cum autem quadam die filij, & filiæ eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Iob, qui diceret boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntq. omnia: & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, vt nunciarem tibi.* De secunda: *Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit, Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues, puerosque consumpsit; & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.* De tertia: *Sed & illo adhuc loquente venit alius, & dixit, Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, vt nunciarem tibi.* De quarta, & vltima: *Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit, filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt; & effugi ego solus, vt nunciarem tibi.* Videte vos, quæ nam rabiosa persecutio extitit hæc, quam infernalis hic dæmon in pauperem Iobum mouit, & excitauit; quoniam vndique eum molestia afficit, & cum eo conflictatur. De omnibus his quatuor in duabus sequentibus Lectionibus loquemur: in hac de duabus primis; & in sequenti de duabus reliquis. Attendite.

Dæmon quatuor flagelis erga Iobum vsus est.

Persecutio cõtra Iobum prima ab hominibus fuit.

Persecutio secunda contra Iobũ à Deo fuit.

Persecutiones Iobi diuersæ.

Lectionis diuisio in duo capita.

CVM *autem quadam die filij, & filiæ eius, &c.* Et hinc incipiens, ait textus, quod dum Iobi filij domi primogeniti eius conuiuabantur, venerunt Sabæi, & custodes interfecerunt, & omnes boues, cunctasque asinas furati sunt.

Circa quod licet hic quo ad litteræ sensum, sic casus, & persecutio amplificentur, quod maiores esse non possunt; quoniam non modo boues, & asinas omnes surripit, sed etiam spem fructus, quem accipere poterat, dum narrat, quod cum non dum campum reduxisset sic, vt fructum redderet, tunc hoc pacto arabant illum, & colebant: Verum ego moralem ad sensum sermonem voluens, & redigens, inquam, quod quamquam bos interdum sacris in Litteris ferè in omnibus præcipue pro prædicatoribus sumatur, & pro in Ecclesia Dei laborantibus, sicuti in Ezechiele legitur: attamen turpi, vel auerso sensu interdum comprehenditur, secundum quod in Prouerbijs c.7. dicitur: *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & nescit quod ad vincula stultus trahatur.* Quo in loco, certum est, quod intelligitur de carnali, sensualique homine, qui tamquam bos sub libidinis, ac luxuriæ iugo se perstringere facit; eò magis, quod vna cum bobus etiam asinæ feminæ, & non asini masculi, surreptæ fuere: ita Septuaginta transtulere: feminæ asinæ, quæ perbellè nimis ipsæ quoque hoc scelestæ vitium innuunt. Et de hoc agentes duo dicemus. Quorum primum est, scilicet, quot mala vitium istud homini, mulierique afferat. Secundum, quam Deo displicendo, Deus ipse de ipso vindictam facere quærat. Et primo affabre carnisuiuij tempore facit se sub sensualitatis iugo tribus fortissimis, arctissimisque nodis iniquis perstringere; primus nodus est dulcedo, estq. gustus, qui hoc in peruerso crimine percipitur: & ideò dicitur, quod si alia vitia hominem, & mulierem obtundunt, hoc attamen carnis omnino eos soporat, hebetesq. reddit. Vnde antiqui sub Sirenæ nomine id pinxerunt, quæ cantando sopit adstantes, sopitosque interficit: & iure quidem: nam experientia cernitur, quòd qui diu in eius limi altitudinem immerguntur, tamquam sopiti vsque ad mortem in peccato morantur; & D. Paulus Roman. 6. regnare vocauit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Et, vt ostenderet, quod hoc de vitio loquebatur, inde subdidit, *vt obediatis concupiscentijs vestris.* Quo in loco Theodoretus obseruat, quod regnum à tyrannide differt: nam tyrannus licet suis subditis imperare possit, attamen inuoluntariè obediunt ei; sed subditi regi voluntariè, ac liberè obtemperant, & acquiescunt. Et ideò, vbi cum alijs criminibus dæmon præcipit, perstrictosque homines, ac mulieres inuoluntariè

Bos in sacris Litteris pro prædicatoribus sumitur.

Prou. 7. 22.

Bos pro carnali & sensuali homine accipitur.

Septuaginta.

Libido quot mala homini, & mulieri affert.

Vitia & peccata alia hominem obtundunt carnalitas verò soporat.

Rom. 6. 12.

Theodoretus.

Regnum in quo differt à tyrannide.

tariè custodit: in carnali nihilominus vitio sponte ei obediunt. *Homines carnales spontè amoni obediunt.*

Aliquis pergens liquefactam picem inuenit, digitis eam tangit; & ecce illico de repente ita manibus inhæret, & affigitur, quod licet reuellere quærat, tamen nequit: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*. Quid nam putatis hoc esse vitium? ait Eccles. 13. Nil aliud nempe est, quam ita rabiosa pix, vt statim, quod tangis eam, quòd te opicas, tibi sic adhæret in corde, & in mente, quod licet inde eam à te repellere quæras, minimè pelles. Hoc illud idem est, quod Osææ dicebatur 4. *Fornicati sunt, & non cessauerunt*: Carnali se vitio applicauere, nec vmquam defecerunt ab eo. Hinc est, quòd antiqui cum leonis capite, cum capræ corpore, draconisque cauda hoc pinxere vitium, vt cum capite leonis nobis significarent vim, atque violentiam, quibus in homine, ac muliere hoc vtitur vitium; vnde Eccles. 21. *Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum*. Cum capræ corpore, libidine pleni animalis, vt nobis innuerent huius peccati dulcedinem. Vnde Prouerb. 5. *Fauus distillans labia meretricis*. Et denique cum cauda draconis, cum qua sic alligat, quod miser carni deditus, vsque ad mortem non soluitur; & propterea Prouerbia cap. 6. clamabant: *Pretium scorti vix est vnius panis: mulier autem viri preciosam animam capit*; & quidam etiam ab hebræo transtulere, idest, quod hoc pro peccato homines ad tantum se reducunt opus, quod panis bucellam inhiunt; quod de spirituali pane intelligitur; quos vsque ad mortem omnino priuantur. Optime quidem scitis, quod ad semper in primogenitis hæreditas conseruatur: sed quod nam aliorum primogenitum est peccatum, nisi peccatum carnis? Et quod verum sit, D. Paulum Galat. c. 5. audite: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c.* Ac si diceret, nullum est peccatum, quod suæ iniquitatis, vel versutiæ hæreditatem, vsque in finem conseruet, præter id, quod carnis peccatum agat.

Simile. *Vitium carnale rabiosa pix est.* Eccles. 13. 1. Osææ 4. 10. *Vitium carnale quomodo ab antiquis describebatur.* Eccles. 21. 3. *Caprea libidinē representat.* Prouerb. 5. Prou. 6. 26. *Hæreditas conseruatur in primogenitis.* Galat. 5. 19. *Carnis peccatū dicitur primogenitum.*

Secundum, cum quo bouem, & asinam ducit bubulcus, acutus est stimulus; sed quem putatis vos esse stimulum acutum dæmonis, cum quo pungit, & vbi vult, ad inferna hominem, mulieremque ducit? Nil aliud est, quam malum exemplum, quod in carnali vitio præbetur. Seneca ait, quod antiqui decreuerunt, meretricem portare in fronte suum nomen, & forte in quodam auri, vel argenti lamine, vt ab

Simile. *Dæmon pro stimulo vtitur malo exemplo.* *Seneca.*

alijs nosceretur. Sed quid nam sunt nostris hisce temporibus nomina sic descripta, nisi mala exempla, quæ hoc circa vitium dantur; quoniam ad talia peruenimus tempora, quod etiam illi, qui castitatis magisterio nitere deberent, libidinis, dedecorisque sunt exempla. In Apoc. c. 17. D. Ioannes narrat mulierem se vidisse, purpura, sericisque indutam; gemmis ornatam pretiosis; at quid ferebat, quid gestabat? Poculum aureum in manu sua: & quo plenum erat? Abhominatione, & immunditia fornicationis eius; & in fronte eius nomen scriptum Babylon magna, mater fornicationum. Et quæ nam est Babylonia, & mater dedecoris, nisi ætas nostra? In qua dici potest, omnis caro corrupit viam suam, & vbi omnia malo sunt exemplo replena? Et quod ambiguitate careat, tot ambulationes, tot conuiuia, totque ornamenta, & in mulieribus, & in hominibus, quid enim sunt, nisi tot ad libidinem stimuli? Hac de re Abraham præcepit, quod Ismaelem vnam cum matre è domo eius, & è conuersatione Isaach expelleret. Vbi nota, quòd cum Ismael videretur à Sara ludere cum Isaach, persuasit viro Abraham, vt eijceret de domo filium, & matrem eius: quod cum durum valde videretur ipsi Abrahæ, & nollet illos dimittere, dixit ei Deus Gen. 21. *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omnia quæ dixerit tibi* Sara, *audi vocem eius*. In quo loco ludum istum Ismaelis cum Isaach, propter quem iubetur cum matre de domo eijci, nonnulli ad libidinem referunt: quod, vt melius intelligatur, sciendum est, verbum hebraicum *tsachac*, quo ibi legitur multa significari. Primum enim significat ludere. Secundo, idololatriam committere: de vtraque enim significatione potest accipi illud Exod. 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*, hebraicè *letsachec*, idest, vel ad ludendum, vel ad idololatrandum. Certe Paulus de idololatria intellexit, cum 1. Cor. 10. dixit: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Tertio (hunc illudendi conceptum peroptimè animaduertite) pro illudere, Genes. 39. *Ingressus est ad me seruus hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi*. Quarto, pro ridere, vt Genes. 18. dixit Sara, Non risi, hebraice tsachacti. Quinto, pro occidere, vt 2. Reg. 2. *Surgant pueri, & ludant*, idest, occidunt, se inuicem digladiando. Sexto denique venerem exercere, vt

Mala exempla nostri temporis.

Apoc. 7. 4.

Mulier Apocal. purpura induta quid significat.

Ornamenta hominum, & mulierum sunt stimuli ad libidinem.

Ludus Isaach, cũ Ismael, quid erat.

Gen. 21. 12.

Ludere in sacris Literis, quid significat.

Exod. 32. 6.

1. Cor. 10. 7.

Gen. 39. 17.

Gen. 18. 15.

2. Reg. 2. 14.

vt Gen. 26. *Prospiciens Abimelech Palæstinorum Rex per fenestram vidit Isaach iocantem cum Rebecca vxore sua*, idest, debitum vxori reddentem. Vnde statim accersito eo, ait: *Perspicuum est, quod vxor tua sit.* Nos verò referentes hunc ludum ad lasciuiam dicimus, quod quilibet debet in typum Abrahæ; instructus à Sara, nempe à ratione, & legis præcepto, ancillam, & filium eius è domo pellere, idest, non solum libidinis peccatum, sed omnem occasionem eius exterminare. Gen. 26.8. *Ludus pro exercitatione veneris.*

Hinc fit, quod peccatum luxuriæ, primò assimilatur igni: *Ignis est vsque ad perditionem deuorans*; nam ignis ferrum durum, & frigidum immutat, & quasi igne effluit; sic mentes ferreas libido domat. Vnde Hieronymus: *Flammigero igne percutit mulier conscientiam*; vnde, sicut ex duobus lapidibus se inuicem collidentibus, oritur ignis; sic ex contactu, & visu impudico viri, & mulieris oritur ignis concupiscentiæ, & luxuriæ. Præterea, sicut si muro apponatur candela, seipsum non comburit, tamen denigrat; sic qui luxuriæ non deserit occasionem. Vnde idem Hieronymus: *Si cum viris fœmina habitant, viscarium diaboli non deerit.* Postremo sicut nix frigida in summo gradu posita, tamen iuxta ignem liquescit. Sic castitas familiaritate, & colloquijs mulierum deperit. Item luxuria assimilatur foueæ, iuxta illud Prouerb. 23. *Fouea profunda est meretrix.* Primo, propter principium: fouea enim à fodiendo est dicta; & quod fit in terra fodientium manu profundata. Sic vitium luxuriæ est profundatum, & radicatum in terra, idest, in carne humana, & præcipuè ex corrupto, & pessimo ingenio hominum adinuenientium diuersos modo delectationis, & corruptionis huiusmodi vitij; de quibus Psal. 80. dicitur: *Ibunt in adinuentionibus suis.* Secundo, propter augmentum; quia in fodiendo quanto plus terra in sua superficie cumulatim erigitur, tanto amplius interius profundatur. Sic luxuriosus quanto magis visum, & intentionem dirigit, & erigit ad superficiem terræ, idest, ad pellem, & pulchritudinem carnis, tanto magis interius in appetitu profundatur, & crescit odor libidinis. Ideò Iob 31. aiebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nec cogitarem quidquam de virgine.* Tertiò, propter periculum; quia quanto fouea fit profundior, tanto eius transitus est periculosior, sic luxuria, & ideò in principio est expellenda. Vnde Isidorus ait: *Calca serpentis caput, calca*

Simile. *Luxuria peccatum assimilatur igni.* *Luxuria ex tactu & visu impudico oritur.* *Hieron.* *Castitas ex familiaritate mulierum deperit.* *Simile.* *Luxuria assimilatur foueæ.* Prou. 23.27. *Diuersos modos luxuriandi quærunt, & procurant luxuriosi.* Psal. 80.13. Iob 31.1. *Luxuria quantò diuturna tanto periculosior.* *Isidorus.*

praua cogitationis initium, scilicet, antequam fiat fouea pro-
Ierem. *funda, vsque ad consensum.* Hæc ille. Et Ieremias. *Foderunt foueam animæ meæ.* Quarto, & postremo quantum ad exitum: nam, sicut ait Gregorius, foueam homo cadendo facile ingreditur: sed post casum non facile egreditur. Et licet ita sit de omni peccato; tamen specialiter sic est de ipso peccato luxuriæ: tum propter corruptionem fomitis,& concupiscentiæ carnis; quam homo semper secum habet; tum propter fomentorum præparationem; quia tota die currunt præ oculis luxuriæ fomenta, sicut aspectus mulierum, colloquium, repletio, victus, & huiusmodi.

Gregorius.

Luxuria in homine, & muliere omnia bona destruit.

Origen. homil. 1. in Leuit.

Quid amplius? sicut mortificatio omnia bona in homine conseruat; sic carnis dissolutio omnia bona destruit. Vnde Origenes homil. 1. in Leuit. expendens illa verba: *Si holocaustum fuerit eius oblatio; ac de armento masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij ad placandum sibi Dominum*, ait, quod, *si hæc ad moralem locum inclinare velimus, nos quoque habemus vitulum, quem offerre debemus. Vitulus est, inquit, valde superbus, caro nostra, quam oportet Domino offerre, vt eam castam, & pudicam custodiamus: & hoc, vt mortificata non aduersetur, & destruat omnia nostra bona.* Hæc ille. Quod quidem necessarium esse perspicuum est; nam carnis dissolutio, & concupiscentia primo corpori valde nocet, cum vitæ longitudini aduersetur, vt patet de aue dicta vulture, quam, dicunt naturales, concubitu nullo admisceri, & sine vllo concubitu pullos generare. Et hinc fit, quod viuit vsque ad centum annos, vt auctor est Isidorus. Ex quo colligitur, quod diutius viuunt qui à carnalibus operis resolutionibus se restringunt; nam secundum Philosophum, animalia, quæ sunt multi coitus, vt passeres, & huiusmodi, sunt breuioris vitæ. Vnde nota, quod luxuria minorat vitam corporalem, dehonestat vitam ciuilem, & necat vitam spiritualem. Propter primum dicitur Luc. 15. de iuuene prodigo, & lasciuo, qui dissipauit substantiam suam non tantum personalem, sed etiam temporalem viuendo luxuriose. Est enim in actu luxuria euacuatio humidi, & expiratio calidi, in quibus duobus vita conseruatur; & ideò ex frequentatione actus venerei, vigor, & vita corporis eneruatur. Vnde Vgo de sancto Victore. *Luxuria, inquit, est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniciosa portio, quæ humanum corpus debilitat,*

Nocet corpori luxuria.

Isidorus.

Aristot.

Animalia quæ sunt multi coitus sunt breuioris vitæ.

Luc. 15. 13.

Luxuria est euacuatio humidi, & expiratio calidi.

Vgo de S. Victore.

Vita in quibus conseruatur.

bilitat, & virilis animi robur eneruat. Hæc ille. Et Innocentius de vtilitate condicionis humanæ, ait: *Extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed corpus eneruat, & non solum fœdat animam, sed fœdat personam. Omne namque peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus suum est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat: semper illum præcedunt ardor, & petulantia, semper concomitantur fœtor, & immunditia, semper sequitur dolor, & pœnitentia*. Hæc ille. Item luxuria dehonestat vitam ciuilem, quia tollit homini gloriam, inferens ignominiam, & infamiam. Vnde dicitur Isaiæ 34. de luxuriosis: *De cadaueribus eorum ascendet fœtor*, scilicet, infamiæ. Vnde de Valerius lib. 9. de vitijs carnalibus dicit: *Quid*, inquit, *his vitijs fœdius? Quid etiam damnosius? Quibus virtus atteritur, victoriæ relanguescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animi, & corporis vires expugnantur, adeò, vt nescias, an ab hostibus, an ab illis, capi perniciosius habendum sit*. Hæc ille. Item luxuria perimit vitam spiritualem. Vnde Roman. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*. Et D. Hieronymus, inquit: *Qui luxuriatur viuis, mortuus est, etiam ferreas mentes libido domat, quæ maiorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant esse, quod nesciunt*. Hæc ille.

Innocent. de vtilitate condicionis humanæ.

Isai. 34. 3.

Valer. lib. de vitijs carnalibus.

Infamiam generat luxuria.

Luxuriam vitam spiritualem perimit.

Rom. 8. 13.

D. Hieron.

E conuerso autem castitas, siue continentia dies vitæ multiplicat. Vnde Iob. 29. *Sicut palma multiplicabo dies*: per palmam intellige victoriam carnis, quæ per continentiam habetur. Vnde Augustinus in lib. de continentia, ait: *Hostes autem nostri opera sunt carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, &c. In hoc prælio aduersus carnalem exercitum, velut aliam producens aciem spiritualem, fructus spiritus est, inquit, caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, aduersus huiusmodi non est lex. Verumtamen, quia in eis bonis, quæ connumerauit, vltimo loco posuit continentiam, de qua nunc disputare cœpimus, præcipuè voluit illam nostris mentibus inhærere, ipsa quidem in hoc bello valet plurimum, in quo aduersus carnem spiritus concupiscit, quoniam ipsius carnis concupiscentias quodam modo crucifigit: vnde, cum hæc dixisset Apostolus continuo subiecit. Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus, & con-*

Castitas dies vitæ multiplicat.

Iob 29. 18.

August. in lib. de continentia.

Carnis opera, quæ sunt.

& concupiscentijs. Hæc est actio continentiæ, si opera carnis mortificarentur. Hæc ille. Item continentia vitam ciuilem exornat, & nobilitat. Vnde Cyprianus de duodecim abusionibus: *Pudicitia*, inquit, *est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen merentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminis, multiplicatio meritorum creatoris omnium*, Dei amica. Hæc ille. Denique continentia corroborat, & conseruat vitam spiritualem. Vnde Diuus Paulus Roman. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vnde Diuus Augustinus in libro de continentia, ait: *Continentia omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ aduersantur, delectationi sapientiæ coërcendis, atque sanandis inuigilat. Officium continentiæ carnis opera omnia vitia nuncupauit Apostolus, siue quæ ad animam propriè, siue quæ ad carnem pertinent, ipsum, scilicet, hominem nomine carnis appellans, opera quippe hominis sunt; quæ non dicuntur Dei; quoniam homo, qui hæc agit secundum seipsum viuit, non secundum* Deum, *in quantum hæc agit. Spiritus itaque hominis adhærens spiritui* Dei *concupiscit aduersus carnem, idest, aduersum seipsum, sed pro seipso, vt motus illi siue in carne, siue in anima secundum hominem, non secundum* Deum, *qui sunt adhuc per acquisitum languorem continentia cobibeantur propter acquirendam salutem, vt homo non secundum hominem viuens, iam possit dicere, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Hæc ille.

Continentia vitam ciuilē exornat.

Cyprianus de duodecim abusionibus.

Roman. 8.13

August. lib. de continentia.

SE-

SECVNDA PARS.

C*Vmque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues, puerosque consumpsit, & euasi ego solus, vt nunciarem tibi*. Ecce secunda persecutio, secundum malum, quod efficit dæmon in Iob: prius facit, vt ei omnes expilentur boues, & asinæ cum interfectione illius, qui ea custodiebant: & nunc ignem tam vehemenrem è cælo excitat, quòd ei omnes oues, & pastores vna interficit, & consumat. Et hic primum notate. Origenes, & Chrysostomus existimant hunc ignem non fuisse realiter ignem, sed simulatam materiam à dæmone in specie, ac forma ignea: vel ipsummet dæmonem tamquam ignem; nam (vt in D. Luca dicitur cap. 10.) etiam sic è cælo cecidit: *Videbam satanam tamquam fulgur cadentem de cælo*. Et Psal. 147. *Ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum*. Et in Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis*; sed cur dicit: *Ignis Dei*, si hoc erat dæmonis opus? Quia etsi dæmon illum excitauit, non ideò dæmon creauit cum non valeat, nec id faciendi potestatem habeat: sed ab ipsomet Deo, ita ait Caietanus; vel secundum D. Thomam, & Lyranum Nicolaum, quasi à Deo missus, vt nobis innuat, quòd tribulationes propter nostram vtilitatem, & nostrum bonum à Deo permittuntur. Vel tandem, secundum nostrum mortalem sensum, vt ostendat nobis, quàm hoc sibi iniquum carnis vitium displiceat; quoniam cum ipsomet igne punit illud, & concastigat. De quo mirum habemus documentum in Apostolorum Actis cap. 24. vbi dicitur: *Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum: disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix, respondit: Quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te*.

Origenes. Chrysost.
Ignis quæ pecora Iobi cōsumit, qui fuit.
Luc. 10. 18.
Psal. 148. 8.
Psal. 103. 4.
Dæmon in forma ignis descendit.
Caietan. D. Thom. Lyran.
Deus cum igne punit peccatum luxuriæ.
Actor. 24. 24.

In quem locum aduertit Caietanus, quia Drusilla pulcherrima erat, & eam vsque adeò diligebat Felix, vt à prioribus eam nuptijs separauerit, quemadmodum auctor est Iosephus lib. 20. Antiquitatum cap. 9. Iccircò Paulum de casti-

Caietan.
Ioseph lib. 20. Antiquit. c. 9.

Dionysius Carthusian.

tate disputasse. Additq. Dionysius Carthusianus de illis tribus disseruisse Paulum, quoniam contra iustitiam ex incontinentia Felix Drusillam obtinuerat, eamque ob causam contremuisse Præsidem, cum audiret se propter vtrumque à Deo

Castitas non solum est terribilis dæmonijs, sed etiā hominibus voluptuosis.

iudicandum. Hinc duo notabilia extrahuntur; vnum, quòd castitas non solum est terribilis dæmonijs, sed etiam ipsis voluptuosis hominibus, qui cum primum audiunt, aut vident aliquem castè viuere, immò & sermonem à Concionatore haberi de laudibus castitatis, libidinis suæ, flagitiorumque memores, quasi audito aliquo magno tonitruo perterrentur.

Apoc. 14.2.

Virgines quare dicuntur habere vocē tonitrui magni.

Hinc est, quòd Apocal. 4. Virgines dicuntur habere vocem quasi tonitrui magni. Alterum est merito Paulum castitatem cum iudicio coniunxisse, & de vtroque simul coram homine vxorio disputasse, quoniam in obscœnos, libidinosósque homines Deus acerrimè vindicabit.

Apoc. 2. 14.

Hinc prouenit, quod Apoc. 2. dixit Christus Angelo, idest, Episcopo Pergamensi: *Sed habeo aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam* Balaam, *qui docebat Balach mittere scandalum coram filÿ* Israel, *edere, & fornicari*; *ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*. Quæ sententia ita legitur, nisi, quòd verbo idolotita additur, *edere*, vbi pro litterali expositione sciendum est primo, cum Rex Moabitarum hebræorum arma formidaret, auxilium à Balaam

Populus hebreus à Deo propter peccata flagellatus.

Ariolo postulasse, qui cum intelligeret populum non nisi à Deo propter peccata destitutum, vinci posse: dedit Regi consilium, vt selectissimas puellas prope exercitū hebræorum mitteret; quæ hebræos iuuenes verbis ad libidinē allicerent: tunc verò illis ad venerem incitatis sui copiam non permitterent, nisi prius idolothitis manducarent, idoloq. suaque simul portabant, venerarentur; quæ omnia fruendarum puellarum studio fecerunt, quemadmodum refertur Num. 25. im-

Num. 25.

Ioseph lib. 4 antiquit. c. 5.

mò, vt narrat Ioseph lib. 4. Antiquitatum cap. 5. Nonnulli nobiles hebræorū aliqua ex illis duxerunt vxores. Quod autem Balaam id consilij dederit, licet non connumeretur. Nu-

Num. 31. 16.

mer. 25. Aperte tamen colligitur ex cap. 31. eiusdem libri, cum dicitur: *Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios* Israel *ad suggestionem* Balaam, *& prauaricari vos fecerunt*? Quia

Nicolaitæ in quam heresim ce ciderunt.

igitur Nicolaitæ (vt superius diximus) in ea hæresi fuere, vt affirmarent non solum non esse malum fornicari, sed ad salutem plane necessarium. Propterea dicuntur hoc loco habere doctrinam Balaam, qui fornicationem consuluit. Secundo,

cundo,

cundo, aduertendum eſt ſcandalum nomen eſſe græcum ita dictum à ruina, quod nimirum occaſio ſit cadendi, hebraice autem maches à radice Iachas, quæ ſignificat irretire, illaqueare, offendere. Vnde eſt illud Pſal. 139. *Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*. Et 1. Reg. 18. *Dabo eam illi*, ideſt, Michol Dauid, *vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum*. Pſal. 49. *Aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum*. Et Pſal. 124. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*. Vbi hebraice pro venantium eſt *Zochefchim*, ideſt, illaqueantium. Locus eſt controuerſus Prouerb. 20. Quem doctrinæ cauſa libet hic euadere, ex hebræo ſic legimus, ruinam hebraice *Inocbe*, ideſt, homini deuorare Sanctos, & poſt vota retractare, quamquam Septuaginta aliter tranſtulerunt; quidam pro deuorare, legunt, deuotare, vt ſit duplex ſenſus, vnus eſt ruina homini, promittere ſe Sanctos perſecuturum, & iuxta vota emiſſa, eos deinde male tractare, quemadmodum videtur legiſſe, & intellexiſſe Beda in Commentarijs eiuſdem loci. Alter, quem tradit Lyranus, rui, & homini votum facere Sanctis, & poſtea votum reuocare. Verum rectius alij legunt deuorare: dictio enim hebræa plane ſignificat deglutire. Eſt autem hebraice ſic ad verbum ruina, ſeu laqueus eſt homini deglutire Sanctum, vel ſanctificationem, & poſt vota quærere: eſt enim ſecundum hanc lectionem, quæ verior eſt, duplex expoſitio; vna, ruina eſt homini deuorare rem Deo conſecratam, vel debitam, & poſtea per hypocriſim quærere vota, quibus Deus placatur. Cum nimirum eiuſmodi vota improbi hominis accepta Deo non ſint. Altera Caietani, laqueus eſt homini deuorare rem ſacram, vt primogenita, & alia debita Sacerdotibus ex lege, & etiam laqueus eſt poſt vota emiſſa inquirere an vota obligent, aut modum quærere non implendi votum, vt hoc vnico verſu duplex ſacerdotij genus comprehendatur. Quæ expoſitio ad modum probabilis eſt. Reprehenditur igitur hoc loco Pergami Epiſcopus propter Nicolaitas, quod ſcandalum alijs facerent, docentes licitam eſſe libidinem. Quam ob cauſam Balaamo comparantur, qui docebat Balach mittere ſcandalum contra filios Iſrael. Ex quo colligitur quantum malum ſit ſcandalum: ſi quidem Pergami Epiſcopus ex eo reprehenditur, quòd ſcandalum dantes Nicolaitæ, ferat. Tertio, reprehenditur, quòd non omnino ex ſuo libidinoſos homines exterminaret: hoc enim no-

Scandalum eſt nomen græcum.
Scandalū, ideſt, ruina.
Pſal. 139.6.
1. Reg. 18. 21
Pſal. 49. 20.
Pſal. 124. 7.
Prouerb. 20.
Septuaginta
Beda in Comment.
Lyranus.
Ruina eſt homini deuorare rem Deo conſecratam.
Caietanus.
Nicolaitæ licitā eſſe libidinem affirmabant.

mine

Nicolaitæ imitatores Balaam. mine censentur hoc loco Nicolaitæ, tãquam æmuli, & imitatores Balaam, quippe qui docebant, vagam venerem licitam esse. *Prælatus debet exterminare libidinem ex sua diœcesi.* Pertinet igitur maximè ad Prælati officium, libidinem, quo ad eius fieri poterit, exterminare, & concubinarios ex suæ Diœcesis finibus longe pellere, iuxta ea, quæ sanxit *Trident Synod. sess. 24. c. 8.* Tridentina Synodus sess. 24. cap. 8. Sic enim Sara, quæ typum gessit Ecclesiæ, cum vidisset filium Agar Ægyptiæ, hoc est, Ismaelem, ludentem cum Isaach filio suo, dixit Abrahæ, Gen. 21. 10. *Eijce ancillam, & filium eius*, vt in prima parte eiusdem Lectionis diximus. Debet igitur Episcopus, qui Abraham *Episcopus debet expellere libidinem & eius occasionem ex sua diœcesi.* exprimit, instructus Dei, & Ecclesiæ præceptis, cuius typus est Sara, ancillam, & filium eius è domo pellere, idest, libidinem, eiusque occasionem, quæ peccati quasi parens est, è sua Diœcesi exterminare, cum non satis est admonitio, nec vllo modo ferre Nicolaitarum sobolem, cum videat tam acerbè hoc loco Pergamensem Episcopum eam ob causam reprehendi. Immò iccirco etiam Pontificem Heli capitis de- 1. Reg. 4. 18. disse pœnas, vt refertur 1. Reg. 4. quòd filios, qui populum *Deus quare punit Heli sacerdotem.* à sacrificio extollebant, & cum feminis ad ostium tabernaculi deuotionis causa excumbentibns turpem consuetudinem habebant, leuiter obiurgasset, vt habes 1. Reg. 2. In 1. Reg. 2. 23. *Beda.* quem locum Beda iuxta litteram, inquit: N*on nigligenter intuendum, quòd corripuit quidem filios Heli, sed quia iuxta correptionem spernentis abijcere supersedit, vna cum ipsis disperijt. Quid ergo morentur, qui emendare non audent, & quod cunctus populus clamitat, nescire se simulant.* Hæc il- 1. Cor. 5. 1. le. Multo aliter se gessit Paulus 1. Cor. 5. cum illo, qui cum sua nouerca turpiter viuebat: cum enim satanæ tradidit Apostolus, quemadmodum ipse testatur, dicens: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat, ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui, vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine* Domini nostri Iesu Chri*sti, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute* Domini no*stri* Iesu*, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitu carnis, vt spiritus saluus sit.* *Satana traditio ab Apostolo Pau lo facta, cuiusmodi fuerit.* Cuiusmodi autem fuerit hæc satanæ traditio, non vno modo explicari solet. Primo sunt qui excommunicationem interpretantur, aientes eum hominem fuisse excommunicatum ab Apostolo, atque adeò separatum à communione fidelium. *D. Aug. ser. 68. de verbis Apost.* Quæ expositio est D Augustini serm. 68. de verbis Apostoli, & refertur 11. quæst. 3. cap. Omnes.

Omnes. D. Chrysost. homil. 15. in 1. epistolam ad Corint. D. Ambrosij ibidem, quamuis eius non censeatur esse Commentarij in epistolas Pauli. Diui Thomæ in Commentarijs eius loci, eamque innuit ibidem Theodoretus. Secundo, alij sentiunt illum hominem iubente Paulo fuisse arreptum à dæmone, Apostolosque habuisse potestatem dæmonia in rebelles homines immittendi, sicut & ille è corporibus pellenda ait Diuus Hieronymus in eum locum, & Claudius Guilliandus in Commentarijs super primam epistolam ad Corinth. & innuit etiam Theodoretus ibidem. Tertio, alij ægritudinem interpretantur ministerio dæmonis illatam, quemadmodum exponit Diuus Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 13. Vbi docet hanc traditionem fuisse similem illi, quæ permissa est potestas dæmoni in Iob cap. 2. Tunc addit: *Magna potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo, vt seipsum destruat; se enim destruit, cum hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem efficit; quia dum carnem debilitat, mentem corroborat. Illuditur ergo diabolus, vt seipso morsu suo vulneret, & contra se armet quem debilitandum putauit, sic & sanctum* Iob *magis armauit postquam vulnerauit, quia diaboli quidem morsum protulit, sed venena non sensit: quam ob causam dictum est* Iob 40. *Educes draconem in homo, illudes eum, sicut auem, ligabis eum sicut passerem, puer imponet super eum manum.* Hæc ille. Eodem modo locum intellexit D. Chrysostomus hom. 15. in epist. ad Corinth. qui etiam exemplo Iob vtitur; & subiungit: *Non dixit dare huiusmodi satanæ, sed tradere, aperiens ei pœnitentiæ ianuas: Et tamquam pædagogo huiusmodi tradens.* Hæc ille. Caietanus etiam de vexatione corporali locum accipit, quæ mortem, non tamen repentinam afferet. Denique de vexatione corporali facienda per dæmonem, quæ tamen excommunicationem consequeretur, interpretatur Vgo Cardinalis. Quod enim dæmon hominem excommunicatum accedat, docet Athanasius Papa ad Episcopos Hispaniæ, & refertur 11. quæst. 3. cap. *Absit, inobediens,* inquit, *spirituali animaduersione truncatur, & eiectus ab Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur.* Hæc ille. Et D. August. serm. 68. de verbis Apostoli, lusum Pauli citatum interpretatur in eumdem sensum: *Omnis,* inquit, *Christianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, satanæ traditur:* & habetur eadem causa, & quæstione cap. Omnis, idem habens

D. Chrysost. hom. 15 in 1 epist ad Corinth.
D. Ambr. ib d.
D. Tho. in comment. eius loci.
Theodoretus.
D. Hieron.
Claudius Guilliandus in commentarijs super 1 epist ad Cor.
D. Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 13.
D. Chrys. hom. 15 in 1. epist ad Corinth.
Caietanus.
Vgo Card.
Athanas. Papa ad Episc. Hisp.
D. August. ser. 68. de verbis Apostoli.

ibidem cap. Audi, ex D. Hieronymo; & quia fortassis nimium digressi sumus, ad iter nostrum, vnde exiuimus redeuntes, verum equidem est, vt dixi, quod Deus irascens, propter hoc peccatum, præcipit ei, eique tam dira flagella permittit.

Deus propter peccatum libidinis irascitur.

Et quia contrariorum est disciplina, mirum non est, si illi, qui seruant castitatem, Angelis æquales dicuntur, iuxta illud Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut* Angeli *Dei in cælo*. Sic enim eum locum intellexit D. Ambrosius lib. 1. de Virginibus: *Quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas Angelos fecit, qui eam seruauit* Angelus *est, qui perdidit diabolus. De resurrectione quid dicam? Cuius præmium iam tenetis. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut* Angeli *in cælo, quod nobis promittitur vobis præsto est, votorumque nostrorum vsus apud vos est, de hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo: sæculum nos habere meruit, tenere non potuit*. Hæc ille affirmat; & D. Cyprianus lib. de disciplina, & habitu virginum: *Cum castè*, inquit, *perseuerate virgines Angelis Dei estis æquales*. Hæc ille. D. August. lib. vnico de sancta virginitate cap. 23. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu, communitas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio*. Hæc ille. Idem sentit D. Bernardus epist. 2. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Quid castitate decorius? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed facilitate, non virtute: etsi illius castitas felicior: huius tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore, statum quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat*. Hæc ille. Et his antiquior Tertullianus lib. 1. ad vxorem, de virginibus loquens, sic ait: *Deo speciosæ sunt puellæ, cum illo viuunt, cum illo sermocinantur, illum diebus, ac noctibus tractant, orationes suas, velut dotes,* Domino *assignant, ab eodem dignitatem, veluti munera maritalia, quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerant, ac iam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur*. Hæc ille. Quam eamdem ob causam Psal. 44. in quo de purissimis inter Christum, & Ecclesiam, immò, & quamcumque etiam sanctam Virginem nuptijs disseritur,

Matt. 22. 30.

D. Ambr. lib. 1. de virgin.

D. Cyprianus lib. de disciplina & habitu virginum.

D. August. lib. vnico de sancta virginitate. cap. 23.

D. Bernard. ep. 2. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum.

Tertull. lib. 1. ad vxorem de virginibus.

Psal. 44.

ſcritur, inſcribitur apud Septuaginta, ijs, qui *commutabuntur*: hebraicè autem *ſuper lilia*, vel *pro lilijs*; vbi per lilia virgines intelligit D. Hieronymus, qui iuxta inſcriptionem hebraicam dicuntur commutandi in Angelos, videlicet quorum in hac vita puritatem æmulentur. Vnde D. Hieronymus teſtatur, ſe iccirco eum pſalmum pro virgine exponere voluiſſe, eo quòd inueniſſet in titulo lilia, & flores, quæ pertinent ad virginitatis immortale decus.

Septuaginta *D. Hieron.* *Lilia pro virginibus vſurpantur.* *D. Hieron.*

Merito igitur caſtitas vocatur virtus Regalis, iuxta illud Pſal. 50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me*. Vbi D. Hieronymus tranſtulit, *ſpiritu potenti*, Felix *ſpiritu munifico*, ſeu *liberali*, eodemq. modo Paraphraſtes Chaldaicus, alij *ſpiritu nobili*, Septuaginta *ſpiritu principali*. Quæ omnia eodem recidunt. Sotinus enim viros munificos, ac liberales appellare Principes. Non deſunt etiam qui transferant *ſpiritu voluntario, & ſpontaneo*, quamquam verò multi hoc loco per ſpiritum principalem Spiritum ſanctum accipiant: tamen rectè etiam alij de ſpiritu humano rectè intelligi poſſe arbitrantur, in quibus eſt Titelmannus in ſuis admonitionibus ex hebræo ſuper Pſal. vt nimirum Dauid, qui per concupiſcentiam carnis collapſus turpiter fuerat, poſtulet ſpiritum quemdam potentem, ac validum, quo poſſit petulantiam carnis comprimere, ſpiritum, inquam, caſtitatis, & continentiæ, qui iure optimo appellatur ſpiritus principalis, quia dignius ſit Principe; quaſi dicat Dauid; cum adulterium perpetraui Domine, & è ſublimi regiæ dignitatis culmine ad infimum, & abiectum quemdam ordinem delapſus ſum, oblitum me principem, ac regem eſſe, ergo deinceps confirma me ſpiritu caſtitatis, quo rurſus regem, & principem referam. Id, quod vſque adeò verũ eſt, vt caſtitas per anthonomaſiam, ſiue excellentiam, grauitas, & maieſtas dicatur; ſic enim plerique exponunt illud ad Titum 2. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*. Etenim pro *grauitate*, Auctor Commentariorum in epiſtola Pauli prædicta, quæ adſcribitur D. Hieronymo, legit caſtitate & verò nomen græcum non ſolum grauitatem, & maieſtatem, ſed etiam caſtitatem ſignificat. Cernis igitur grauitatem eo loco, ſeu vt etiam verti poterat, maieſtatem intelligi poſſe caſtitatem, quæ vſque adeò regia, & imperatoria eſt virtus, vt per excellentiam maieſtas appelletur. Et

Caſtitas virtus regalis. Pſal. 50. *D. Hieron.* *Felix.* *Paraphr. Chaldaicus.* Septuaginta. *Sotinus.* *Spiritus principalis, id eſt, Spiritus ſanctus.* *Titelmannus in admonitionibus ex hebræo ſuper Pſalm.* *Caſtitas ſpiritus principalis appellatur.* Tit. 2. 7. *Auctor commẽt. epiſt. Pauli prædicta.* *Grauitas poteſtate vſurpatur*

quod est consequens, eum, in quo est, Regem, ac Principem faciat, quem omnes reuereantur. Iccirco etenim sequitur, *vt is, qui aduerso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis*. Etenim castitas vtpotè realis virtus, reuerentiam possessori conciliat, etiam apud ipsos æmulos, qui cum eum, cui inuident, castum videant, nihil præterea sibi reliquum esse putant: quod illi per incuriam, & ignominiam possint obijcere, *vt is*, inquit, *qui ex aduerso est, vereatur nihil habens dicere de nobis*.

Castitas conciliat æmulos.

Simile.

Hinc est, quod virginitas, & castitas assimilatur circulo galaxiæ; & hoc propter quinque. Primo propter decorem, & pulchritudinem; nam Galaxia est circulus cælestis ceteris circulis pulchrior: & similiter de virginitate, ait Cyprianus, quod est flos Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritualis, & illustrior portio gregis Christi. Secundo, Galaxia est candidissima. Ideò appellatur via lactea: & iste candor reperitur in virginitate. Vnde Eccles. 45. *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus*. Tertio, Galaxia est splendidissima: nam inter omnes circulos cælestes meliorem habet claritatem. Sic virginitas in cælo habebit singularem splendorem gloriæ; nam ei dabitur aureola. Vnde Isaias 13. *Stellæ cæli splendor earum*. Quarto, propter fixionem; nam Galaxia (vt auctor est Philosophus) non recedit ab vno loco orbis, quod intelligitur quantum ad apparentiam propter motum tardissimum; quia in rei veritate compertum est, quod Galaxia mouetur motu stellarum fixarum, scilicet, in centum annis vno gradu; & hæc immobilitas competit virginibus, & castis, qui ita inhæserunt Christo, quod numquam ab eo potuerunt separari. Vnde Apost. Roman. 6. *Quis nos separabit à caritate Christi?* Quinto, & postremo, & ad nostrum faciens institutum, propter honorem: est enim virginitas, & castitas tanto laudabilior, quanto sublimior; eius autem sublimitatem ostendit Galaxiæ situs, quæ medium tenet inter duas partes cæli inæquales. Virginitas similiter medium cæli tenet; namque Angelis debetur, & hominibus, inter quos quasi media est virginitas, habens cum hominibus communem carnis fragilitatem; sed cum Angelis habet communem, & quasi super homines incorruptionis integritatem; & sic virgo, & castus cum omnes excedat in dignitate, regalis protapia appellari posit. Iccirco illa centum quadraginta quatuor millia,

Castitas assimilatur circulo Galaxiæ.

Cyprianus,

Eccle. 43. 20.

Virginitas in cælo habebit singularem splendorem.

Isai. 13. 10.

Aristot.

Casti sunt immobiles quia adhærent Christo.

Castitas honorabilis.

Virginitas inter homines, & Angelos,

lia, quæ Apocalyp. 14. Ioanni apparuerunt supra montem Sion simul cum Agno, vt vult Augustinus, libro de Virginitate capite 27. virgines erant; quodque sequentia verba demonstrat, dicentia: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: & habebant nomen Agni, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis*. Primo (vt auctor est Riccardus de sancto Victore) habebant scriptum nomen Agni in frontibus, idest, fidem Agni, qua Christiani dicuntur: & nomen Patris eius, idest, fidem patris eius, qua Dei filij nuncupantur. Quam fidem habebunt sculptam in frontibus per manifestam, & publicam confessionem. Secundo, habebant nomen Dei scriptum in frontibus, vt exponit Vgo Cardinalis, quia eodem Dei nomine appellantur, hoc est, Dij: nam etsi ea appellatio iudicibus, & principibus tribuitur, iuxta illud Psalm. 81. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes*: cur non etiam virginibus tribuetur, qui iure optimo propter puritatem, & minimam cum terrenis rebus concretionem diuinam nomenclaturam videntur promereri? Est enim diuinum quiddam in carne supra carnem viuere. Quam ob causam diuina similitudo potissimum virginibus tribuitur in sacris Litteris: nam postquam dixisset Ioannes: *Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, continuo subintulit. *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*: seu (vt legit D. August. tract. 4. in epist. 1. Ioannis) *castificat se*: quibus verbis cernis castitati potissimum tribui à Ioanne diuinam ipsam similitudinem, quæ beatifica diuinæ essentiæ visione continetur. Id, quod etiam non obscurè Dominus significauit Matth. 5. cum dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; cui consonat illud Pauli Hebræor. 12. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Vbi pro *sanctimonia* communiter Græci, & plerique ex Latinis interpretantur de castitate. Sic habent D. Chrysostomus in epist. ad Hebræos in cap. 2. Theodoretus, Theophilactus epist. ad hebræos, Cassianus lib. 6. cap. 16. D. Anselmus, D. Thomas in eum locum, D. Hieronymus in cap. 47. Ezech. D. August. epist. 112. quæ est de viuendo Deum, ad Paulinum cap. 5. Tertia denique ratio est, quæ ad nostrum facit institutum, gestant virgines nomen Agni, & nomen Patris eius scriptum in frontibus, vt ab hominibus

Apoc. 14. 1.
August. lib. de virginit. c. 27.
Riccardus de S. Victore.
Virgines quare nomen Agni in frontibus gestāt.
Vgo Cardinalis
Psal. 81. 6.
Virginitas est quoddam diuinum in homine, & muliere.
D. August. tract. 4. in epist. 1. in Ioan.
Matt. 5. 8.
Heb. 12. 14.
D. Chrys. in ep. ad Hebr. in c. 2.
Theodoret.
Theophil. epist. ad hebræos.
Cassianus lib. 5. c. 16.
D. Anselmus.
D. Thomas in eum locum.
D. *Hieron. c. 47. Ezech.*
D. Aug. ep. 112. quæ est de videndo Deū, ad Paulinum cap. 5.

agnoscantur tamquam filij summi Principis: aut certe ex regia familia, & regio prognati sanguine, nimirum tamquam Principes quidam, qui ijsdem insignibus, ac titulis cum ipso Rege, ac Principe decorantur: non ob aliud, inquam, quam, vt demonstret, quod quemadmodum casti, & virgines summopere ei grati sunt, & cari: sic è contrario incontinentes, & libidinosi, ei, & inimici, & infensi existunt.

Ite in pace.

Amen.

VIGESIMATERTIA LECTIO.

De tribus peccatis capitalibus.

IN QVA DE TRIBVS PECCATIS capitalibus, videlicet, libidinis, superbiæ, & auaritiæ disseritur.

Sed & adhuc illo loquente, venit alius, & di- Iob 1. 17.
xit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio: & fugi ego solus, vt nunciarem tibi.

PRIMA PARS.

DVM verè ira capti, insanoque furori omnino se tradunt, atque committunt sic affabre homines operari solent, qui nempe suum hostem persequentes, & dire illum ferientes; si primo, secundo, & tertio ictu non cadit, eo vsque reiterant, quousque eundem prosternunt, & interficiunt. Et ecce hic noster capitalissimus hostis infernalis, quod non sufficit ei vnica, vel duplicata vice, & cum amissione bouum, asinarum, ouium, & earum custodum obitu sanctum Iobum percussisse; sed ad tertium accedit ictum: & Chaldæis in ipsum consiliantibus, efficit, vt isti, custodes etiam interimentes, omnes camelos, ac cuncta

Irati numquam suum hostē persequi derelinquunt.

reliqua animalia furentur, & surripiant. De primis duobus malis iam in transactis Lectionibus satis locuti fuimus: nunc in præsente hoc tertium flagellum discutiemus. Attendite.

Lectionis diuisio in tria capita.

Chaldæus pro sapiente capitur.

SEd adhuc illo loquente, &c. Et primum à vobis notandum est, hoc Chaldæum nomen aliquando pro sapiente capi, & intelligi; & tam importat dici Chaldæus, quam sapiens: & de hoc facinore prolixe in lib. 16. Strabo scribit; & D.Hieron.super Ezech c. 11. ait: Chaldæus, idest, dæmon, hoc est, sciens: benè verum est, quod hoc in loco non quidem hoc in sensu accipit, sed profectò pro quodam peculiaris gentis genere, illa in prouincia ortæ, quæ Chaldæa vocatur: quemadmodum dicimus Italos in Italia natos: quæ Prouincia, cum in Arabia sit deserta, & consequenter à terra Hus, in qua Iob habitabat, remota, necesse igitur fuit, quod de longinquis partibus, vel procul, vt certe furarentur hos Iobo camelos, proficiscerentur, cum hæc gens iam hunc operandi, atque viuendi ritum profitebatur: vnde Abacuch.c.1. ait: *Ego suscitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua.* Et Xenophontes lib. 8. de præda Cyri inquit, rapina viuere Chaldæos. Nunc ergo hi terræ Hus per territorium, ac regionem vagantes, vbi Iob habitabat; & tres facientes turmas, hoc est, tres in partes se diuidentes, vt verò consonat militari bene disposito ordini, sicuti Iudic. c.9. legitur, idest, *Abimelech tulit exercitum suum, & diuisit in tres turmas.* Vnde accidit, quòd in Genesi c. 32. antequam Iacob in arte militari instructus existeret, dicitur, suas gentes duas in turmas diuisisse: verum, cum inde ob luctam cum Angelo habitam perbelle instructus fuit, suo occurrens fratri Esau, quem, tamquam suum hostem, formidabat, tres in ordines, tresq. in partes suas gentes diuisit. Totum hoc dicere volui, vt vobis artificium, ac industria, qua dæmon in Iobi nostri persecutione vtitur, innotesceret. Hi ergo tres in ordines diuisi, ac bene muniti, & dispositi, famulos, ac custodes percutientes, omnes furati fuere camelos. Et hoc quo ad litteræ sensum sufficit. Sed quo ad misticum sensum quid nam cogitatis tres esse Chaldæorum turmas, nisi tria capitalia peccata, quibus asidue hic noster aduersarius hominem, ac mulierem solicitare, & demoliri quærit?

Strabo lib 8 de sa inora
D.Hieron.super Ezechiel c 11.
Dæmon, idest, sciens.
Chaldæi quem viuendi ritum obseruabant.
Abac.1.6.
Xenoph. lib. 8. de præda Cyri.
Militaris exercitus quomodo diuiditur.
Iudic.9.43.
Gen. 32. 7.
Iacob ob luctam cum Angelo fuit instructus in arte militari.
Chaldæorũ tres turmæ tria peccata capitalia significant.

Quinque sunt hominis ætates, infantia prima, secunda adole-

adolescentia, virilitas tertia, quarta senectus, & quinta decrepitas: attamen ætates perfectæ tres existunt, scilicet, adolescentia, virilitas, & senectus. Modo, quid hic noster infernalis hostis peragit? Bellans, de omnibus his ætatibus vna victoriam reportare inuestigat: ita, quod accingens se ad adolescentiam pugnandam, inde in virilitate iterat, & denique idem in senectute perficere non remanet. Et demum vsque ad mortem ad nostrum incumbit exitum: & ecce vt fiat, & adimpleat, quemadmodum tres sunt ætates, sic etiam tres sunt moles, seu connexiones, quibus vtitur idem, scilicet prima concupiscentia, & gula: secunda superbia, & ambitio: tertia, res, & auaritia. Cum luxuria, & gula adolescentiam pugnat; cum superbia, & ambitione virilitatem; & denique cum re, & auaritia senectutem. Sed certum est, quòd homo Microcosmos græce appellatur, scilicet paruus mundus; & hoc non modo quia virtualiter omnes continet creaturas, & illas, quæ habent esse, sicuti petræ: & illas, quæ augumentum habent, sicuti plantæ: & illas, quæ sensum habent, sicuti bruta: & illas demum, quæ habent intelligentiam, quemadmodum Angeli: sed quia etiam in ætatibus, & in passionibus mundum imitatur. Mundus in Adam adolescens extitit, virilis in gigantibus, & erit senex in fine ad iudicium: & ecce, quod etiam in Adam eum aggressus est dæmon gula, & concupiscentia in prohibito pomo: superbia, in Nembroth, & gigantibus, cum Babylonica turri: & in fine auaritia aggredietur eumdem cum thesauris Antichristus; & idem agit in homine, paruo mundo; incontinentia aggreditur eum in adolescentia, superbia in virilitate, & in senectute auaritia: vbi iure hic noster infernalis inimicus dracon nuncupatur, iuxta illud Psal. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.* Et Psal. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Quem patres communiter pro dæmone accipiunt hoc in loco: etsi alias hoc vsi simus comparatione; modo tamen diuersa dicemus. Est igitur notandum quod his locis est sermo ad litteram de leuiatan, siue cœto, & dupliciter exponitur, vno modo iuxta sententiam Rabbi Kimhi, vt dicitur, cœtus creatus est à Deo, vt ludat in mare, ceteraq. aquatilia, omniaque contemnat, & deuoret. Altero ad illudendum ei, idest, vt illudatur ei, videlicet, vt homines, postquam eum cœperint, ei illudant, & insultent: quæ

Hominis quinque sunt ætates.

Diabolus de omnibus hominis ætatibus victoriam reportare conatur.

Diabolus tribus armis vtitur cõtra homines, & mulieres.

Luxuria, & gula adolescẽtiam pugnat.

Superbia, & ambitio virilitatẽ pugnat.

Auaritia senectutem pugnat.

Homo græcè microcosmos appellatur.

Homo mundum in ætatibus imitatur.

Diabolũ pugnat cum homine, sicut cum mundo.

Psal. 90. 13.

Psal. 103. 16.

Draco pro dæmone accipitur.

Draco quomodo illuditur.

vtraque

veraque expositio cadit in dæmonem, de quo sub typo cœti sermo est, vt, cum Deus fecerit, tum, vt hominibus illuderet, tum, vt ei ab hominibus illuderetur: priorem expositionem sequntus est D. Hieronymus, dicens: *Datus est in hoc mundo ad illudendum nobis, quantos enim monacos, & clericos praecipitauit?* Hæc ille. Posteriorem D. Augustinus conc. 4. in Psal. 110. dicens: *Illude draconi ad hoc enim factus est draco*. Hæc ille. Id, quod etiam dicitur Iob 40. de Behemoth, siue de Elephante in typum dæmonis, etenim pro eo quod nos habemus, *ipse est principium viarum Domini, qui fecit eum, applicabit gladium eius*; Septuaginta transtulerunt, *hoc est principium fictionis Domini, factum, vt illuderetur ab Angelis eius*: Et vtramque translationem sic interpretatus est D. Hieronymus: *Qui fecit eum applicabit gladium eius, idest, malo, quo alios interimit, ipse punietur: sicut & de eius similibus dicitur Psal, 36. Gladius eorum intret in corda ipsorum*. Hæc ille. Præterea ipse est initium figmenti Domini, vt illudatur ab Angelis eius, idest, Sanctis: ab his illuditur quando per gratiam sancti Spiritus eis subditur, & inuocatione nominis Christi ab obsessis corporibus effugatur. Eodem sensu idem Doctor accipit illa alia verba eiusdem capit. *Numquid illudes ei?* idest, leuiatan *quasi aui? Aut ligabis eum ancillis suis*, seu (vt Septuaginta reddiderunt) *illudes ei quasi aui? aut ligabis eum tamquam passerem puero?* Quod, inquit, quasi auis illud perhibetur, quasi res parua, & minima ad potentiam Dei habeatur, auis nomine voluit demonstrare, quodque alligandus armillis dicitur, illud est, quod ipse Dominus dicit Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Quod vero iuxta Septuaginta dicitur: *Alligabis eum sicut passerem infantulo*, habetur Isaiæ 11. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, Qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Hunc enim infantem accipere debemus vnumquemque Sanctorum, qui de fronte, idest, de vtero matris Ecclesiæ, tamquam infans Deo renascitur. De dæmonibus etiam accipiunt Remigius, & Augustinus locum illum Ps. 73. *Contribulasti capita draconum in aquis: tu confregisti capita draconis; dedisti eum escam populis Æthiopum*. *Draconum capita*, inquit Agustinus, *idest, dæmoniorum superbias; à quibus gentes possidebantur, contriuisti super aquam*.

quia

Dæmon quomodo illuditur. *D. Hieron.* *D. August. conc. 4. in psal. 110.* Iob 40.14. Septuaginta. D. Hieron. Psal. 36.15. *Dæmon quomodo à Sanctis illuditur.* Septuaginta. *Diabolus per auem intelligitur.* Luc. 10.19. Septuaginta. Isa. 11. 8. *Remig.* *August.* Psal. 73. 13. *Dæmoniorum superbia.*

quia eos per batipſmum liberaſti. Deinde, confregiſti caput draconis, ideſt, ſuperbiam, quæ eſt initium omnis peccati: & veluti caput ſerpentis, iuxta illud Eccleſ. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia. Dediſti eum eſcam populis Æthiopum, hoc eſt, populo gentium, qui ante conuerſionem nigri erant inſtar Æthiopum, quemadmodum indicauit* D. Paulus Eph. 5. *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Sed quo modo acceperunt iſtum draconem in eſcam? Puto, quia magis Chriſtum acceperunt in eſcam; ſed Chriſtum; quo ſe conſummarent, diabolum, quem conſumerent.* Hæc Auguſtinus. Eccleſ. 10. 15 Epheſ. 5. 8.

Ex his palam eſt, dæmonem draconem appellari: remanet nunc eius condiciones percurrere. Primo dracones habitant in locis calidioribus, quoniam præcipue dæmones adoleſcentiam, quæ ætas vegetior eſt, & ardentior libidinis, aliarumque paſsionum, facibus infeſtant. Accedit, quod in libidinoſis hominibus præcipue habitant; appellari autem libidinem, ac luxuriam ignem præcipuum eſt ex Iob 31. vbi dicit: S*i deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ad oſtium amici mei inſidiatus ſum. Scortum alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij. Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima. Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans; & omnia eradicans genimina,* hoc eſt (vt interpretatur D. Hieronymus) omnia dona virtutum deuorans, atque vniuerſa in homine ſanctarum rerum incrementa conſumens. Ideoq. recte dracones circa turrim Babel dicuntur habitare, quoniam dæmones libidinis vitio, Babel, ideſt, confuſionem; mentiſque perturbationem, & amant, & efficiunt: ibiq. potiſſimum habitant. Quam ob rem dæmon rex Babylonis appellatur à D. Greg. lib. 7. moral. c. 16. Vbi expendens quo modo Nabuchodonoſor rex Babylonis filios regis Sedeciæ, ante ipſius oculos trucidari præcepit, vt refertur Ierem. 36. ſic ait: *Occidit rex Babylonis filios* Sedeciæ *in* Reblatha *in oculis eius; & omnes nobiles* Iuda *occidit rex* Babylonis; *oculos quoque* Sedeciæ *eruit. Rex* Babylonis *eſt antiquus hoſtis, poſſeſſor intimæ confuſionis, qui prius filios ante intuentis oculos trucidat, quia ſæpe ſic bona opera interficit, vt hæc ſe amittere, ipſe, qui captus eſt, dolens cernat; & ad hoc quandoque eo peccati vſu perducitur, vt ipſo quoque rationis lumine priuetur. Vnde rex Babylonis, extinctis prius filijs, Sedeciæ oculos eruit, quia malignus ſpiritus ſubductis prius bonis operibus,* *poſtea*

Diabolum draco appellatur.

Iob 31. 9.

Ignis pro libidine vſurpatur.

D. Hieron.

Dracones circa turrim Babel habitare quare dicuntur.

D. Gregor lib. 7. moral c. 16.

Ierem. 39. 6.

postea intelligentiæ lumen tollit. Hæc ille.

Diabolus media carnalitate facit homines, ac mulieres insanire.

Et quidem ita hominem, ac mulierem hoc carnalitatis medio hic noster dirus hostis vexat, quod sæpe sæpius ad id eos conducit, & reducit, quod insani, ac frænetici videntur. Verum est, quod in præterita Lectione luculentur hoc de iniquo vitio actum fuit: nihilominus quod tunc non tetigimus, nunc tangemus; & præsertim vbi tunc actum fuit de carnali vitio in seipso: nunc de dæmone agemus, qui hoc vtitur medio, vt excitet, & destruat homines, ac mulieres. In quam igitur, quod interdum hoc medio sic eos insanire facit, quod ferè fræneticos (vt dixi) eosdem reddit. Vidistis ne vos comitiali morbo laborantes? Hic morbus (vt experientia probatur) nisi in adolescentiæ ætate non accidit: Et hoc contingit, quia, cum illa ætas satis humidæ complexionis, ac sanguineæ sit, magis etiam Luna eam prædominatur, & consequenter huic morbo magis etiam fit subiecta, quam aliæ ætates. Sed dicite mihi, quos nam effectus parit, & affert homini, mulierique hic morbus? Dicam ego. Præter alia tormenta facit eum contorquere, spumam emittere, in terram cadere, & (quod magis refert) ad id eum ducit, quod à semetipso in limum immergere facit, & in puluerem, & in aquam, & demum quoque in ignem: *Miscuit Dominus in medio Ægypti spiritum vertiginis*. Quid nempe Deus egit Ægypto? ait Isaias cap. 15. Dedit ei spiritum vertiginis, comitialem morbum in eum infudit. Qui nam morbus hic est? Carnalitas, inhonestas, dedecus. Quid enim hoc efficit vitium? Comitialem morbum generat. Vertiginis spiritus sic homines, ac mulieres iudicij, ac ingenij acie priuat, quod tamquam frænetici in quodcumque limi genus se immergunt, & immiscent, scilicet, libidinis: modo in adulteria, modoque in stupra, nunc in incestus, & etiam in illa crimina, quæ ipsamet natura tam respuit, & abhominatur: & hoc medio dæmon tantæ virtutis est, quod homo, honorem, facultatem, rem, ipsamque vitam parui æstimat nihilique pendit, iuxta illud Roman. 6. *Stipendia peccati mors*. Vbi D. Thomas aduertit, stipendia mercedem esse militum. Et quoniam libidinosi peccatores huic peccato militant, membra sua exhibentes arma diaboli, vt paulo ante dixit idem D. Paulus: iccirco mortem appellari stipendium huius peccati, quam, videlicet, retribuit sibi seruientibus. Aduertendum est autem pro *stipendijs* esse græce *obsonium*; olim etiam

Simile.

Morbus comitialis, quid sit.

Morbi comitialis effectus.

Isa. 19. 14.

Carnalitas est morbus comitialis.

Homo propter sensualitatē honorem, facultatem, & vitam paruipendit.

Roman. 6. 23

D. *Thom.*

Mors est stipendiū peccati sensualis.

etiam solis obsonijs contenti erant milites: Qua re eleganter D. Paulus mortem huius peccati *obsonium* appellauit. Si quidem homines libidinosi leuissimis de causis, & propter obsonium quoddam, victumque voluptatis abiectissimum, mortem animi, & corporis suscipiunt: immò, & secundam mortem apud inferos incurrunt. Itaque, cum obsonium dari soleat ad vitam sustentandam, libido pro obsonio dat mortem ipsam, & interitum sempiternum. *Homines libidinosi leuissimis causis mortē animi, & corporis suscipiunt.*

Altera condicio draconis est, vt ipse ex genere alatorum sit; & hoc conuenit diabolo propter superbiam, qua secundam hominis percutit, & persequitur ætatem: nam diabolus super omnia conatur ascendere, vt ipsemet Isai. 14. confitetur. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Et ad hoc homines conatur attrahere sciens, quod superbia omnium malorum radix, & origo sit, ac Deo super omnia odibilis. Vnde D. Chrysostomus homil. 1. in 2. Paralipomen. 26. expendens illa verba: *Eleuatum est cor Oziæ in interitum suum, & neglexit Dominum* Deum *suum: ingressusque templum Domini voluit adolere incensum*, ait; *Elatio periculosum vulnus: est enim malorum omnium fons; &, vt compendio discas morbi malitiam, illud audi, cetera quædam peccata circa nostra versantur naturam, at superbia virtutem incorpoream è sublimi detraxit, ac deiecit, eò, quòd diabolum, cum diabolus non esset, vt hoc esset, efficit, nimirum diabolus, in quod testem adducam* Isaiam 14. *ita de illo loquentem, in cælum ascendam, & ero similis* Altissimo. Et infra. *Peccauit superbia diabolus, & insuper suasit Adam. vt conciperet cogitationem sua condicione maiorem, sibiq. cum Deo speraret æqualitatem. Si enim, inquit, hæc res me cælo expulit, multo magis eadem hunc eÿciet e paradiso: vnde scriptum est, Deus superbis resistit; non dixit Deus superbos dimittit, & in peccatis deserit, suoq. nudat auxilio; sed aduersatur, inquit, non quod instructa acie, aut pugna Deo sit opus aduersus superbum: quid enim esse posset superbo infirmius? Nam, vt qui orbatus est oculis omnium, oppositus inest iniuriæ: ita & superbus, qui non videt Dominum; nam superbia (vt inquit Scriptura) est non esse Dominum, etiam ab hominibus facile superatur, posteaquam excidit ab illius luce: quod si etiam validus, ac potens esset superbus, nihil opus esset* Deo *exercitu aduersus illum, quandoquidem & voluntas sufficiebat illi ad inuertenda omnia: multo magis sufficeret ad tol-*

Draconis altera condicio.

Isa. 14. 13.

D. Chrysost. homil. 1. in 2. Paralip. 26.

Elatio periculosum vulnus.

Elatio fecit diabolum, de non diabolo.

Deus superbis resistit.

ad tollendos illos; cur igitur resistit? quo vehemens odium declarat erga superbum. Hæc ille. Vbi cernis de mente Chrysostomi superbiam fontem esse omnium malorum: & odiosiorem apud Deum ceterorum peccatorum reperiri.

Superbia fons omnium malorum.

Ratio huius rei est; quia, sicut Christus auctor omnium bonorum in mundo veniens pacem tamquam fontem, & originem aliorum attulit: vnde in eius natiuitate Angeli canentes dixerunt: *Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sic diabolus superbiam, ex qua oritur discordia, tamquam omnium malorum radicem, seminauit: vnde Prouerb. 13. *Inter superbos semper sunt iurgia*; quod duabus de causis accidit: prima quia id est innatum, & ingenitum superbis; & suæ propriæ sententiæ, & voluntatis semper sit amicissimus, ita, vt, si opus fuerit, eam in vxorem accipiant, quam nulla de causa alterius iudicio postponunt. Cumque inter superbos contrariæ sint voluntates, & sententiæ; perinde est necesse, vt statim inter eos discordia suboriatur. Secunda causa, & ratio est, quia pax, & amor, donum quoddam est pretiosum, quod (vt Ecclesia inquit) mundus dare non potest, sed Deus tantum, quod ipse hominibus tribuit, ea lege, vt ipsi honor, & gloria debita relinquatur. Qua propter (vt dixi) Angeli in natiuitate Domini canebant: *Gloria in excelsis Deo, &c.* Id quippe est iustum, & rationi consentaneum, vt, cum quis aliena vsurpauerit quod proprium, & quod suum est, amittat. Quo circa quando homines superbia elati, honorem, & gloriam ambiunt, aliena vsurpantes, Deus pacem illis denegat; & ita multoties solet euenire, vt ea, quibus superbi honorem, & gloriam curant, sint illis materia, & fundamentum discordiæ; neque pacem amissam vmquam recuperare possunt, nisi desideria alienæ gloriæ reliquerint: & cum talibus desiderijs à Deo pacem expostulent, in vanum operam perdunt; nam respondebit illis. Ego pacem è medio vestrum sustuli, quia vos honorem mihi soli debitum, & gloriam rapuistis. Date mihi gloriam meam, & ego pacem vestram vobis tribuam: nam bene scitis esse scriptum Isai. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Et iterum 1. Timoth. 1. *Soli Deo honor, & gloria.* Vnde iam clare constat discordiam exoriri ex superbia, quæ maxima infirmitas est, cum ex grauissimo malo originem ducat: & ideò præclarè sapiens Prouerb. 6. ait: *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.*

Luc. 2. 14.
Superbia gignit discordiam.
Prou. 13. 19.
Superbus est suæ voluntatis amicissimus.
Pax, & amor donum est pretiosum.
Homines superbi aliena vsurpant.
Superbi pacem recuperare non possunt.
Isa. 42. 8.
1. Tim. 1. 17.
Prouer. 6. 16.

eius. Septimum, hoc est: *Qui seminat discordiam inter fratres*. Hinc conspicis in quantum Deus odio habeat superbiam, & elationem; & quod verè sit proprium diaboli instrumentum, quo homines percutit, & persequitur. *Deus in quantum odit superbiam.*

Insuper nota, superbiam Deo super omnia peccata displicuisse, pluribus quod apparet de causis. Primo, quia superbia Deum impugnat in omni loco, in omni tempore, & in omni persona. Impugnat Deum in omni loco, quia fornicatio, & multa alia peccata, numquam, aut raro in sacro loco, aut in aliorum comitatu committitur: sed superbia in his locis, magis exercetur. Vnde Diuus Gregorius; Cum omnia vitia fugiunt à Deo, superbia Deo se opponit. Impugnat Deum in omni tempore: multa sunt peccata, à quibus cauent homines in præcipuis festis; sed tunc maxime superbia exercetur. Vnde Regius Vates Psal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*. Impugnat Deum in omni persona. Multæ namque sunt personæ, quæ fornicari dedignarentur: quæ tamen peccata superbiæ recipiunt. Vnde Diuus Bernardus: *Superbiæ vitium peccatum est maximum, quod Deo proprium magis insultat*. Hinc est, quòd Deus illos abhominatur, iuxta illud Prouerb. 16. *Abhominatio Domini est omnis arrogans*. Et Luc. 16. *Quod altum est hominibus, abhominatio est ante Deum*. Et Diuus Gregorius: *Quanto coram hominibus eris gloriosior, tanto coram Deo, & Angelis vilior*. Et Eccles. 10. *Odibilis est coram Deo, & hominibus, superbia*: ideò illos humiliat, & deponit, iuxta illud Luc. 1. *Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles*. Quod est perspicuum in primo Angelo per superbiam de cælo eiectum. Ideoque Paradisi aditum illis decludit, iuxta illud Psal. 100. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam*. Et Diuus Bernardus: *Scimus autem superbis non esse partem, vel societatem in sorte Sanctorum, &c.*

Deum superbiã odisse pluribus apparet de causis.

D. Gregor.

Superbia Deo se opponit.

Psal. 73. 23.

D. Bernardus.

Prouer. 16. 5.

Luc. 16. 15.

Gregor.

Eccles. 10. 7.

Luc. 1. 52.

Psal. 100. 6.

Superbis paradisus clauditur.

Ideò sicut diabolus draconi assimilatur, ita curat etiam, vt superbus etiam draconi assimiletur, iuxta illud Iob 30. *Frater fui draconum, & socius fui strutbionum*: & optimo iure; quia draco est insidiosus: insidiatur enim elephanti, & aliquando insilit super eum à tergo, & mordens eum sugit sanguinem eius: sic peccatum superbiæ insidiatur hominibus. Quatuor enim modis insidiatur illis. Primo, quia homini multum nocet, ipsius intellectum obscurans, ne seip-

Superbus draconi assimilatur

Iob 30. 29.

Superbia peccatum quatuor modis insidiatur hominibus.

ſum cognoſcat. Vnde Bernardus: *Superbia mentis oculos obſcurat: ita ſi occupauerit mentem intra te videre qualis es, & qualis eſſe potes, non poſsis ſentire: ſed qualem te amas, talem te eſſe putas, vel ſperas fore.* Hæc ille. Secundo, inſidiatur homini, quia gratia Dei, & omnes virtutes ab homine expellit. Vnde Diuus Gregorius: *Sicut humilitas omnia eneruat vitia, omneſque virtutes colligit, & roborat: ſic ſuperbia omnes virtutes destruit, & eneruat. Vnde* Eccl. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Hæc ille. Poſtremo, quia ſuper hominem maledictionem inducit, vt in eodem loco Eccl. *Initium omnis peccati ſuperbia; & qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis.* Secundo, aſsimilatur draconi, quia draco eſt ventoſus, ideſt, ventum ſequitur, & diligit. Dicit enim Solinus, quod draco eſt animal ita ſitibundum, quod quaſi aqua ſatiari non poſsit: vnde os contra ventum aperit, vt ſic ſuum incendium mitigari poſsit. Similiter ſuperbus non ſatiatur aquis honorum, ſed adhuc ſitit ventos honorum, iuxta illud Iob 31. *Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me valde.* Poſtremo aſsimilatur ſuperbus draconi ratione venenoſitatis, cum draco ſit in tantum ventoſus, quod quando per aërem fertur, aer concitatur, & per eum mare intumeſcit, & hoc propter eius venenum: tale eſt venenum ſuperbiæ, quòd interius cor tumeſcit, & exterius rixas, velut tempeſtates aeris concitat, & inducit. Vnde Prouerb. 17. *Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam.*

Superbia gratiā Dei, ac omnes virtutes ab homine expellit. *D. Gregor.* Eccl. 10. 15. *Superbus non ſatiatur aquis honorum.* Iob. 30. 22. *Superbia venenum.* Prou. 17. 16.

SECVNDA PARS.

QVemadmodum ergo dæmon adoleſcentiam carnalitate, ſuperbia virilitatem pugnat; ſic re, ac auaritia ſenectutem bellat. Itaque eo tempore, in quo morti proximus homo exiſtens, eo maius ad terrena deſpicienda, ac tranſitoria ſimul incumbere deberet, tunc maiorem æſtimationem illorum faciens, omni cupiditate, & auiditate perquirit, & curat; nec vmquam ſe ſaturans, patiendo, & laborando, ſe omni labori, omnique periculo ſubijcit; & quando magis amare, ac æſtimare deberet quietem, ac tranquillitatem: tunc curæ, ſolicitudinibuſque ſe aperte committit. Et ideò de his aiebat Salomon Eccleſ. 5. *Eſt, & alia infirmitas peſsima, quam vidi ſub Sole: diuitiæ conſeruatæ in malum* Domini *ſui*. Et morbus hic duobus primis peior exiſtit: nam vbi primi, ideſt, carnales, quamuis ſæpe ſæpius patiuntur, tandem aliquod habent ſolatium, ac ſatisfactionem recipiunt: ſic ſecundi, ideſt, ambitioſi, licet laborent, vt ſublimitatum gradus acquirant, demum poſt eorum acquiſitionem, aliquantulum etiam eiſdem fruuntur: ſed auari numquam potiuntur; ſemper laborant, ſemperque patiuntur, ac ſolicitantur, aſsidue eis videtur in eſtrema neceſsitate ſe reperire. Vnde de ipſis dicitur: *Auarus ſemper eget*. Et quidem bufonibus aſsimilari poſſunt, qui terra veſcentes, ſibi ipſis ne deficiat dubitantes, quamuis tam magna exiſtat, ac ſpatioſa, numquam ex ipſa ſaturantur. Et ideò Eccleſ. 5. de ipſis aiebat: *Auarus non implebitur pecunia. Et qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis*; quia verentes ne ipſis deſit, ea non vtuntur, & ſemper egent.

Diabolus bonis fortunæ ſenectutem bellat.

Auarus omnia patitur propter lucrum.

Eccleſ. 5. 12.

Auari numquã potiuntur.

Simile.

Auarus ſimile bufoni.

Eccl. 5. 9.

Contra quos exclamans Regius Vates Pſalm. 4. aiebat: *Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pro cuius illuſtriori cognitione aduerte, mendacium in ſacris Litteris diuerſimode vſurpari. Primo, pro idolis, vt Ierem. 8. *Quare ergo auerſus eſt populus iſte in Ieruſalem auerſione contentioſa?*

Pſal. 4. 4.

Mendaciũ in ſacris Litteris diuerſimode vſurpatur.

Ierem. 8. 5.

Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti: sic enim
D.Hieron. interpretatur Diuus Hieronymus. Secundo, sumitur pro peccato mentiendi, quæ est germana verbi, frequentissimaq.
Iob 13. 4. acceptio, veluti Iob 13. *Prius vos ostendens fabricatores mendacij*. Vbi aduerte, esse quosdam veluti mendaciorum artifices, qui artem mentiendi profitentur, quos propterea
Mendacij fabricatores qui sunt. Iob appellat fabricatores mendacij, quasi proprios huius operis artifices; & hi veri mendaces censentur, de quibus
Prou. 10.4. Prouerb. 10. *Qui nititur mendacijs, hic pascit ventos*, quam-
Septuaginta. quam multo aliter in Hebræo, & in Septuaginta legitur id, quod duobus modis accipi potest, vno modo, vt sit sensus,
Homo mendax pascit ventos. hominem mendacem pascere, id est, alere ventos, sicut Pastor gregem suum pascit: alter, vt pascat ventos, idest, pascatur ventis, sicut oues pascunt herbas: & vtraque expositio significat rem omnino inutilem esse mendacium, quod quamquam inutili sit pascere ventos, vel ventis pasci, quis-
Mendacium nō solū inutile, sed perniciosum est. que pro suo libito iudicet. Hinc est, quòd mendacium non solum inutile, sed valde perniciosum est: immò quoddam venenum tantæ efficaciæ, quod in ipso ore existens, homi-
Sap. 1. 11. nem interficit. Vnde Sapient. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*. Igitur dici potest, quòd mendax similis sit falso denario; nam tanto præualet homo verax mendaci,
Mendax similis est falso denario. quantum denarius verus falso. Vnde, sicut vnus denarius verax præualet omnibus falsis; sic vnicus homo verax omnibus mendacibus anteponitur. Hinc sequitur magna stultitia, quia volunt omnes homines denarios esse veros, & bonos; & displicet eis multum, si inueniunt vnum falsum:
Mendax plus diligit denariū, quam seipsum. Vnde plus videntur diligere denarios, quàm seipsos, quia, cum ipsi sint falsi, volunt tamen denarios esse veros, & sic volunt eos esse meliores seipsis. Vnde Prouerb. 10. *Cor au-*
Prou. 10. 20. *tem impiorum pro nihilo*. Et sicut denarium falsum nullus vult recipere: ita nec homini mendaci vult aliquis crede-
Mendaces qua pœna puniuntur re. Et ideò mendaces hac pœna puniuntur, quia nec verum eis creditur, & insuper alia pœna; quia nec ipsi credunt alijs, quia iudicant alios mendaces secundum seipsos. Ideò sæpè in periurium labuntur: & hoc prouenit, quia mendacibus nihil familiarius, quam iureiurando sua dicta
Cicero. vera esse contestari. Vnde Cicero ait: nihil interesse inter
Periurium, & mēdacium sunt similia. periurum, & mendacem: nam, qui mentitur, periurare consueuit. Et de bilinguis scriptum est: *Verba susurronis*,

quasi

quaſi ſimplicia , & ipſa perueniunt ad intima ventris . Tertio , & poſtremo , mendacium accipitur pro rebus vanis , nihilque ſolidi habentibus , & ad noſtrum facit inſtitutum , veluti in Pſalm. 4. *Filij hominum vſquequo graui corde ? Vt quid diligitis vanitatem , & quæritis mendacium ?* ideſt , cur diligitis ea , quæ mundi ſunt ? Quæ vana omnino ſunt , & mendacij plena ? Hoc eſt , Nihil ſolidi , atque boni continet . Diuus Hieronymus ita tranſtulit : *Filij viri vſquequo inclyti mei ignominioſa diligitis vanitatem , quærentes mendacium ?* Hæc ille . Vt ipſe Deus loquitur hominibus ſuæ originis nobilitatem ante oculos proponat , quaſi dicat . O vos inclyti , & ſublimes , Creatore quouſque veſtro dignitatis immemores ad veſtram ignominiam, vana , ac fallacia diligitis ? Seu, vt alij interpretantur , Quouſque gloriam meam vertitis in ignominiam ? Quærentes terrena, quæ cito tranſeunt, & euaneſcunt ?

Prouer. 6. 16. *Mendacium pro rebus vanis accipitur.* Pſal. 4. 3. *D. Hieron.*

Et profecto tria primum ad floccifaciendas diuitias, terrenaſque vanitates nos impellere , immò cogere deberent . Primum , breuitas temporis . Secundum , terrenarum rerum vilitas . Tertium , ſeuerum examen noſtrorum operum in iudicij diem perficiendum . Et primo quoad breuitatem temporis, quod (ſicuti cap. 7. ipſimet Iob affirmat) dicens : *Dies mei velocius tranſierunt , quam à texente tela ſucciditur* . Quem locum expendens Diuus Gregorius : *Congrue* , inquit , *ſimilitudine tempus telæ comparatur ; quia ſicut tela filis ; ſic vita mortalis diebus ſingulis profici . Sed quo ad augumentum proficit , eo ad inciſionem tendit : cum enim tempora perceptu prætereunt , ventura breuiantur , tela enim duobus lignis innectitur , vt texatur ; ſed quo inferius texta inuoluitur , eo ſuperius texenda duplicatur . Et vnde ſe ad augmentum multiplicat , inde fit minus quod reſtat : ſic nimirum vitæ noſtræ tempora , & tranſacta quaſi inferius inuoluimus , & ventura à ſuperiori duplicamus ; quia quo plus fiunt præterita, minus eſſe incipiunt futura* . Hæc ille . Huius telæ tegmen eſt humana mortalitas , iuxta illud Geneſ. 3. *Puluis es , & in puluerem reuerteris* . Subtegmen autem eſt humanarum rerum viciſsitudo , & vanitas , in quo loco eximiam quamdam in præſcindendo velocitatem : ſignificatur enim vnico, quaſi iactu gladioli , vnico manus coniectu , vnico impetu tela præciditur : ſed cum in originali

Ad terrena deſpicie̅da tria nos impellunt. Iob 7. 6. *D. Gregor.* *Tempus telæ co̅paratur.* *Humana mortalitas eſt telæ tegmen.* Gen. 3. 19.

textus in hebræo tamen ſit: *Dies mei velocius fuerunt*, quam Oreg, quod noſter vulgatus tela vertit, alij ſignificare dicunt radium textorij, quod à texendo dicitur. Cuiuſmodi autem ſit inſtrumentum illud, non omnes conueniunt: nam Rabbi Mardoc., & alij aiunt eſſe lignum, in quo textor pannum, aut telam ante ſe circumvoluit, quo liciatorium texentium dicitur; & huic loco minime conuenit: nam in eo nulla eſt velocitas. Eſt autem radius hic, inſtrumentum in modum nauiculæ, quo filum ſubtegminis à tela margine ad marginem incredibili velocitate; quod textor mira dexteritate dextera coniectum in ſiniſtram, momento reijcit in dexteram: Ergo inquit, velociores mei dies fuerunt radio textoris.

Rab. Mardoc.

Qui idem Iob cap. 9. velocitatem, & breuitatem humanæ vitæ alia ſimilitudine exprimens, ait: *Dies mei velociores fuerunt curſore*: Et Sapient. 5. Multis alijs ſimilitudinibus, quæ celeritatem ſignificant: ſic enim eo loco damnati de hoc ipſo conquerentes lamentabantur: *Tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam nauis, quæ pertranſiit fluctuantem aquam*, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius, ſed tantum ſonitum alarum verberans, ſeu ventum, aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum. Vbi obiter aduerte ſonitum alarum inuenire leuem quamdam hominis de morte recordationem, quæ ſubito deponitur. Sed illa eſt etiam præclara ſimilitudo, quam habetur in ipſomet Iob cap. eodem 9. vbi dicitur: *Dies mei pertranſierunt, quaſi naues poma portantes*: naues enim, quæ portant poma, velociſſimæ ſunt, quibus nimirum opus eſt portum cito tenere, antequam poma putreſcant. Alij transferunt ex hebræo, ſicut *Naues Pyrata*, quæ etiam expeditiſsimæ eſſe ſolent: immò Chriſtus Dominus Luc. 12. mortem etiam furi comparat: *Si ſciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam*. Qua ſimilitudine illud etiam ſignificatur, mortem eſſe quaſi pyratam, & de repente volentes in eum, qui ſecundis ventis nauigant, in floreque adhuc ætatis exiſtens, proſperè tum fortunæ flatu, tum valetudinis vtebatur: quam rem eleganter deſcripſit Tertullianus libro de anima, nihil animæ remanere in corpore

Iob 9. 25.
Vita huius velocitas, & breuitas.
Sapient. 5. 9. & 10.
Similitudo altera de breuitate huius vitæ.
Iob 9. 26.
Luc. 12. 39.
Mors eſt veluti pyrata.
Tertull. lib. de anima.

pore post mortem; *Vis*, inquit, *est*, *est & ille nauigijs cum longe à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatum intestino repente perculsu cum tota securitate desidunt, non secus naufragia sunt vitæ, & tranquillæ mortis aduentus*. Hæc ille.

Hinc est, quod Ioannes vidit mortem super equum pallidum; *Veni*, inquit, *& vidi; & ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors*, & hoc propter cursus sui velocitatem, qua mortales non solum consequitur, sed etiam sæpissime præcurrit, quod tunc accedit, cum eorum spem præscindit, vtrasque conciliorum, ac rerum futurarum cogitationes de repente, quasi ante volans, præter expectationem demolitur. Qua de re Isai. 38. Ezechias rex conqueritur, cum ait: *Præcisa est, velut à texente, vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me*: quasi dicat in ipsis filis deponendis telam meam, & spes omnes præcidit. Seneca ait: *Infinita est velocitas temporis; punctum est, quod viuimus, & adhuc puncto minus*. Hæc ille. Hinc est, quod fatuus censendus est ille, qui cum multis se obliget debitoribus, pauca quærit habere, & prodige expendat. Si qui multa peccata habet, & parum de tempore: attamen tempus ipsum male dispenset. D. Bernardus inquit: *O si agnosceres quam multis, & multa debeas, videres, quod tibi nihil est, quod agis*. Hæc ille. Idem Seneca: *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium temporis ponat, qui intelligat quotidie se mori*. Hæc ille.

Mors quare super equum pallidum graditur
Apoc. 6. 8.
Isa. 38. 12.
Seneca.
Temporis velocitas puncto comparatur.
Simile.
D. Bernard.
Seneca.

Altera ratio, quæ nos à terrenis amouere debet, est rerum temporalium vilitas, si quidem cum ipsamet regna vana esse, & nouis præbentur, iuxta illud Ioel 1. *Residuum æruca comedit locusta, & residuum locustæ comedit brucus, & residuum bruchi comedit rubigo*. Quo loco quamquam iuniores Hebræi volunt sermonem esse de plagis illatis à Deo per huiusmodi animalia, & rubiginem de fame, videlicet, quæ quatuor integris annis perdurauit. Per ærucam cuncta vastantem, deinde locusta, bruco, & rubigine, longe tamen probabilius quod aiunt antiquiores hebræorum, quos sequitur Rupertus, Lyranus, & alij, significari quatuor orbis imperia, hebræis infesta, quæ hebræorum gentem ordine quodam ita oppresserunt, vt quod vnum intactum reliquisset, alterum

Temporalium rerum vilitas.
Ioel 1. 4.
Rupertus;
Lyranus.

 fundi-

funditus euerteret. Ituq. in æruca Assyriorum, & Calcedonum; in locusta Medorum, atque Persarum; in bruco Græcorum; in rubigine Romanorum imperium expressum fuisse. quam expositionem etiam affert, nec reprobat D. Hieronymus; tametsi alteram ei præferat, videlicet vnicum Calcedonum imperium eo loco adumbrari, quòd quater sub Nabuchodonosor Hebræorum populum diuexauit. Primum cum Nabuchodonosor Ierosolymam obsedit, duxitque secum Ioachim, & Regem Iuda, & partem vasorum domus domini asportauit in terram Gennaar, vt refertur. 2. Paralipomenon 36. & Daniel. 1. Deinde cum captiuum duxit Babylonem Ioachim, siue Ieconiam præcedentis filium Regis. 4. Reg. 24. Tertio cum Sedeciam vltimum Regem Iuda, erutis oculis Babylonem etiam duxit captiuum. 4. Regum 25. Denique, cum Nabuzardam Babylonij exercitus princeps, vrbem, & templum incendit. 4. Reg. 25. vbi obiter duo obseruanda sunt. Vnum est florentissima orbis imperia vilissimis, & abiectissimis animalunculis comparari, vt indicetur, quam vili pretio mundana omnia æstimanda sunt: & quasi abiectissimi vermiculi pede calcanda. Alterum est non solum abiectissimis animalibus, sed etiam noxijs comparari propter salutis periculum, quod in regnis administrandis, & in vniuersum in omni humana felicitate cernitur. Siue igitur soli Chaldæi, siue reliqui, quos nominauimus, plagarum aliarum nomine expressi a Ioele fuerint, illud certum est, locustas, & reliquas huiusmodi plagas, iuxta probabilem sententiam, non proprie accipiendas esse, sed translate pro infestissimis Hebrææ gentis hostibus vsurpandus. Sic etiam locusta accipitur, Amos. 7. *Ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris: & ecce serotinus post tonsorem gregis*. Vidit nempe Propheta in spiritu quemdam, qui infinitam locustarum multitudinem producebat, quem appellat fictorem; quæ locustarum multitudo significabat Assyriorum exercitum, qui 4. anno regni Ezechię, duce Salmanasar rege Assyriorum, venerunt in terram decem tribuum, easque in Syriam transtulerunt.

Rubigo quid significat. — D. Hieron. — 2. Paral. 36. 7 — Dan. 1. 2. — 4. Reg. 24. 3. — 4. Reg. 25. 7. — 4. Reg. 25. 20 — *Imperia mundi vilissimis animalunculis comparantur.* — *Imperia noxijs animalibus comparantur.* — Amos 7. 1. — *Locustę quid significent.*

Denique tertio nos ad paruipendendas mundanas diuitias impellere debet & arctissima, & exactissima humanarum operationum in finali iudicio facienda examinatio, iuxta illud Leuitic. 27. *Omnis æstimatio, siclo sanctuarij ponderabitur*. Quem locum expendentes nonnulli Docto-

Humanarum actionum arctissima discussio facienda. — Leuit. 27. 25.

res

res aiunt. Nam ſicut ad pondus ſicli ſanctuarij in ſtatera Deus exigebat pretium rerum, quod ipſi offerebant: ſic etiam ad ſtrictiſsimum quoddam examen reuocabit, & exigebit vniuerſas hominum actiones. Hinc eſt, quod non ſolum funiculo, ſed etiam calamo in Eccleſia menſuranda Deus vtitur, vt habetur Apocal. 11. quia non ſolum obliquitatem fabricæ, cui metiendæ inſeruit funiculus, ideſt, prauas, & intortas actiones; ſed etiam ipſam ædificij rectitudinem, cui cognoſcendæ calamus adhibetur, ideſt, ipſa etiam bona opera dijudicabit, & examinabit, iuxta illud Pſal. 74. *Cum accepero tempus ego iuſtitias iudicabo.* Et Iſa. 64. *Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſa iuſtitia noſtra*; nec vero his duobus menſurarum generibus contentus, ſtateras etiam, ac trutinas adhibet, ad examinanda, videlicet, ſubtiliſsima, ac minutiſsima quædam humanarum actionum pondera, quibus neque calamus, neque funiculus inſeruiunt, additis ad eam rem granorum, & ſcrupulorum momentis, quibus in ſuis ſtateris curioſi artifices vti ſolent: quam exactam ponderandi rationem Deus ſeruaſſe deſcribitur Prouerb. 16. cum dicitur. *Omnes viæ hominis patent oculis eius, ſpirituum ponderator eſt Dominus.* Quid enim ſpiritu aut leuius, aut ſubtilius? Cum igitur ſpiritus ipſos, hoc eſt, intimas, & ſubtiliſsimas cogitationes, & intentiones animorum Deus ponderare dicitur, exactiſsima ſane, & ſubtiliſsima iudicij eius ſtatera iudicatur. In qua vel ipſi leuiſſimi ſpiritus, quid ponderent, intelligitur. Sic Regis Baltaſſaris non externa tantum facta, ſed intimas etiam cogitationes, arcanamque mentis electionem, dominum ponderaſſe, ſignificatum eſt Daniel. 5. in illo verbo *Thecel*, ideſt, (interpretante eodem Daniele) *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.*

Humanarum actionum diſcuſſio ſiclo ſactuarij ponderabitur.

Apoc. 11. 1.

Opera bona etiã iudicabuntur.

Pſal. 74. 3.

Iſa. 4. 6.

Hominum actiones inſtar artificum curioſorũ ponderabuntur.

Prou. 16. 2.

Deus etiam ſubtiliſsimas cogitationes iudicabit.

Daniel. 5. 25.

Hinc eſt, quod volens Chriſtus dominus deſcribere pluribus locis ſui Euangelij iudicium, quod fiet in fine mundi, omnia, quæ ad arctiſsimum iudicium pertinent, attulit. Nam iudicium (vt ſcribunt Iuriſtæ) eſt actus legitimus trium perſonarum, ſcilicet, iudicis, actoris, & rei, qui redditur in inuitum, vt differat ab arbitrio ſecundum Azonem; & hoc extra. de verb. ſignific. forus. & ff. de verb. ob. inter ſtipulante. §. 1. ſed etiam, ſi factum negetur, additur 4. perſona. 5. teſtis. 4. quæſt. cc. nomine autem teſtium, accipias inſtrumenta, & etiam argumenta, vt in prædicta

Iudicium in fine mundi, omparatur iudicio noſtro.

Azon.

Ad iudiciũ quot concurrunt. decretali, forus §. causa. secundum Gloss. similiter in illo iudicio Christi finali, erit iudex Christus, actor diabolus, rei peccatores, testes Angeli, instrumenta conscientiæ, vel scripturæ, & scientiæ diuinæ, argumenta, peccata patentia, vel ipsæ creaturæ contra peccatores commotæ. Vnde

Isai. 42.1. Isai. 42. *Iudicium gentibus profert*. Præterea in iudicio nostro præcedit citatio, nempe monitoria, præceptoria, & peremptoria: sic erit in Christi iudicio, vt habetur 1. Thes-

1.Thess. 4.15 sal.4. *Ipse Dominus in iussu*;ecce citatio. Præceptoria Psal.7.

Psal. 7.7. *Exurge Domine in præcepto, quod mandasti: & Synagoga populorum circumdabit te: Et propter hanc in altum regre-*

1. Thess.4.16 *dere, Dominus iudicat populos*. Sequitur Paulus: *In voce*

Ioel 3. 12. *Archangeli*; ecce citatio monitoria, de qua etiam Ioel 3. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes*. Postremo subdit Paulus: *In tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*; ecce citatio peremptoria. Et Apocalyp. 10. Ioannes vidit Angelum, stantem super ma-

Apoc. 10. 5. re, & super terram: *Et eleuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quia tempus amplius non erit*. Tertio loco, in iudicio humano sequitur examinatio. Sic in illo fiet examinatio non solum de commissis peccatis, sed de omissis operibus, non solum de externis actionibus, & locutionibus: sed de internis etiam co-

Rom.2.16. gitationibus. Vnde Paulus Roman. 2. *In die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum: & benedixit occulta hominum*, quia quoddam est opus Dei, & hominis, sicut opus iustificationis, ad quod interuenit nostrum liberum arbitrium. Et quoddam solius hominis, scilicet, opus transgressionis, & peccati; & hoc solum erit opus, quod iudicabitur, & condemnabitur. Quarto, & postremo in iudicio humano sequitur sententiæ prolatio contra conuictos. Sic fiet ibi: nam reprobis dicetur: *Ite*

Sententia in finali iudicio erit statim executiua. *maledicti in ignem æternum*. Quæ sententia erit statim executiua; nam illa sententia est verè executiua, quæ nullo auxilio iuris potest subleuari, videlicet, neque per appellationem, neque per supplicationem, neque per querelam falsi, neque per integram restitutionem, non per appellationem,

Psal. 7.12. quia vltra Deum non datur alius iudex: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens*. Psal.7. Non per supplicationem, quia ibi

Eccles. 11. 3. preces locum non habent; *Lignum, in quocumque loco ceciderit,*

derit, ibi erit. Ecclesiast. 11. Non per querelam falsi, quia Deus non potest decipi, cum sit prima veritas. Vltimo, & postremo per integram restitutionem: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati*, & postea sequitur, *& prolapsi sunt*, scilicet, in finalem impœnitentiam, seu sententiam, *rursus renouari ad pœnitentiam, &c.* Hæc trium memoria dico, vim habere debent omnes à terrenarum rerum affectibus reuocare. Heb.4.5.& 6

Ite in pace. Amen.

VIGESIMAQVARTA LECTIO.

De pesſima morte peccatoris.

IN QVA DE MORTE PECCATORIS tria explanantur. Primum, mors peccatoris ſæpe à Deo breuis efficitur. Secundum, mors peccatoris dicitur peſſima. Tertium, è conuerſo mors iuſti, dicitur mors in tempore ſuo.

Iob 1. 18. Adhuc loquebatur ille; & ecce alius intrauit, & dixit: filijs tuis, & filiabus bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſsit liberos tuos, & mortui ſunt: & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.

PRIMA PARS.

QVAMQVAM clarè animaduertantur, & cernãtur in ſingulis ſuis actionibus, & operationibus, calliditas, iniquitas, ac ſæuitia huius noſtri infernalis hoſtis in nos: nihilominus in ordine, ac modo, quo vtitur in tentando, ac perſequendo hunc noſtrum ſanctum Iobum, magis operari videtur, quam in qualibet alia occaſione, ac perſecutione: nam, cum prius ei abſtulerit omnia

nia armenta, ac pecora, & interfecerit illorum custodes, tandem, vt vehementissime malum, ac dolorem augeret, curat, vt filijs vna masculis, ac feminis in primogeniti domo edentibus, & bibentibus, maximus, ac vehemens oriatur ventus, qui quatuor domus angulos omnes concutiens, & quassans, corruat, & cunctos simul opprimat, obterat, & confringat. Quæ quidem persecutio cum postrema sit extrinsecarum, quas Iob passus fuit, possumus dicere ceterarum omnium esse epilogum; quoniam non tantum in vniuersali, & in communi considerata, primis per maior, & acerbior est: verum nonnullas continet circumstantias, quæ ingrandescunt eam, maioremque mirifice admiratione faciunt: Primum, propter filiorum amissionem, quorum amor omnes alios antecellit. Secundo, quia tam veloci, ac repentina morte eos afficere facit, quòd nullum potest remedium afferri, aut opponi. Tertio, quia facit eosdem mori edentes, & bibentes, ablato à sancto Iobo tempore, in quo ipse ob aliquam imperfectionem in conuiuio perpetratam sacrificia offerre solebat. Quarto, quòd cum essent mortui omnes, qui domi erant; nam cuncti oppressi, & confracti remanserunt; & quòd verum sit, ille qui idemmet nunciauit, ait se solum remansisse: nihilominus nisi de filiorum morte mentionem facit, vt ei tormentum maius, maioremq. addat mœrorem. Quinto, eos mori facit ita, vt deformatis, & fractis, nec etiam cognosci, ac distingui poterant, vt æquale eis sepulcrum daretur. Sexto, vt suspicione affectum cum Deo redderet, quod, scilicet, ipsius amicitia non vteretur: nos enim scientes, ventum, præter quam Deo, nulli obedire, ab eo proficiscentem, ergo in Iob propter perpetrata crimina indignatione tinctus existebat. Omnia, inquam, acerbissima, & sancto Iobo extremum afferentia dolorem. Ab hac littera sacri Doctores circa ventum, qui domum concussit plura excipiunt. Primum, hunc ventum, quemadmodum de igne fuit dictum, realiter non extitisse ventum, sed hac forma fuisse dæmonem, immò plures dæmones per quatuor domus angulos distinctos, vel possumus dicere, esse ventum ab ipsomet dæmone motus impetu causatum; & quoniam è deserto egrediebatur australem existere ventum. Sed hoc relinquendo, in consideratione repentinæ mortis filiorum seria res adest; quæ licet hic alia propter mysteria permissa fuit: verumtamen maximum nobis timorem

afferre

Diabolus in persequutione Iobi magno vsus est artificio.

Iobi mors filiorũ omnium persequutionum suarum epilogum.

Ventus soli Deo obedit.

Ventus qui domum Iobi prostrauit, quis fuit.

Lectionis diuisio in duo capita. afferre debet, & horrorem; & ideò duo hac in lectione explicabimus huic consonantia materiæ, idest, quod Deus ob perpetrata peccata eam permittit: & ab homine, & muliere tempus aufert iam pristinum concessum. Vlterius, quòd mors peccatorum horrida mors est, multisque plena, cumulataque laboribus. Attendite.

Deus propter peccata repentinam mortem infert. QVo ad primum, quòd Deus sæpe sæpius peccatoribus repentinam, & subitaneam permittat mortem, vel ad minus propter peccata breuiet peccatori tempus, hoc liquido à sacris colligitur litteris, signanterque ex illis verbis Genes. 6. Vbi loquens de generatione illius temporis,
Gen. 6. 3 dixit Deus Noe. *Erunt dies illius centum viginti annorum.*
Temporis spatiũ concessum à Deo tempore Noe. Quæ quidem verba, vt bene intelligantur, notandum est, in hoc loco loqui de spatio temporis ad pœnitentiam concessi illi generationi vsque ad diluuium, non autem de ætate singulorum hominum, sicut docent D. Chrysost. homil. 22. in Genes. & D. Hieronymus in quæst. vbi ait: *Non humana vita (vt multi errant) in centum viginti annos contracta est, sed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam data sunt: si quidem inueniemus, quòd post diluuium vixerit Abraham centum septuaginta quinque: quia verò pœnitentiam agere contempserunt, voluit Deus temporis expectare decretum; sed, viginti annorum spatijs amputatis, induxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.* Hæc ille. Vbi cernis Deum breuiasse illi generationi tempus propter peccatum; quòd clarè videri potest in computatione annorum: nam ea comminatio facta fuit anno quinquagesimo vitæ Noë, vt in Genes. 7. patet. Diluuium autem cœpit sexcentesimo anno ætatis eiusdem, vt ibidem videri licet. Ergo viginti annis deletis. Huc spectat, quod dixit Ecclesi. 19. *Tolletur de numero anima eius.* Et Regius Vates Psal. 54. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Vnde est illud Ecclesi. 7. *Nè impie agas multum, & noli esse stultus, nè moriaris in tempore non tuo.*

D. Chrysost. homil. 22. in Gen. *D. Hieron. in quæst.* *Deus breuiauit tempus propter peccatũ generationi illi tẽpore Noe.* Gen. 7. 6. Ecclesi. 19. 3. Psal. 54. 24. Ecclesi. 7. 18.

Et quidem quam magnum sit malum, & detrimentum, quod homo, ac mulier recipit, dum ab eis pars temporis à Deo sibi concessam, aufertur, videtur, & animaduertitur à pretio, ac ab ipsiusmet temporis virtute, iuxta illud Gen. 1.
Gen. 1. 16. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, ac tempora, & dies, & annos: fecitque*

citque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset nocti, & stellas, &c. Ex quo loco maximum vero pretium patet; Primo, quia ei efficiendo, & partiendo fabricauit Deus clarissima Solis, Lunæ, & Stellarum lumina. Secundo, quia medio temporis, tamquam instrumento, vtitur Deus ad suas gubernandas, & regendas creaturas, vt Iob 24. testatur dicens. *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora:* tempora, idest, articulos temporis, opportunitates, occasiones captandas probe nouit; nam probe nouit est in originali: est enim vox originalis, tempus congruum, aut constitutum ad aliquid agendum. Tertio, quia vno eius instanti infinitæ gloriæ æternitas emitur. etenim vno tantum instanti potest quis æternitatem gloriæ promereri, quam ob causam monemur omnes, temporis, tamquam rei pretiosissimę, rationem habere plurimam, neç illud temere dispendere. Vnde Eccles.4. *Fili conserua tempus, et deuita à malo, Et cap.* 14. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Vnque adeo autem Regius vates vel minimam temporis particulam perdere verebatur, vt çeleritate operandi cum sole ipso contenderet. Immo eum præuenire, & anteuertere certaret, ne periculum, videlicet, incurreret, vel vnius instantis deperdendi, sic ait Psal. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* quasi diceret, inquit Ambrosius Serm. 19. in Psal. *Præueni Orientem Solem, graue enim est, si te ociosum in stratis radius Solis Orientis inueniat; an nescis, quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debes? Quotidiana tibi messis, quotidianus tibi fructus. Vnde sponsa Cantic. 3. In cubiculo meo,* inquit, *per noctes quæsiui quem diligit anima mea: ideo meruit inuenire: & etiam in cubiculo, & in noctibus quæsiuit.* Hæc ille. Idem confitetur ipsemet Regius vates Psalm. 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum locutus,* idest, vt interpretatur D. Hieronym. Antequam aliquis vigilaret ego vigilabam: quidã ex Hebræo ita transtulerunt, *Tenuisti custodias, idest, palpebras oculorum meorum, ne, scilicet, dormire possem. Alij prouidebant spectaculum oculorum meorum, stupebam, & non loquebar,* hoc est, considerans peccata, oculos ad cælum erigere non audebam, & iccirco quasi stupefactus tantam præ confusione turpitudinis meæ; nec video, vnde August. legere potuerit, *Anticipauerunt vigilias omnes inimici mei:* quod ipse de vigilantia dæmonum

Temporis pretium. — Iob. 24. 1. — *Temporis instanti æternitas emitur.* — Eccl. 4. 24. — Eccl. 14. 14. — *Dauid Propheta dicebat se tẽpus præuenire.* — Psal. 118. 148 — *Serm. 15. in Ps.* — Cant. 3. 1. — Psal. 76. 5. — D. *Hieronym.* — *August.*

Dæmonum vigilantia ad nos tentandum. monum nos tentantium intelligit;quasi diceret; Plus illi vigilauerunt ad decipiendum me, quàm ego ad custodiendum. Hoc vero tempus dumtaxat orientis solis anteuertere Regius vates conabatur; sed ipsam etiam ætatem, ne, videlicet, tempus aliquot ætatis, vel minimum otiose tran-
Psal.118.147 sigeret, quemadmodum ipse ait Psal. eodem 118. *In maturitate praueni*; sic enim legendum est iuxta Septuaginta,
Septuaginta. cum Græce sit *ante horam*, seu *ante tempus*,quemadmodum
D. Ambros. ser. 19. in psal. accepit D. Ambrosius eodem serm. 19. in Psal. *Ante horam*, inquit, *& ante tempus praueniebat Dauid: qui enim dominum precatur, recteque ait non præscripta tempora præcipue præstolatur,praueni in maturitate: praueni enim ætatis maturitatem quisquis in adolescentia positus, senilem grauitatem induit,& iuueniles annos veterana conscientia regit; sed*
Eccl.3.17. *fortasse dices,quomodo scriptum est in Eccles.3. Tempus omni rei,tunc erit,si tempus rei sub cælo est, quanto magis sub* Deo, *non super* Deum? Hæc ille.

Hinc est, & non est leuiter prætereundum,quod Angelus
Apoc.10.2. ille Apoc.10. habens pedem dexterum supra mare,sinistrum super terrã, tanto apparatu enunciauit tempus amplius non
Angelus Apocal. quare tanto apparatu nunciauit tempus non esse amplius. futurum: etenim,vt Ioannes scribit, Amictus erat nube, & gestabat capite pulcherrimam iridem: tunc vero leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum; quia tempus non erit amplius. quæ omnia ostendunt magnam quamdam rem, ac terrificam enunciasse;
Tempus quasi Princeps describitur. & par erat, vt temporis, tamquam magni cuiusdam Principis interitus, magnifico apparatu denunciaretur, quasi princeps namque tempus describitur, cum rebus omni-
Eccl. 3.1. bus dominari dicitur in Eccles. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo: tempus nascendi, & tempus moriendi.* Insuper est aduertendum hoc tam pretiosum tempus modo in nostra esse potestate, datum, videlicet, nobis a Deo ad bene operandum. Vnde D.
Galat.6.9. Paulus Galat. 6. *Bonum, inquit, facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* quibus postremis verbis docet,
Tempus modo nostrum est. tempus modo nostrum esse,& magnum beneficium Dei;ideo appellatur huius vitæ tempus, tempus misericordiæ, velut Psal. 101. *Tunc exurgens misereberis* Sion, *quia tempus miserendi eius.* Est etiam alia ratio .s. quia modo Dei miseri-
Psal.101.14. cordiã promereri possumus:quo etiam sensu dixit Psal. 100.

Mise-

Misericordiam, & iudicium cantabo tibi domine. In quem locum D. Aug. *Non sine causa*, inquit, *dictum est, misericordiam, & iudicium, non autem iudicium. & misericordiam, quia modo tempus est miserendi: futurum autem tempus iudicij.* Idem significauit Paulus. 2. Cor. 6. illis verbis. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Itaque modo Deus tradidit nobis liberaliter tempus, vt in eo salutem nostram operemur: quam ob causam huius vitæ tempus multis nominibus censetur: dicitur enim tempus nundinarum. Ezechiel. 7. *Venit tempus, appropinquauit dies, qui emit non lætetur, & qui vendit non lugeat.* Ex quibus verbis plerique colligunt modo tempus esse emendi, atque adeo nundinarum, ea potissimum de causa, quoniam quemadmodum in nundinis viliori solent pretio merces comparari: ita modo exiguo pretio infinitæ propemodum merces cælestium bonorum acquiruntur, iuxta illud D. Pauli 2. Cor. 4. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Vbi obiter aduerte, felicitatem gloriæ appellari ab Apostolo pondus, quia sua magnitudine eleuat, & tollit omnes huius vitæ labores, ac difficultates, quippe, quæ eius comparatione leuissimæ sunt, & nullius ponderis, quemadmodum disertis verbis docuit Paulus Roman. 8. dicens. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Eadem nundinarum similitudo vsurpata est a Christo Domino Luc. 19. cum dixit. *Negotiamini dum venio.* quasi dicat. Modo est negotiandi tempus, postquam venero autem tempus non negotiandi, sed rationem de negotiatione reddendi, dicitur tempus vocationum, vocandi nimirum a Deo, & bonorũ operum studio, iuxta illud Psal. 45. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Dicitur tempus laborandi Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari.* Itaque copiose dixit Regius vates Psa. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant: & quærant à Deo escam sibi, ortus est Sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur: exibit homo ad opus suum; & ad operationem suam vsque ad vesperam* Quem locum D. Hieronymus super 1. epist. ad Galat. 6. super illa verba, *Bonum facientes non deficiamus, Ortus est*, inquit, *nobis Dei ser-*

Tempus nunc, est tempus misericordiæ. D. August. 2. Cor. 6. 2. *Deus dedit nobis modo liberaliter tempus.* Ezech. 7. 12. *Tempus nunc, est tempus emendi.* 2. Cor. 4. 17. *Gloria felicitas quare pondus nuncupatur.* Rom. 8. 18. Luc. 19. 13. *Tẽpus modo est tempus negotiãdi.* Psal. 45. 11. Ioan. 9. 4. Psal. 103. 20. *D. Hieron. super 1. epist. ad Galatas 6.*

sermo, sol verus, & congregatæ sunt bestiæ, recedentes in cubicula sua, procedamus nos, vt homines; sed opus nostrum, & vsque ad vesperam laboremus. Hæc ille. Quo ex loco iuxta D. Hieron. facile colligis, eos homines, qui dum vitæ huius dies durat, ad bene operandum non procedunt; sed veluti de nocte è latibulis exeunt ad opera tenebrarum exercenda, non homines, sed belluas, esse iudicandos: sanctosque eos homines censendos, qui ad bene operandum egrediuntur. Dicitur tempus sementis faciendæ, vt probat D. Hieronymus ex illis verbis Apostoli ad Galat. 6. *Tempore enim suo metemus, non deficientes: tempus,* inquit, *sementis est vita præsens, quam viuimus; in hac licet nobis quod volumus seminare.* Hæc ille. Dicitur tempus æstatis, & messis colligendæ: quam ob causam Prouerb. 6. Piger mittitur ad formicam, tamquam ad magistram, ac sapientem. *Vade,* inquit, *ad formicam, ò piger: & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* In quem locum D. Hieronymus docet hanc vitam comparari messi, & æstati, quod nunc inter ardores tentationum tempus sit colligendi non ipsa præmia, sed præmiorum merita. Diem verò iudicij hyemis assimilari rigoribus, quia tunc nulla relinquitur facultas pro victu laborandi; sed tantum cogitur vnusquisque quod recondit de pristinæ actionis horreo proferre.

D. Hieron. — *Homines, qui nũc non bene operãtur, belluæ censendæ sunt.* — *D. Hieron.* — Galat. 6.9. — Prou. 6.6. — *Tempus modo dicitur æstatis, & messis colligendæ.* — *D. Hieron.* — *Vita præsens messi comparatur.*

Porrò aduertit Vgo Carensis mitti à Salomone pigrum ad formicam, quia in ea aduersus omnia vitia habemus doctrinam. Primo, quia solicita est, docet otium subterfugere. Vnde D. Paulus 2. Thess. 6. *Si quis non vult operari, nec manducet; quia prouida manet in futurum prospicere tempus, ac prouidere.* Vnde idem Paulus Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Quia iuuat laborantes socios, instruit ad caritatis opera. Idem Paulus in eodem loco, *Alter alterius onera portate*, quia granum corrodit, ne germinet, suadet vitare elationem de bono opere: omne opus bonum, quod facimus per humilitatem deprimendo, ne inanis gloria, superbiaque suboriatur. Quod aliqua ex parte innuitur Ierem. cum dicit: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum*; quia arcto calle incedit ad mortificationem, & pœnitentiam incitat. Vnde Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam.* Denique

Vgo Carensis. — *Formica magistra omnium.* — 2. Thess. 6. 10 — Galat. 6. 10. — Ierem. 4. 4. — Luc. 13. 24.

nique quia terram egerit de cauernis, & ad nostrum facit institutum, ad contemptionem rerum terrenarum exhortatur. D. Ambr. lib. 6. in exam. c. 21. Et D. Chrysost. hom. 17. super cap. 5. Matth. citant quamdam aliam ex sacris Litteris sententiam, iuxta aliquam, vt videtur, vetustam translationem: *Vade ad apem, & disce, quod ea sit opifex, cuius labores Reges, & priuati ad sanitatem afferunt.* Quibus etiam verbis vobis commendatur labor, & industria bene operandi: illud etiam significatur nobis in hac vita quasi apibus conficiendis, hoc est, promerendum esse mel suauissimum gloriæ, quæ postea vescamur, vt possimus tunc illud Cant. 5. vsurpare: *Comedi fauum cum melle meo*; in cuius rei figuram Samson Iudic. 14. Fauum mellis non nisi in ore leonis, quem interfecerat, reperit. Etenim in laboribus, ac tentationibus superatis, quasi in leonibus interfectis, suauissimi meritorum faui reperiuntur.

D. Ambr. lib. 6. in exam. c. 21. D. Chrysost. homil. 17. super c. 5. Matth.

Apis magistra omnium.

Cant. 5. 1. Iudic. 14. 8.

Fauus mellis, quare in ore leonis repertus fuit.

SECVNDA PARS.

NON modo (inquam) Deus à peccatore tempus sæpe sæpius aufert, & priusquam naturæ cursus ad mortem duxisset, ei mortem dat; sed etiam permittit, mortem eius esse ludibriosam, solicitam, ac diram mortem, de qua aiebat Psal. 33. *Mors peccatorum pessima.* Quod quidem exponens Theodoretus, à linguæ hebrææ proprietate haurit mortem peccatorum appellari pessimam, quia præcipuæ mortis genus est prauum, & iniquum: quæ dolore, ac solicitudinibus longè aliorum ordinariam superat: & de qua Sophonias c. 2. loquebatur: *Conuenite, congregamini gens non amabilis, priusquam pariat iussio, quasi puluerem transeuntem diem*, idest, animaduertite vobis, conuertimini antequam mors tamquam repentinus ventus, ac veluti tempestas insolita, & dira, opprimet, & submergat. Vel (vt distinctius loquamur) mors interdum pro corporis exsolutione capitur, vt quotidie cernitur. Interdum capitur pro peccato, vt Eccl. 15. *Apposuit tibi aquam, & ignem.* Tertio, pro ipsomet dæmone, Apocal. 6. *Nomen illi mors.* Quarto, pro æterna morte. Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt;*

Psal. 33. 22.

Theodor.

Mors peccatoris quare dicitur pessima.

Sophon. 2. 1.

Mors pro corporis exsolutione.

Eccl. 15. 15. Apoc. 6. 8. Psal. 48. 15.

mors depascet eos. Quinto, pro particulari morte peccatorum, qui suis in peccatis decidunt. Colos. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Et de hac aiebat Dauid, idest, *mors peccatorum pessima*, hoc est, de particulari peccatoris morte, & illorum, qui viuunt, & decidunt in suis peccatis, & erroribus. Sed cur dicit, Pessima? Quia in seipsa omne mali genus continet. Exempli gratia: Tunc dicemus vulnus esse malum, & pessimum quando omnem continet prauam qualitatem. Tunc febris appellatur pessima; quando omnes malas comprehendit qualitates febris. Sic ad institutum nostrum, mors peccatoris nuncupatur pessima, quia omnes mortis malas qualitates amplectitur.

Coloss. 3. 3.

Mors illorũ qui decidunt in peccatis dicitur pessima.

Vulnus tunc dicitur pessimum quando continet omnem malam qualitatem.

Primum scelestis mors, est irrisoria, ac parui æstimata, sicuti è contra mors iusti leuis, ac expedita est: & possumus dicere, quod inter iusti mortem, & inter mortem peccatoris sic differat, sicuti illius, qui secure cadit, & illius, qui sub rota decidit. Qui secure moritur tam cito moritur, tamq. expedite, quod nisi esset timor, qui illam angoniam mortis primo venientis, præcedit: quando enim minister alligat eum, tremit; quando è carcere extrahit eum, extimescit; quando cernit consolatores non amplius sentit, nec mouetur: nisi hoc esset, inquam, quo ad moriendum, fere non sentit ob velocitatem, quia est absque dolore, & angustia. Hinc est, quod hac, nisi nobiles non occidunt, qui aliquod commiserunt crimen, quod quidem quo ad mundum dedecus non est. E contra qui in rota decidunt è vita, sicuti homines vulgares, & qui nisi dedecora perpetrauere, & turpia: hi, inquam, in rota decidunt multis solicitudinibus: ferrum enim nunc carnis frustum adimit, nunc brachium frangit, nuncq. scincum; & sic solicite facit eum mori. Hinc accidit, quod vbi latinus ait: *Mors peccatorum pessima*, hebræus, *Interfecit eum malitia sua*.

Mors scelestis est irrisoria.

Mors iusti expedita, & leuis.

Mortis differentia inter iustum & impium.

Simile.

Quidam in pascuis inter armenta taurum alit, viuit liber, absque iugo, sineq. labore: nihilominus cum bene est incrassatus, quia insolens est, & rabie affectus in personas irruit: herus eius illum vincit, & ad lanienam trahit; tunc laniator eumdem iugulat, interficit, decorticat, & in centum, ac mille frusta secat, eaq. ad lanienæ vncos alligat, & annectit, emptores accedunt, & ad domum carnem portantes, aliquis eorum eam ebullire facit, aliquis torrefacit, seu assat, quidamq. sic, & qui-

Mors impij tauri morti comparatur.

& quidam ita coquit eamdem: denique tota igni datur: *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte* Samariæ, *quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris, afferte, & bibemus: Iurauit* Dominus *Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in cantis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Scitote (ait Amos c.4.) ò vos, qui non incũbitis nisi ad aliud, inquam ad voluptates capiendas, & delectamina; ò vos, inquam, qui nisi crapulæ, libidiniq. operam datis, qui vestra elatione pauperes opprimitis, veniet tempus mortis: & tunc ad instar tauri ad lanienam tracti, à dæmone agitati eritis; & iure quidem vestra mors, pessima mors, mors dira appellari poterit. Amos 4. 1. *Homines qui voluptatibus incũbunt, post mortem quid de eis fiet.*

Textor telam composuit, & eam reuidit, & incidit omnia stamina, quæ extra supersunt, nec vnum quidem, quod cernatur relinquit: *Præcisa est velut à texente vita mea dum adhuc ordirer, succidit me.* Scitis ne (ait Isai. 37.) quomodo cum scelestibus agit Deus? sicuti quidem textor, cum stamina telæ incidit, nunc vnum præcidit, & nunc alterum, ita quod paulatim omnia secat, & recidit; & iure, quia modo ab eis existimationem aufert, & efficit, quod omnes, & quicumque, eum digito demonstrando, sibi pessime dicant, ac de eius turpissima vita acerbissime loquantur: modo filios mori facit, modo fratrem, nunc vxorem, nunc virum, hinc rei, illinc patris iacturam facere permittit; insuper agit, vt de principis gratia cadat: immò capitis dolore afficit eum, nunc iterum articularem morbum immittit, nuncq. gallicã infirmitatem: & demum, omnia paulatim extinguendo, ad vitæ finem trahit eos, pessimamq. mortem pati facit: si enim vos eos accersitis cum aliquo morbo laborant, omnes confusione repletos reperietis, tremore, ac timore: *Timor, et tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Magna equidem res est (inquit Regius Propheta Psal. 54.) passio tremoris distinguitur à passione timoris, nec omnes isti in eodemmet subiecto illico simul contingere, aut oriri solent: attamen iniquus in morte omnes experitur, & patitur, & non ob aliam causam, nisi quia sua mors, mors crudelis est, & pessima. Et, si tu à me petis, quid expedit hic timor, & in quo consistit hic tremor? In duobus, tibi respondeo. Primum, quia omnia, in quibus, dum viuit, impius confidit, & in quibus totam eius fiduciam, ac spem collocauit, tunc deserunt eũ, & relinquunt.

Simile. Isai. 37. 12. *Deus agit cum scelestibus instar textoris.* *Impij cum ægrotant sunt timore, & tremore pleni.* Psal. 54. 6. *Timor, & tremor impiorũ in quo consistunt.*

Secundum est, quod non modo deseritur, sed ex semetipso in suorum inimicorum potestate sponte largitur. Et quod à veritate non distet, Prophetam Abdiam audite: *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te.* Primum scire debes (ò scelestis) quod *omnes viri fœderis tui illuserunt tibi.* Omnes illi cũ quibus coniunctissimum fœdus pepigisti, & familiaritatẽ inijsti, & in quibus tota tua spes quiescit; illi, qui te defendebant. & ad perpetranda mala te impellebant; amici, diuitiæ, valetudo, pulchritudò, gratiæ, in mortis pũcto nõ modo te derelinquent: sed (quod peius est) te deridebunt; neque hoc satisfacti, manibus tuorũ inimicorum te dabunt: nam eorum causa orco caput tuum damnabis, & dæmones super teipsum potestatem habebunt. Animaduertite vos nunc, an hæc mors, pessima mors vocari possit, & dira?

Abdias 1. 7.

Impiorum amici omnes ipsũ relinquunt in morte.

Hæc est illa mors, quæ apud Iobum 18. vocatur mors primogenita, dicentem: *Deuoret pulcbritudinem cutis eius, consummat brachia illius primogenita mors.* Vbi obseruandum est peccatum dici posse recta ratione mortis parentem; nam per peccatum generatur mors, vt dixit Sapient. 1. *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Et Dauid Psal. 103. cecinit: *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Nota, quod peccatum multas quasi ætates, & gradus videtur habere: nam, si peccator sit iuuenis, ætate, & viribus florens, si locuplex, atque potens, videtur etiam illius peccatũ quamdam ætatis iuuenilis, & roboris integri rationẽ habere; sicuti & peccatum, quod ab homine sene, imbecillo, & vel ex ignorantia, ægestate, metu, aut alia simili impotentia cõmittitur, videtur peccatum senile, & infirmum. Cum mors effectus peccati, & à peccato, veluti filia procedat, efficitur, vt mors immatura, quæ peccato iuueni, & forti respondet, dici poterit mors primogenita, & primaria, in qua duplex dolorum, & cruciatuum portio comitetur, & maxime se prodat peccati virtus, seu potius virus exitiale. Mors verò alijs peccatis respondens, videbitur mors secundaria, minus exagerata doloribus, & cruciatibus, quippe mors secundo genita; & ita imbecillior, & minus acerba. Ergo primogenita mors est illa, quam impio immature infertur, dum ætate, & opibus polleret. Quare in illo loco Iobi supra allegato imprecatur Baldad, vt diuina vindicta non differat impij supplicium, sed statim digna morte illum auferet; morte, inquam, primogenita, quæ ætatis florem, quæ opulentiæ splendorem,

Iob 18. 13.

Mors primogenita, quæ dicitur.

Sap. 1. 13.

Psal. 103. 31.

Peccator habet diuersas ætates.

Mors est effectus peccati.

Mors secundaria quæ est.

Mors quæ etiam dicitur pessima.

dorem, quæ virium robur, quæ brachiorum lacertos, quæ familiæ speciem, & pulchritudinem vniuersam deuoret, & assumat; & hæc dici potest pessima mors.

Hæc est illa mors, quam Eccl. 41. describit, dicens: *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti capere cibum*; & illa, à qua à Dauide Psal. 68. eripi optabat, cum dicebat: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum*. Vbi quamquam Christum hoc loco loquentem, petentemque à patre festiuam resurrectionem, communiter cum Hieronymo faciant interpretes omnes dicentes: *Non me demergat, &c.* Superius dixit. *Et tempestas demersit me*, eò, quòd mortuus fuit in cruce. Quia ergo hic dicitur: *Non me demergat tempestas aquæ*, sensus est, idest, me per mortem demersum non diu teneat in morte: *Neque absorbeat me profundum*, idest, corpus meum intra sepulturam non putrefiat, seu corrumpatur, & à vermibus corrosum absorbeatur: *Neque vrgeat super me puteus*, in hebræo habetur: *Non obturet super me puteus os suum*: Et dicitur hic puteus, lymbus inferni, ad quem descendit anima Christi, ad extrahendum inde patres detentos secundum illud Zachariæ 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Sic igitur petit Christus, vel potius Dauid in persona Christi, quòd anima Christi citò de inferno redeat ad corpus; & resurrectio compleatur, ita, quod corpus nullam corruptionem, seu putrefactionem patiatur; & ita factum fuit. Tamen iusti eumdem sermonem possunt vsurpare, petereque à Deo, vt à profundæ iniquitatis puteo liberentur. Quo loco tria mala, & incommoda grauissima à se remoueri deprecatur homo iustus; vnum est, vt ne eum demergat tempestas aquæ: alterum ne absorbeatur à profundo. Tertio, ne claudat super eum puteus os suum, quod duo præcedentia grauitate longe superat. Ea verò sic expendit Remigius: *Non me demergat tempestas aquæ*, vt conscientiam amittam, & hoc vel blandicijs adulantium, vel minis aperte furentium; quod, si quando conscientiam amittam, *non absorbeat me profundum*, idest, non perueniam ad actum cum ijs, qui in profunditate peccatorum conuersantur. Denique si ad actum perueneró, *non vrgeat super me puteus os suum*, idest, non

Eccle. 41. 1.

Mortis amara memoria, quæ est

Psal. 68. 16.

Hieron.

Christus petit à patre resurrectionem.

Puteus, idest, infernus.

Zach. 9. 11.

Iustus deprecatur Deum, vt à se tria mala auferat.

Remigius.

claudatur super me profunditas iniquitatis: Clauditur autem in profunditate iniquitatis, qui post perpetrationem non facit confesionem, sed parat peccati defensionem. Quem eumdem sensum vberius prosequitur Diuus Augustinus in Commentarijs eius loci. *Magnus*, inquit, *est puteus, profunditas iniquitatis; sed tamen ibi positus si confitetur peccata sua, non super eum claudit puteus os suum. Vnde* David *quasi in puteum delapsus dicebat. De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Si autem factum fuerit in illo, quod dicitur* Prouerb. 18. *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, sed sequitur cum ignominia, & opprobrium claudit super eum puteus os suum. Itaque si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in peccatum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, & responderit peccaui, fateor, non super eum clausit puteus os suum, quo eruatur non habet. Etenim, amissa confessione, non est locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor, quo modo erit* Deus *liberator: tu esto accusator.* Hæc Augustinus.

Peccator tunc clauditur in profunditate, quando post peccatũ nõ confitetur peccata sua.

D August. in commẽtarijs dicti loci.

Psal. 129. 1.

Prou. 18. 3.

Exemplum.

Leo quo modo capitur.

Nota ad hunc propositum, quòd ad capiendum leonem fit duplex fouea, vna continua iuxta aliam, ac ouis ponitur in prima, sed quædam Cista, quæ faciliter clauditur, ponitur in secunda, veniens ergo leo propter ouem, salit in prima, & videns se non posse exire de ea, ductus verecundia, vt lateat, intrat in secundam, & sic incidit in decipulam. Postmodum à secunda in primam à venatore inducitur, & interficitur. Similiter est duplex fouea ad capiendum, & illaqueandum peccatorem. Prima est quando peccatum committitur. Secunda est, quando peccatum retinetur, siue continuatur. In prima fouea ponitur ouis, idest, delectatio bestialis, propter quam peccator foueam intrat; cui contigua est secunda fouea, idest, peccati perpetratio. Postremo est cistula se claudens, idest, peccati consuetudo, quæ quasi inclusum tenet peccatorem, vt vix exire posit; quæ singula per ordinem tangit D. Iacobus 1. cum ait: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua: abstractus, & illectus deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum autem, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, ecce prima fouea; parit peccatum, ecce secunda; generat mortem, ecce cistola, per se claudens. Vbi peccator turpiter moriendo, morte pessima mori optimo iure dicitur.

Fouea duplex ad capiendum peccatorem.

D. Iac. 1. 14.

E con-

E contra verò, mors iusti, quæ vitam illius plenam annorum determinat, vocatur à Iob 5. Mors in tempore suo. *Mors iusti dicitur mors in tempore suo.* Ingredieris, inquit textus, *in abundantia sepulcrum, sicut infertur aceruus tritici tempore suo*. Ex quo loco duo eliciuntur; vnum, quod hoc est cum morte similitudo plena; Iob. 5.26. nam primum concepto semine intra matris viscera nascitur. *Homo instar triticum crescit, & reponitur.* Infans, herbescit in pueritia; adolescit in iuuentute, pollicetur fructum, explicat, profertque spicas, frugemque bonam; maturescit in senecta, arescit, inhorrescit, albiget, detinetur lethali morbo, atque deijcitur in lectulum, atteritur doloribus, *&* (vt in eodem Iob 18. dicitur) *calcet super eum, quasi rex, interitus*, excutitur, & ventilatur, vt nihil Iob 18.14. aristarum, idest, bonorum temporalium secum deferat, *neque descendat cum eo gloria eius*. Tandem comportatur in sepulturæ horreum educendus iterum à Deo, vt ossa illius, vt Isaias 45. ait: *Germinet*, idest, ad immortalitatem. Illud Isa. 45.8. verò solidum est, quod alij dicunt: *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut maturæ segetes*, quæ videlicet, suo pondere flexis calamis, & spicis suis sponte curuescentibus, terram petunt, procumbunt, concidunt; ita tu iam dierum pondere grauis, tua sponte concides, nutantibus cruribus, recuruo pectore, reflexo collo, grauitante capite, sepulturæ felix mandaberis. Alterum est, & ad nostrum facit institutum; *Morieris in tempore tuo*; sicut frugibus maturitas est suum tempus: ita homini senecta, quasi dicat, non morieris propter peccata tua in tempore non tuo, vt Eccles.2. dicitur: *Iniustus quando dicitur mori in tempore non suo.* Non *reuocabit te Deus in dimidio dierum tuorum, nec in via virtutis tuæ*, vt Psal.101. fatetur, videlicet, cum adhuc va- Eccl.7.18. Psal. 101.25. leas, & robustus in virili ætate fueris, non adducet Deus vitæ habenas, vt te de medio cursu alacriter currentem reuocet; sed curres alacriter, & peruenies lætus ad vitæ metam extremam: non quæritabis moribundus residuum annorum tuorum, quòd, scilicet, naturali cursu, iuxta tuas vires viuere debuisses; non tibi mors, non morbus, non subditus aliquis casus subfurabitur, neque vi aufert vitæ tuæ annos, tuum tibi tempus intactum integrum supererit: & sic pessimam peccatoris mortem euades.

Hinc est, quod iusti propter mortis, & finis suæ vitæ nobilitatem, Reges in sacris censentur Litteris, iuxta illud *Iusti reges quare dicuntur.* Genes. 17. quod dixit Deus Abraham, *nempe faciam te cre-* Gen.17.6. *scere vehementissime, & ponam te in gentibus; Regesque ex*

Lyranus. *te egredientur*. In quem locum licet Lyranus dicat, quia in qualibet gente prædicta, fuere plures reges: nihilominus D. D.Ambros. Ambrosius inquit, ex genere Abraham non solum reges erũt dignitate, verum etiam illi reges, qui peccato non ser- Apoc. 1. 5. uiunt; nec vincat eos malitia: vnde Christus in Apocalyp. 1. *Princeps regum terræ*, idest, iustorum dicitur, auctore Rupert. Ruperto: quod de nullo alio Rege dici potest, cum nullus reperiatur, qui habeat subditos omnes Reges: ratio, quia Christus omnes qui sua præcepta obseruant reges facit. Christus, omnes, qui sua obseruant præcepta, reges facit: quod quidem Dauid Psal. 109. prædixit illis verbis, *Tecum principium in die virtutis tuæ*; & Septuaginta transtulerunt, Psal. 109. 3. *Principum, vel principatus*: & est sensus Principatus apud Septuaginta. te, idest, omnes tui sunt Principes; vnde Origenes ho- Origen. homil. 6. in lib. Iudicum cap. 5. mil. 6. in lib. Iudic. c. 5. explicans illa verba de Cantico Debboræ, *Audite* Reges, ait, *Reges appellat eos, qui conuocantur ad audiendum verbum* Dei, *exulta popule* Dei, *audiens tuæ* Reges vocantur qui audiunt verbum Dei. *nobilitatis insignia; tibi dictum est*, Regale *genus populus in acquisitionem: ideo, quia vos* Reges *estis, merito noster Christus* Dominus, Rex *Regum dicitur, & Dominus Dominantium: Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te*; Rex *namque a legendo dictus est. si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat: si concupiscentiæ carnis sub iugum imperij tui mittas; si vitiorum gentes sobrietatis tuæ arctioribus præmas, merito rex diceris, qui te rectè regere noueris. Cum ergo talis fueris effectus, dignè vt* Rex *ad audienda diuina verba vocaberis*. Hæc ille.

D. Chrysost. homil. 3. in 2. epist. ad Corint. D. Chrysostomus homil. 3. in 2. epist. ad Cor. ait; *Reges efficimur, si voluerimus absurdis imperare cupiditatibus.* Rex efficitur, qui absurdis imperat. *Nam is demum regnat; & quidem verius, quàm qui diademate cinctus est. Rex multos habet exercitus: & nos longè plures habemus cogitationes, quæ res alia facit regem. Ac hic melioribus indutus est, potioremque gestat stolam, quam neque* Iustus variam gestat coronam. *tinea exedit, neque tempus consumit. Deinde variam gestat coronam, tum eam, quæ est gloriæ, tum eam, quæ est miserationum* Dei: *ait enim: Benedic anima mea* Domino, *qui te coronat in misericordia, & miserationibus. Rex dominatur satellitibus; omnibus imperat, & obediunt omnes, eique seruiunt, iusto subdonetur cogitationes. Patriarcha Abraham, cum iuberetur interficere filium, cogita, quam multa cogitationes tunc insurrexerint in illum; metuebant magis, quàm* Regem *metuunt satellites: omnesque solo oculorum intuitu*

com-

compescerit; nec vlla illorum ausa est erumpere; sed submittebant vultus, ac velut impetus in illum armatis multa erat tranquillitas, stabant composita omnes, orantes illum verius quàm terrentes. Hæc ille.

Idem D. Chrysostomus homil. 18. in 1. epist. ad Thimot. inquit. *Quid iuuat integris gentibus dominari, si serui perturbationum sumus? Quid nocet nulli hominum principari, si vitiorum tyrannide celsiores sumus? Istud summa libertas, istud summum imperium, istud regnum, atque potestas. Ille vero omnia misera seruitus quantumlibet coronas innumeras quis habeat: quomodo enim illi tutus dominorum multitudo imperat, auaritia, scilicet, ira, libido, & perturbationes reliquæ? Diadema quid prodest? Acriorem tyrannide præmitur, quando illum quo minus subditus sit. Corona nequit eripere, quemadmodum si apud barbaros detineretur seruus quisquam rex, & illi ad maioris seruitutis indicium, neque purpuram, neque diadema auferant; sed cum illis insignibus, & aquas ferre, & coquere, & alia inferre ministeria iubeant ad maiorem sui honorem, & ignominiam illius. Ita barbaris omnibus immanius vitia ista imminent nobis: nam qui ista intendit, barbaros quoque irridebit. Qui vero succumbit, longe diriora ab his, quàm à barbaris patietur. quippe barbari cum præualent viribus, concidunt corpus: hæc vero animam cruciant, & omni ex parte dilaniant. Barbarus victor temporali tradit neci: hæc autem in æternam præcipitant mortem. Solus ergo liber est ille, qui libertatem intrinsecus habet; sicut ille seruus est, qui succumbit irrationabilibus vitijs*. Hæc ille.

D. Chrysost. homil 18. in 1. ep. ad Timot.

Hinc fit, quòd iusti, & illi, qui suis dominantur affectibus possunt epati assimilari: primo quidem, quia epar est stomaci iuuatiuum; nam in epate sunt quædam extremitates, quæ dicuntur fibræ, quæ sunt vt quædam eminentes linguæ, quibus epar amplectitur stomacum, & calorem exhibens ad digestionem ciborum. Stomacus ergo, qui totius corporis communi vtilitati deseruit, repræsentat nobis ipsam rempublicam, siue commune bonum, quod sancti, & iusti viri præcipuè complectuntur, & fouent, siue linguarum consultatione, siue cuiuslibet fauoris calore: communia enim proprijs iusti viri, & non propria communibus anteponit, ad instar boni Regis, qui commune vtile eius Regni proprio commodo præponit. Secundo, epar est purum ab impuro separatiuum: in epate enim fit secunda digestio, separatio, & deporatio cibi,

Simile. Iustus epati comparatur.

Stomacus communi vtilitati corporis deseruit.

Epar est puri ab impuro separatiuum.

cum

cum prima facta sit in stomaco. Epar enim succositatem primæ digestionis per quasdam venas in suam concauitatem trahit, & per ebullitionem fortioris caloris celebrata digestione, siue deporatione. Secundo in massam sanguineam, & quatuor humorum, materiam illam conuertit, cuius digestionis impuritas emittitur per vrinam, quæ initium sumit ab epate; sed in renibus complementum, vbi substantiam recipit, & colorem: & inde per poros vritides transmittitur ad vessicam. Ex ipsa autem massa sanguinea, quæ est quatuor humorum materia, quod calidum est, & humidum, transit in materiam sanguinis, cuius receptaculum sunt venæ, licet, secundum Philosophum, formatio eius fit à corde: quod autem calidum est, & siccum, transit in materiam choleræ, cuius receptaculum est cistella fellis: Quod autem frigidum est, & siccum, transit in materiam melancholiæ, cuius receptaculum est cistula altera: Quod autem frigidum, & humidum, transit in materiam phlegmatis, cuius receptaculum proprium est pulmo. Digestio ergo epatis, quæ purum ab impuro secernit, est viri iusti seuera iustitia, qua peccata commissa per compunctionem puniens, mentem, & animam purificat. Et hæc est secunda digestio, siue deporatio: nam prima est à mortalibus per pœnitentiam. Hæc autem secunda est à venialibus per compunctiones iustitiæ, ex qua quatuor humores proueniunt; quia quatuor compunctionum sunt geneta, quibus viri iusti mens vehementer afficitur, sicut dicit Gregorius in Moral. scilicet, vel quando considerat vbi fuit, scilicet in peccato; vel quando respicit vbi est, scilicet in mundo: vel quando attendit vbi erit, scilicet in iudicio: vel quando pensat, vbi non est, scilicet, in cælo. Illis considerationibus viri sancti ad fletum prouocantur, & lacrymando, & flendo, ab omni puritate purgantur, ad instar boni regis, qui suis regnicolis distributiua iustitia, vnicuique quod suum est tribuit, & ad illorum regimen omnia percurrit tempora, præterita, præsentia, & futura. Tertio, quia est multorum passionum susceptiuum; nam epar aliquando patitur ex nimia caloris incensione, quandoque ex pororum nimia apertione, & per consequens caloris euaporatione, & aliquando ex infrigidatione, propter quam homo sæpe hydropisim incurrit, quia nihil est aliud hydropisis, nisi error digestioni virtutis in concauitate epatis. Hæc ergo cauenda sunt multum iustis,

Aristot.

Peccator quando à mortalibus liberatur.

Gregor in Mor.

Homo quid debet meditari.

Epar est multorum passionum susceptiuum.

Homo quando hydropisim incurrit.

ſtis, & ſpiritualibus viris. Primo caloris nimia incenſio, ideſt, indiſcreti feruoris præſumptio. Secundo, pororum apertio, ideſt, ſenſuum circa exteriora nimia patefactio, & occupatio, vel ſuarum virtutum abſterſio. Tertio, caloris euacuatio, ideſt, feruoris ſpiritus per negligentiam diminutio. Quarto, nimia per inuidiam infrigidatio. Eſt etiam ſummè vitanda ſuperbiæ tumefactio, quæ eſt hydropiſis.

Senſuum circa exteriora nimia patefactio, perniciosa eſt.

Vnde ſuperbienti Iob 15. *Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus?* Ad inſtar boni regis, qui temperat ſe in calore iræ immoderatæ: vnde Pſal.4. *Iraſcimini, & nolite peccare*. Secundo, quia temperat ſe à ſenſualibus voluptatibus. Tertio, quia curæ ſui regni ſemper eſt occupatus, quia ſe humiliat in conſpectu Dei, cuius gratia, non ſolum peſsimam fugit, ſed glorioſam acquirit mortem.

Iob 15. 13.

Pſal.4.5.

Rex ſemper eſt curæ ſui regni occupatus.

Amen.

VIGESIMAQVINTA LECTIO.

De iustorum armis aduersus tribulationes.

IN QVA DE QVATVOR ARMIS, quibus vtuntur iusti aduersus tribulationes, agitur; nempe, de audacia, qua tribulationibus opponuntur; de gaudio, quo tribulationes accipiunt: de modo, quo tribulationes superant, & de fine, qui aduersus tribulationes habendus est.

Iob 1. 20. & 21. Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & & tonso capite corruit in terram, & dixit: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.

PRIMA PARS.

Magister artis gladiatoriæ quis nūcupari potest.

AVDENS, ac fortis non modo, sed agilis, immò artis gladiatoriæ magister nuncupari potest ille miles, & præliator, qui nondum se defendit, & seruat immunem à sui inimici ictibus; verum ipsismet ictibus, eisdemq. punctionibus offendit, pungit, ferit, & tandem interficit. Quatuor quidem punctiones, ac vulnera sunt rabiosæ persecutionis, quibus dæmon sanctum Iobum fuit persecutus.

Persecutionis vulnera quatuor,

secutus. Amissio fuit prima, scilicet, bouum, & asinarum cum custodum interfectione. Secunda, ouium amissio etiam cum pastoribus. Tertia, amissio camelorum cum vigilijs: Quarta tandem amissio filiorum masculorum, & feminarum cum subitanea, ac repentiua morte, quemadmodum satis in præteritis lectionibus narratum est. Et quatuor quoque sunt remedia, seu defensiones, quibus non equidem sanctus Iob à dæmonis persecutione se defendit, sed cum ipsis pungit, ferit, fugat: *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*, ecce primum remedium: *Et tonso capite corruit in terram*, ecce secundum. & dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, ecce tertium. *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, ecce quartum. Primo audaciam demonstrat, cum qua pergit, & est occurrendum tribulationibus. Secundo gaudium, cum quo accipit, & accipiendæ sunt tribulationes. Tertio modus, cum quo vincit, & vincendæ sunt tribulationes; & (vt de his hactenus faciamus) quarta finis, quem habet, & qui haberi debet in tribulationibus. Et hæc quatuor erunt materia hodiernæ lectionis. Duo prima primæ partis, & duo reliqua secundæ partis erunt. Attendite.

Armis quatuor vsus est Iob contra dæmone.

Lectionis diuisio in quatuor capita.

T*Vnc surrexit Iob, & scidit vestimenta, &c.* Et primum; *Tunc surrexit* Iob, ait textus, quod cum intellexisset omnes quatuor malos, ac pessimos nuncios, amissionis, idest, rei, & natorum, *surrexit*, scilicet è regali throno, stetitque. Vbi notandum est quo ad litteræ sensum, quod Græci referũt hunc actum ad vltimum nuncium, hoc est, quod tunc stetit, quando ei filiorum mors nunciata fuit, quamuis alij attribuunt omnibus quatuor nuncijs malis, qui ei allati fuere; qui vt maius Iobum solicitarent, statim dæmonis opera absque temporis interuallo redditi fuerunt; immò aliqui aiunt, quod eos nuncians ipsemet dæmon esset, vt hoc velocius, leuiusq. iniquo fungeretur officio. Quidquid dicatur, sufficit mihi, quòd, audita filiorum morte, *stetit*: Facinus quidem seipso dignum; dignum, inquam iusto, ac sancto Iobo. *Stetit* igitur, ait Diuus Thomas hoc in loco, vt vellet actu exteriori significare, exprimereque audaciam, ac valorem, quibus tribulationes accipit, & quod sicuti erigens se de sede, & corporis statio audaciam significat, & fortitudinem:

Iob surrectio, quid significat.

D. Thom.

Iob quare post mortem filiorum stetit.

dinem : ſic idem etiam in mente innuit, & in intentione. Et iure quidem : nam (ſicuti ab initio ſum collocutus vobiſcũ) cum Iob clara benedicti Christi imago, & typus, veluti ipſemet Chriſtus in morte, & in paſſione maximam oſtendit au daciam, ſecundum quod dixit Pſal. 109. *De torrente in via bibet; propterea exaltauit caput*. Sic Iob efficere debebat, ſicuti vera ipſius imago. Per mare cymba, nauiſque vagatur: venti ſurgunt, & omnibus ex partibus eam pugnant, à puppi, à prora, à latere dextro, à ſiniſtro, ſed quia bene munita, quia bonum nautam habet, ventorum impetum non timet, nec vndarum procellas; & demum ſe audacter defendens, portum accipit. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra*. Quid exiſtimatis (ait Geneſ. c. 7.) eſſe iuſtum? Nauis eſt, bene armata, ſeu armis cumulata, aut munita : ita quòd quo magis tribulationũ aquę graſſantur eam, eo magis ſe defendit, & ab ipſis ſe ſeruat indemnem. Aquilo, ventus validus efflat ab Auſtro, & alijs ex partibus, & quercus bene fundata, & radicibus altis fortificata, ſe minimè mouens, oſtendit eam parum ipſum curare, & æſtimare. Mirabilis Eccleſ. 7. *Cor ſapientium, vbi eſt triſtitia*. Scitote, quod iuſtus eſt veluti bene fundata quærcus, quæ neque contrario vento, nec aliqua quacumque occaſione à ſua remouetur bonitate, & ab eius iuſtitia. Dux ponit militem ad ciuitatis, ſeu valli portam, & dicit ei; Mane hic fortis, audens, audax, ita quòd, licet veniant inimici, te hinc non remouebis, virili animo cum ipſis pugna. Hoc eſt, quod volebat dicere Eccleſ. 10. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio faciet ceſſare peccata maxima*, ideſt, ſi malus ſpiritus, dæmon te ſolicitandi à Deo facultatem habebit, non propterea vereri, aut inſtabilis eſſe debes, vel te ab innocentia tua ſegregare; ſed viriliter aduerſus ipſum pugnans, & cor, & audaciam demonſtrare, & aperire, quibus eſt neceſſe.

Pſal. 109. 7. — *Simile.* — *Nauis bene munita non timet ventos.* — Geneſ. 7. 17. — *Iuſtus eſt Nauis bene munita.* — *Simile.* — Eccl. 7. 5. — *Iuſtus eſt bene fundata quercus.* — *Simile.* — Eccl. 10. 4.

Et ſcidit veſtimenta ſua. In quem locum contendentes Doctores quærunt quid ſibi vult hæc veſtimentorum abſciſſio. Alij dicunt, quod hoc egit Iob ad oſtendendum intimum cordis dolorem, vt mos erat antiquorum, vt videri licet pluribus ſacræ Scripturæ locis : nam 2. Reg. 1. In funere, & obitu Saul, Dauid præcepit in ſignum doloris omnibus viris, qui erant cum eo, veſtimenta abſcindere. *Apprehendens Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt,*

Veſtimentorum abſciſſio Sancti Iobi quid ſibi vult. — 2. Reg. 1. 11.

xerunt, & fleuerunt. Hoc idem. 2. Reg. 3. iussit in morte Abner. *Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias* Abner. Immo ante, Genes. 37. hoc idem reperitur: nam Iacob scissis vestibus indutus est cilitio. Idem legitur apud prophanos, Virgil. in Æneid. ait. 2. Reg. 3. 31. Genes. 37. 34. Virgil.

Scissa veste latinus.

Et Iuuenalis in Satyr. Iuuenal.

Vt primus edere planctus.

Cassandra inciperet, scissaque Polissena palla.

Herodotus lib. 6. testatur, hunc etiam fuisse morem Lacedæmoniorum in luctu. Lucianus dialog. de luctu Græcorum. Dionysius Alicarnass. lib. 7. de condemnatione martyrij Coriolani Romanorum. Alij vero dicunt, quòd hæc vestimentorum abscissio fiebat in signum pœnitentiæ, & coram hominibus, & coram Deo. Sic in Iosue dicitur. Iosue 7. 6. *Iosue scidit vestimenta sua, et pronus cecidit in terram coram arca Domini*. Et Ioel 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, idest, plus corda, quam vestimenta, sicut illud Matth. 12. *Misericordiam volo, & non sacrificium*; non quòd negabat sacrificium, sed cum misericordia adiunctum quærebat, qui mos verè sanctorum, & piorum est humiliari magis coram Deo inter flagella, & persecutiones, vnde Regius Vates Psal. 34. *Cum mihi molesti essent, induebar cilitio*. Tertio hęc vestrium dilaceratio sæpe etiam vsurpanda est in blasphemiæ detestationem, & Dei honorem: sic Ezechias 4. Reg. 19. sic Hierem. 36. & in actibus Apostol. 14. Vbi Paulus, & Barnabas, quibus cum Iouis sacerdos sacrificare pararet, conscissis tunicis *omnes exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes. Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus*. Quarto Origenes dicit, quòd hac cærimonia vtebantur illi, quos contectum cadauer aliqua pretiosa veste condi oporteret, vestem prius conscindebant, ne fortè, si integra esset, furandi occasio daretur furibus: & cupiditas inijceretur exhumandi corpus, & & indignè tractandi. Quinto hanc dilacerationem vestium, & infracti cuiusdam pariter, ac liberalis pectoris, quasi diceret ad suos hostes: Alijs spoliatis rebus omnibus, si quid mihi reliquum est, videlicet vestem hanc, qua contegor, mihi inuidetis, non est, quòd per insidias illam auferre moliamini: libenter illam obijciam, nulla iterum sumendi spe; nam ne possim iterum illa vti, ego prius obijciam, infrustaque comminuam, quod quidem ad extremam voluntariam

Herodotus lib. 6. *Lucian. de luctu Græcorum.* *Dionys. Alicar. de condemnatione martyrij Coriolani Romanorum.* Iosue 7. 6. Ioel. 2. 13. Matth. 9. 13. *Deum misericordiam velle, & non sacrificium, quomodo intelligitur.* Psal. 34. 13. 4. Reg. 19. 1. Hier. 36. 23. Actor. 14. 14. *Origen.* *Carimonia apud antiquos circa vestimenta cadauerum.* *Vestimentorum abscissio liberalis pectoris signum est.*

Iob 1.21. tariam paupertatem maxime pertinet: ideò subiunxit: *Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Sexto tandem, & ad nostrum faciens institutum, idem

Origen. Origenes ait, hoc factum esse ad ostendendam audaciam contra dæmonis tentationes, demonstrando se esse eximium

Abscissio vestimentorum Iob, audaciam contra diabolũ ostendit. luctatorem. Nam Syrorum gens (teste Origene) cum erant conferendæ cum hoste manus, vestes conscindebant, & nudo pectore se se in medios hostes audacter conijciebant. Vnde Paulus 1. Cor. 9. *Omnis autem, qui se in agone contendit,*

1. Cor. 9.25. *ab omnibus se abstinet*. Et illud vulgatum Gregorij hom. 32.

Gregor. hom. 32. in Matt. 16. & Luc. 19. in Matth. 16. & Luc. 19. *Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus: nihil autem maligni spiritus proprium in hoc mundo possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus*. Iosephus, nè castitatem amitteret,

Homo constitutus in paradiso nudus erat. vestimenta reliquit. Homo constitutus in paradiso contra diabolum, nudus erat. Vbi autem vestitus est, è paradiso,

Nilus. tamquam à loco certaminis, expulsus est: in quàm rem Ni-

Prou. 27. 13. lus accommodat id Salomonis præceptum Prouerb. 27. *Tol-*

Septuaginta. *le vestimentum eius, qui spopondit pro extraneo*: vbi Septuaginta transtulerunt: *Tolle vestimentum eius: aduenit enim iniuriator, qui aliena dispendit*.

Et tonso capite corruit in terram, &c. Et quoniam sanctus Iob noscit non esse sufficientem primam propugnationem

Capitis tonsio apud antiquos, quid sibi vellet. contra impetum, & rabiem inimici, secundam sumit: & tondens, ac radens caput in terram se proiecit. Et primum scire debetis, quod tondere caput apud antiquos, argumentum

Plutarchus. erat cum hoste certamen inire velle. Vnde Plutarchus narrat, quòd Magnus Alexander antequam pugnam ingrede-

Alexander quare iussit militibus caput tondere. retur, præcepit suis militibus, quod caput, & barbam raderent, vt hostibus occasio deficeret se adhærendi capillis. Iob ergo, vt demonstraret animum, quem pugnandi habebat cum inimico, caput tondet. Secundum, aliquos, dum sacrificia in lege veteri immolabant tondebant seipsos immolantes. Cum Iobo omnia erepta essent, nec aliud quidquam habens, seipsum in sacrificium offert, & etiam se tondet. Tertium, aliqui quãdo moribundi erant, pilos radebant,

Virg. 4. Æneid. Seneca Apocoloc. act 5. Seruius. Horat. Ode 18. sicuti legitur in aliquibus prophanis auctoribus, & de Virgilio 4. Æneidum, de Seneca in Apocoloc. Act 5. de Seruio, de Horatio Ode 18. & de alijs, Iob vt ostenderet, quòd non curabat quidquid amiserat, sed se morti offert: ideò caput tondet. Et (vt fine gaudeamus secundum rem nostram) ait

Orige-

Origenes, quod tondere caput in Scriptura sacra, lætitiæ argumentum est, sicuti in Genesi legitur c. 41. nam, Iosepho carcere, educto, totonderunt eum: nunc (vt inquimus) volens sanctus Iob ostendere lætitiam, & consolationem, quibus tribulationes amplectebatur, vltimo illico nuncio audito amissionis omnium suorum, caput tondet, & iure quidem: veri enim Dei serui in hac vita nil optant, nisi persecutiones pati, & pœnas: vnde Ierem. 15. ad hanc rem dicitur: *Noli in patientia tua suscipere me*, idest, noli me vita priuare sustinendo me peccatorem, nec supplicijs emendando. Sic enim hunc locum plerique interpretantur: optant enim sancti puniri in hac vita pœna temporali, vt æternam subterfugiant. Vnde idem Ierem. 10. Ita Deum precatur: *Scio Domine, quia non est hominis vita eius: nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos. Corripe me Domine: verumtamen in iudicio, & non in furore tuo; nè forte ad nihilum redigas me*. In iudicio, inquit, idest, supplicio temperato; & quod ad correctionem, & emendationem pertineat; & in furore, hoc est, ad damnationem. Idem habet Abac. 3. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat*, hoc est varijs, molestisque doloribus efficiar, & omnem huius vitæ grauissimam licet pœnam sustineam, quorsum nam? vt requiescam *in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum*, hoc est, vt huiusmodi doloribus, & supplicijs emendatus non peream, sed obtineam salutem. Habes hac de re illustrem sententiam 2. Machab. 6. vbi libri eius auctor ita loquitur: *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersus casus, sed reputent ea, quæ acciderunt non ad interitum, sed ad correctionem esse generis nostri*. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est iudicium: non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas, cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat. Ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet, propter quod numquam quidem à nobis misericordiam suam amouet: corripiens verò in aduersis populum suum non derelinquit: quæ beneficia iusti contemplantes, non est mirum, si in tribulationibus, ærumnisque lætentur.

Origen. Gen. 41. 14. *Iosepho ex carcere educto, tonderunt eum in signum lætitiæ.* Ierem. 15. 15 Ierem. 10. 23 *Sancti optant in hac vita pœnam temporalem, vt æternam subterfugiant.* Abac. 3. 16. 2. Mach. 6. 12 *Beneficij Dei magni signũ est vltiones statim adhibere pro peccatis.* *Deus numquam à nobis misericordiã amouet.*

Hinc est, quod iusti non solum de eorum in hac vita, sed de impiorum etiam supplicijs gaudent: vnde ipsemet Iob 22. Iob. 22. 19.

Iusti non solum de eorum in hac vita, sed de impiorum etiã supplicijs gaudent.
Gregor.
Philip.
Hieron. in ps. 17
D. *Thom.*
Theodoret. super psal. 57.
Iustus lætatur propter pauperũ salutem.
Hilarius.
Exod. 15. 1.
Sap. 18. 1.
Deum cũ impios castigat gaudendum est.
2. Cor. 7. 9.

Videbunt iusti, & lætabuntur; & innocens subsannabit eos. Vbi contendunt Doctores, quænam sit iustis lætandi, & exultandi materia? Gregorius in hoc loco Iob respondens huic dubitationi, inquit, lætitiam hanc iustorum ad futurum iudicium referendam, futuramque impiorum damnationem. Secunda responsio est Philippi dicentis; Cum iusti de illis impijs pereuntibus dolorem experiuntur, de se lætabuntur. Hieronymus quoque in Psal. 17. dicit, quia quando illi, idest, impij damnantur in pœnis, isti lætantur in præmijs. Eodem modo D. Thom. Tertia est Theodoreti super Psal. 57. aientis. Gaudebit virtutis studiosus cum malitiæ operarium supplicijs affectum videat, non illudendo illis, sed perspiciendo diuinam prouidentiam, volentem despici ab illis, iniuria affectus. Lætatur igitur iustus propter pauperum salutem, & protectionem, quæ ex tyrannorum interitu redundat. Quarta, Hilarij, qui eum Psalmi locum ad iustos iudices referendum intelligit: *Lætitia*, inquit, *iusti est, cum viderit vindictam, quia peccatoribus puniendis deductum se per Angelos in æternam requiem lætatur.* Hæc ille. Quinta, aliorum asserentium lætitiam hanc ex diuinæ prouidentiæ honore, Dei gloria, & triumpho in suorum hostium interitu reportato ex diuinæ iustitiæ veritate, & celebritate apud vniuersos mortales concipi in iustorum animis: *Placet enim*, inquit, Philippus, *iustis Dei iustitia.* Hæc ille. Vident rursus Dei dignitatem, & auctoritatem commendari vindicta scelerum: quod potissimum à Moyse Exod. 15. celebratum fuisse, vel ipsa verba prima apertè ostendunt: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Et Sapient. 18. quoque testatur fuisse propriam illius cantici materiam. Sexta denique, & ad nostrum faciens institutum, illorum asserentium, gaudendum cum Deus castigat impios virga correctionis, vt emendentur. Sic dicebat Paulus 2. Cor. 7. *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Vbi cernis iustus appetere supplicia non solum ipsismet, verum, & impijs in correctionis, & pœnitentiæ signum.

Et dixit, Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Quamquam sanctus Iob duabus propugnationibus satanæ ictibus infernalibus se opposuit, & cum stetit conscindens vestem, & cum caput totondit humi se inijciens: nihilominus quia hæ duæ actiones, & operationes neque sic patebant, nec ita clarebant ad suam aperiendam

inten-

intentionem, non existimans eas ad vincendam, ac superandam perfidiam, & arrogantiam dæmonis, tertiam addidit, & quartam: tertiam scilicet, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ: & nudus reuertar illuc*. quartam, *sicut Domino placuit, ità factum est, &c.* Quoad tertiam, videlicet, *Nudus egressus sum*, Prosper ait, quòd hæc fuere tanti ponderis, ac virtutis verba, quòd licet offensus reperiebatur diuersimodè, ac variè ab hoste; hac vnica defensa iniuriam expulit, hostemque confudit. *Nudus egressus sum*, &c. D. Chrysostomus ait *tantæ extitere potentia hæc verba, quod dæmoni maiorem terrorem indiderunt, & attulerunt, quin varius sonitus, ac diuersa timpanizatio faceret*. Olympius ait, quòd hac clausula Iob vanam omninò spem dæmonis reddidit, qui vice maledictionis, quam ab ore Iobi expectabat, extremam benedictionem audiuit, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Sed de quo ventre intelligatur, inter Doctores etiam controuersia est: nam D. Chrysostomus pro terra accipit, omnium communi genitrice: quod etiam D. Thomæ placet, secundum quod Deus Adam loquutus est in Genesi, c. 3. *Donec reuerteris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. ita etiam Ethnici ipsi eam appellant. Vndè Varro narrat in nascendo filio, primum quod fiebat, erat, vt terram tangeret, in vniuersalis, & communis parentis argumentum. Idemmet narrat Suetonius in vita Augusti, & Neronis; & ità multi alij. Vult igitur dicere, terræ, a qua ego, & alij orti sumus, & cõsequenter veluti omnium communis mater debeo, & sum rediturus. Alij tamen capiunt pro ventre materno: & quando exinde repetit. *Et nudus reuertar illuc*, de sepulchro intelligitur, ventri materno simili. Clemens in Catena, & Gregorius Nyssænus in oratione Quadraginta martyrum, dicunt, verbum, *illuc*, non capi relatiuè, sed demonstratiue pro gloria cælesti, ad quam cum sanctus Iob curam directam haberet, voluit sic dicere, scilicet. qui huc me nudum misit, dum nudus ad ipsum reuertar, pro vno suorum me recognoscet, ac recensebit, inter suos etiam me recipiet. Ità, quòd licet tu à me quidquid possidebam, abstulisti; non ideò ad adeundum cælum me impediet: immò omne accidit in oppositum, quia iter laboriosum est, arctaque via existit. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*. quo magis priuar, & exonerabor terrenis, eo magis iter facile mihi correspondebit. Et (vt finem his impo-

Prosper. *D. Chrysost.* *Olympius.* *Venter in scriptura pro quo intelligitur.* *D. Chrysost.* *D. Thom.* *Genes. 3. 19.* *Varro.* *Sueton. in vita Augusti, & Neronis.* *Clemens in Catena.* *Greg. Nyssenus in oratione Quadraginta martyrum.* *Terrena impediunt cæli iter.* *Matth. 7. 14.*

nam) secundum rem nostram dicamus, quod hic Iob modum insinuat, quo Satanam superare debebat, dicens. *Nudus egressus sum, &c.* tamquam diceret, Fac quidem quidquid scis, & vales, quod nudus e manibus Dei exiui, & nudus ad eum reuertar: & sic vincitur, & superatur non solum tyrannis tua, tuaque perfidia; sed (secundum illud vulgatum Prouerbiū, scilicet, *Ars illuditur arte*) hoc medio homo tuam calliditatem, ac fraudes deridere potest.

Nudus homo à Deo exit, & nudus reuertitur.

Hoc illud est quòd Regius Propheta in Ps. 103. dicebat. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* In quem locum Hebræi pro more fabulantes, aiunt, Deum à principio mundi duos cætos immensæ magnitudinis, marem vnum, alterum fæminam procreasse; quia tamen præuidit si per generationem multiplicarentur, impeditum mare in nauigatione fore, fœminam occidisse, & sale conditam reseruasse, vt iusti post resurrectionem lautissimum ex eius carnibus conuiuium appareret. Interim cum masculo, qui superfit, tribus horis quotidie animi gratia colludere. Et ita hunc locum interpretantur ridicule, vt cętus mari, ita & ipsi sacræ scripturæ illudentes: locus enim ad litteram de cæto intelligitur, quem Deus procreauit in mari, vt in eo quasi luderet, & de reliquis minoribus piscibus propter suam magnitudinem, quasi tyrannico more triumpharet, eos nimirum deuorando. Ceterum Patres per cætum, siue leuiathano eo loco dæmonem intelligunt, quem Deus formauit ad illudendum, id est, vt illuderet hominibus, vt exponit D. Hieronymus, seu ad illudendum ei, idest, vt illuderetur ei ab hominibus, quemadmodum interpretatur Augustinus, Theodoretus, & alij, & ad nos spectat. Hinc fit, quòd diabolus (Ioan. 10.) lupo comparatur; vnde dicitur, *lupus rapit, & disperdit oues*. Primò ratione nominis: dicitur enim lupus, quasi leo pes (auctore Herodoto) eo quod quasi leonis pedibus sit ei virtus: vnde quidquid presserit, non viuit. Pedes igitur diaboli sunt delectationes peccati, per quas in hominem ingreditur, in quibus est tantæ virtutis, vt si eis mentem consentientem presserit, eam finaliter, illudendo, occidit. iuxta illud Prouerb. 1. *Pedes illorum ad malum currunt*. Secundo ratione fraudis: legitur enim, quod lupus aliquando voces emittit quasi hominis, aliquando latratū canū fingit, vt sic pastores, & oues illudat, & decipiat: sic diabolus aliquando suggestionem immittit, quæ aliquam habet boni speciem, vt sic homines fallat. Vnde D. Pau-

Psal. 103. 26.
Iudæorum figmentum,
Cætum quare Deus creauerat.
Hieron.
August.
Theodor.
Ioan 10. 12.
Simile.
Herodotus.
Lupus quasi leo pes.
Diabolus quare lupo comparatur.
Prou. 1. 16.
Dæmonis fraus.

D. Paulus 2. Cor. 11. *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*. Tertio, ratione tyrannidis; nam lupus cum primum ouile ingreditur omnes oues occidere quærit more crudelissimi tyranni: sic diabolus fortius tentat hominem, quando magis videt eum aduersitatibus, & afflictionibus fatigatum, quod patet in Iob 1. cui primo res abstulit, deinde filios extinxit, deinde graui vulcere percussit: tandem per vxorem, & amicos graues tentationes in cor eius immisit. Quarto, ratione delectationis ludi, quia lupus valde diligit ludum, auctore Plinio. Igitur dum puerum rapit, cum eo ludit, & postea comedit: sic diabolus cum peccatore ludit dum illum fortiter illaqueat, deinde comedit eum finali impœnitentia; vnde Prouerb. 14. *Stultus illudet peccatum*. Quinto, ratione fortitudinis; nam lupus habet magnam fortitudinem in capite, & in collo. Intestina autem habet debilia, scilicet, quia tota vis diaboli est in principio tentationis: quia si in principio ei resistitur, postea debilis efficitur. Vnde Ambrosius ait, quòd homo vocem perdit, si lupus eum primum viderit: sed si homo lupum antea conspexerit, audaciam perdit: vnde Iacob 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*. Sexto, ratione breuitatis temporis; nam legitur in libro de animalibus; quod quando lupus senescit, quia non potest prædari, vadit de nocte iuxta ciuitates, & insidiatur hominibus: sic diabolus sciens tempus suum esse breue, numquam quiescit, vt animas illaqueet, & perdat. Vnde 1. Petr. 5. *Semper circuit quærens quem deuoret*. Quæ omnia hucusque diximus, primæ rationi conueniunt, nemque quod diabolus hominibus illudit. Quo verò ad secundam est etiam quod homines illudunt, & possunt illudere diabolo: & hoc ratione formidinis: lupus enim multum ignem formidat, & lapides, auctore Homero: sic diabolus formidat ignem caritatis, & amoris erga Deum, & proximum, iuxta illud 1. Petr. 4. *Caritas operit multitudinem peccatorum*; & lapides asperitatis, & patientiæ. Vnde D. Paulus Ephes. 5. *Induite armaturam Dei*, idest, pœnitentiam, &c.

[Margin notes: 1. Cor. 11. 14 — *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* — Iob 1. 14. — *Plinius.* — *Diabolus ludit cum peccatore.* — Prou. 14. 9. — *Diaboli vis est in principio tentationis.* — *Ambrosius.* — Iacob 4. 7. — *Lupus cum senescit, quid agit.* — 1. Petr. 5. 8. — *Homines possũt diabolo illudere.* — *Homer.* — 1. Petr. 4. 8. — Ephes. 6. 11.]

SECVNDA PARS.

DOminus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum, &c. Ius quidem requirebat, quòd, cum veluti sit hoc vltimum responsum, postremaque propugnatio, cum quibus respondit, & se defendit ab ictibus, ac punctionibus inimici sanctus Iob: ita etiam debebat iaculari maiori artificio, maiorique diligentia aliorum, & illius quod prius effectum erat. Cum primo dictum est: *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*: & cum hoc audaciam, & fortitudinem in pugnando ostendit. Cum secundo, repetitum fuit: *Et tonso capite corruit in terram*: & cum hoc in pugnando gaudium demonstrauit. Cum tertio, inculcatum est: *Nudus egressus sum de vtero matris, &c.* & cum hoc modus pugnandi apertus fuit. Cum quarto conclusum est: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* & cum hoc finis descriptus est, qua repugnari debet. De tribus satis diximus in prima parte: nunc in hac secunda, de quarto & vltimo, sermonem facimus.

Dominus dedit, &c. Et hinc incipiens. Primum, notandum est, quod sicuti prius seipsum solatus est in hac sua calamitate cum condicione suæ propriæ naturæ, ac fragilitatis, dicens: *Nudus, &c.* nunc maiorem quærit, quæ est diuina prouidentia, dicens: *Dominus, &c.* Et hoc negans fatum, fortunamq. confitetur quod quidquid nobis mortalibus euenit tam bonum, quàm malum, à manu, ac à voluntate Dei scaturit, secundum id, quod aiebat Eccles. 11. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt*. Hoc illud est, quod forsan antiqui innuere volebant dum fortunam pingebant bifacem, & bicolorem, volentes hac duplicitate referre, quod bonum, & malum cuncta sunt à Deo. Et Isaias c. 45. dixit: *Formans lucem, & tenebras*; *lucem*, ecce bonum; *tenebras*, ecce malum. Et ideò iure dicit, quod licet substantiæ, & facultates ab hominibus ablatæ fuere, operatione, ac suggestione dæmonis: nihilominus Deo refert omnia. Et hoc, vel quia sic permittit, vel sic præcipit, ait Origenes: & hinc haurit, quod non solum dolere, aut conqueri debet de amissione eorum; sed potius Deo gratias, ac laudes referre: & iure

Mortalibus quicquid euenit de manu Dei accipiendum est.

Eccl. 11. 14.

Isa. 45. 7.

Dei prouidentia referendum & bonum & malū quod nobis accidit.

Origen.

& iure quidem; nam licet aliquando Deus det, ac permittat nobis malum, nō solum non facit id ob odium, quo nos prosequitur, sed potius vt nos præcipuo, ac singulari beneficio afficiat, iuxta illud Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, & non irascar amplius*. In quo loco est aduertendum, quod inter supplicia, quæ Deus Ierosolymis comminatur, vnum illud est præcipuum, quod enim vrbem statuat non punire. Sic eum locum interpretatur D. Hieronymus dicens: *Ex hoc perspicimus grandem offensam esse nequaquam curæ haberi à Deo, sed permitti hominem sceleribus suis*. Hæc ille. Eumdemq. locum expendens Orig. hom. 8. super Exod. *Vide*, inquit, *misericordiam, & patientiam boni Dei, quando vult misereri, indignari se dicit, & irasci, sicut per* Ierem. *ait: Dolore, & flagello castigaberis* Ierusalem, *vti ne ascendat anima abs te, hæc si intelligis miserantis Dei vox est, vbi irascitur, & zelatur, vbi adhibet dolores, & verbera: flagellat enim omnem filium, quem recipit hebræorum. Vis audire indignantis* Dei *terribilem vocem? Audi quod dicit per Osæam 4. Cum enim enumerasset multa nefanda, quæ* Ierusalem *commiserat, addit; Non visitabo super filias vestras cum fornicantur, neque super nurus vestras cum mœcantur*. Hæc Origenes. In hanc eamdem sententiam interpretatur D. August. illud Psal. 98. *Domine* Deus *noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum*: seu (vt alij legunt) *in omnes affectiones eorum, etiam*, inquit Augustinus, *vindicans propitius fuisti*. Hæc ille. Sed multo elegantius ser. 37. de verbis Domini: *Magna*, inquit, *misericordia est nequitiæ impietatem non relinquere, & nè cogatur in extremo gehenna damnare, modo flagello dignetur castigare, vis nosse nulla pœna quanta sit pœna? Dauidem interroga, qui ait Psal. 9. Irritauit Dominum peccator; qua re hoc dixisti? Vide quod sequitur, secundum magnitudinem iræ suæ non quæret. Ideò nempe non exquiret, quia multum irascitur, parcendo cedit, sed iustè cedit. Vnde apud Isaiam 26. magni supplicij loco dicitur, misereamur impio, & non discet iustitiam*. Hæc ille.

Hinc est, quòd Isaias 40. dicitur: *Consolamini, consolamini populе meus, dicit* Deus *vester. Loquimini ad cor* Ierusalem, *& aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu* Domini *duplicia pro peccatis suis*. Quo loco recipere duplicia pro peccatis, seu, vt habent Septuaginta, *recipere duplicia peccata sua*, est pro peccatis

[Margin notes:]
Ezech. 16.42
Deum non punire in hac vita, est supplicium.
D. Hieron.
Orig. hom 8 super Exod.
D. August.
Psal. 98.8.
August. ser. 37.
Psal. 9.34.
Isa. 26.10.
Isai. 40. 1.
Duplicia pro peccatis recipere, quomodo intelligitur.
Septuaginta

catis multis pœnis affici, quemadmodum interpretatus est
D.Amb.ser.19. D. Ambrosius serm.19. super illa verba Psal.118. *Praueni in maturitate, seu in immaturitate*, vt constat ex textu Græco:
Psal.118.147 Quam cito, inquit Ambrosius, dixit plenitudinem dictionis: est enim apud Septuaginta completa humilitas, seu dictio eius solutionem esse peccati; & repetiuit causam consolationis, videlicet, eo maius esse reconciliationis insigne, quo numerosior fuerit pœna, quam culpa, id, quod euidentius ex-
Isai. 28.13. pressit idem Propheta 28. cum dixit: *Tribulationem super*
Septuaginta. *tribulationem, spem super spem*: sic enim Septuaginta reddiderunt, quod vulgatus transtulit: *Manda, remanda, expecta,*
Tribulatio ad tribulationẽ adiungere est spem supra spem iniji-ci. *reexpecta*. Ita cernis, iuxta translationem adiungitur, spem supra spem iniici; & tunc posse peccatorem spem gloriæ concipere, cum à Deo castigatur. Quod beneficij genus agnoscens Iob 6. sic dicebat: *Qui cœpit, ipse me conterat, soluat*
Iob. 6.9. *manum suam, & succidat me*. In quem locum D.Gregorius
D.Gregor.lib.7. moral.c.7. lib.7.Mor. c.7. *Cumque nos extolli*, inquit, *conditor conspicit, sed amorem suum erga nos per verbera non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia manum ligatam tenet, an non affectus sui manum ligauerat, cum peccanti populo dicebat, iam non*
Ezech 16.42 *irascar tibi, & zelus meus recessit à te? soluere, ergo manum suam dicitur, cum exercet affectum*. Iccirco Regius Vates.
Psal.25. 2. Psal.25. postulat: *Proba me Domine, & tenta me*. Et in alio loco. *Ego in flagella paratus sum; quia enim sancti viri corruptionis suæ vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, vt aperto vulnere virus peccati exeat*: Id, quod idem Iob 6. luculentius
Iob 6. 10. significauit, subiungens. *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat. Electi quique cum perpetrasse se illicita nouerunt; sed perscrutantes inueniunt, quia nulla pro illis aduersa perpessi sunt in immensæ formidinis terrore tabescunt pauore æstuant, sinistris agitati suspicionibus laborant: ne in æternum se gratia deserat, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla castigat, timent ne vltio, quæ suspenditur grauior in fine seruetur: feriri paterna correptione desi-*
Iob 6. 10. *derant; & dolorem vulneris medicamina salutis putant. Rectè igitur (ait Iob 6.) Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat: ac si apertius diceret. Quia ideò hic quibusdam parcit, vt eos in perpetuum feriat. Ideò me hic feriat, vt non parcendo in perpetuum parcat.* Hæc Gregorius. Hoc idem
Psal.73. 1. indicare voluit Dauid. Psal. 73. cum dicebat. *Domine ne in*

furore

furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, quoniam gitta tua infixa sunt mihi. quæ sagittæ secundum Lyranum fuerunt illæ, quæ per manum Gad ad Dauid missæ fuerunt, quando illi dictū est; *aut septē annis veniet fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur, aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua* quibus percussus dixit, *coarctor nimis vndique*: vel sagittas appellat labores, propter peccatum inflictas. quæ sagittæ sunt potius misericordiæ, quam iustitiæ; quia quos laboribus, & calamitatibus in præsenti vulnerat, ab æterna damnatione eripit, & à sempiternis vulneribus liberat. quare non vt interimat, sed potius vt liberet; non vt perdat, sed vt excitet, sagittas immittit: quod intelligens ipsemet patientissimus Iob 30. aiebat; *Pharetram suam aperuit, & afflixit me: verum tamen non ad commutationem meam emittis manū tuam; & si corruerint, ipse saluabis*; quasi diceret.. Video Domine, quòd vndique sagittis calamitatum sim plenus, cum à planta pedis vsque ad verticem nihil in me non sauciatum videam: posuisti me quasi signum tuæ iustitiæ; & omnium sagittarum tuarum pharetram in me euacuasti: verum hæc mihi superest consolatio, quod non ad consumptionem meam emittis manum tuam: non enim intendis destructionem meam, quia potius correctionē, & reparationem meam.

Lyran. *Sagitta Dauid, quæ fuere.* 2.Reg.24.13 *Deus quem hic vulnerat, à pænis æternis liberat.* Iob 30.11.

Habet se Deus respectu nostri sicut Pædagogus, qui Principis, aut Magnatis cuiusuis filium repræhendit, & castigat, qui tamen non illum odio persequitur, quin potius tenerè amat, & vnicè diligit: & licet puer paruulus cum sit, id non cognoscat: intelligit tamen cum ad prouectam ætatem peruenerit; tunc enim cognoscit, quòd verba aspera, & flagella non ex odio, sed potius ex amore procedebant. Hinc est quod dicebat, *quos amo, arguo, corrigo, & castigo*. O quam plenus est mundus huiusmodi paruulis, qui beneficia Dei in correctionem eius non agnoscunt, nec recipiunt, sed contra misericordem suum pædagogum seipsos conuertunt, causanturque quod eos virga directionis suæ percusserit, non mirum, quia paruuli sumus fluctuantes sub huiusmodi elementis; & ideò manum Dei misericordiæ plenam non agnoscimus. Cognoscemus verò aliquando, quòd disciplina correcti, labor, infirmitas, & aliæ huiusmodi sagittæ, quibus corda nostra transfigere solet Deus ex visceribus clementiæ suæ proficiscantur: quibus

Simile. *Deus respectu nostri habet se sicut pædagogus.* Apoc.3.19. *Misericordiam Dei quare non cognoscimus.*

bus nos aduertit, vt peccata relinquentes, ad eum toto corde conuertamur. quamobrem, vt Incognitus inquit, sagittæ istæ aduersitatum non sunt mortiferæ, sed salutiferæ: siquidem æstum vitiorum refrigerant, vmbramque nobis faciunt, qui a sensualitatis nostræ ardoribus protegamur. Narrat Valerius, cū quidā nobilis ad bell cōtra Persas pergeret, & interrogaret Spartanum, vt res sese haberent, Spartanus respondit, tantam esse sagittarum multitudinem, quod Solem obscurare solerent: Cui ille constanti animo magis ex hoc confortatus. Benè, inquit, narras, quia in vmbra præliabimur: sic nimirum nobis contingit, qui quamuis magna tribulationum multitudine aliquando præmimur, in tanta copia, quod claritatem, gloriam mundanam nobis obscurant: sed donum hoc nobis afferre negare non possumus, quòd cum ad pugnam cum hostibus nostris, mundo, diabolo, & carne, descendimus, vmbram nobis faciant, qua ab inordinato concupiscentiæ desiderio defendimur. De his sagittis loquebatur Regius Vates Psal. 76. quando dicebat. *Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.* Vbi constituit discrimen inter præsentes tribulationes, & calamitates, & illam, quam nulla alia sequutura est, quod illæ sunt sagittæ, volantesque transeunt, & non permanent, nec sunt stabiles. At vltima illa tribulatio, vox tonitrui illius tremendi. valdeque formidandi, *Ite maledicti in ignem æternum*, ad cuius sonitum cardines cæli mouebuntur, terra contremiscet, pauebunt Angeli, & homines præ timore arescent. Illa quidem vox in rota erit, idest, erit perpetua, quasi circularis motus: non enim sententia illa habitura est finem. At vero sagitta præsentis calamitatis cito transit, quia non vltionem, & vindictam, sed admonitionem intendit. Contingit aliquem in carcere deterrimo detentum esse, ad quem nullo modo accessus permittitur: & tunc amicus eius iacit sagittam in carcerem cum monitorijs litteris, in quibus continetur quomodo ex illo strictissimo carcere possit exiere, & mortem euadere. Cum sumus in peccato in carcere dæmonis detinemur, ad mortemque æternam secundum præsentem iustitiam sumus destinati, immittere nobis aliquem laborem nihil aliud est, quā sagittam cū litteris monitorijs iacere: quibus admonemur, quomodo dæmonis carcerem disrumpere valeamus, peccata nostra confitendo; & sic a perpetua morte fieri immunes.

Sagitta Domini non sunt mortifera, sed salutifera.

Valerius.

Psal. 76.19.

Discrimen inter præsētes tribulationes, & futuras.

Iudicij finalis timor.

Simile.

Homo in peccato in carcere dæmonis moratur.

Hinc

Hinc est, quòd Deus contumacem, & improbum seruum vendit aliquando, & vexandum tradit sæuis, & barbaris possessoribus, nimirum hostibus, supplicijs, calamitatibus, non quòd Deus, redacta ex mancipio pecunia; opus habeat; sed vt reprobus seruus agnoscat tandem distantiam seruitutis Dei, & seruitutis regni terrarum, vt Isaię dicitur, vbi sic ait Deus. *Gratis venundati estis*. Et cap. 50. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*: quasi dicat. Neque habeo creditorem, cui debeam satisfacere, neque obstrictus sum exteris gentibus, quibus soluendo non sim, nisi seruos meos, & supellectilem domesticam venalem proponam, sed vestra contumacia in causa est, vt domo eiectos, supplicijs, & hostibus tradiderim. quod si iterum suus mos ad se transferat, & à durissima peccati, & supplicio rum seruitute afferat, iam tunc redimere dicitur, & quasi iterum emere, regenerationis, & recreationis, ac redemptionis beneficio. Vnde in sacro sermone, redimere, idem est, quod liberare a malis, & ab impugnatione hostium, quibus obstricti, & subditi, tamquam serui tenebantur. Vnde Hierem. 15 *Liberabo te de manu pessimorum, & redimam te de manu fortium*. Et in Psal. 129. *Apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio*, idest, Deus solet abunde, copiose, frequenter liberare ex aduersitatibus: sed quale, nam tandem redemptoris munus sit, & quam cumulate ille solus explere redemptionis rem, atque nomen possit, docet nos ille Isaiæ locus. 41. *Tu Israel serue meus, Iacob, quem elegi, semen Abraham amici mei*, amici mei, amicitiæ, & beneuolentiæ iure, & incredibilium beneficiorum posteros obstrinxi mihi, & coemi peculiares seruos. Beata porro seruitus, quæ commune habet cum amicitia nomen; felixque ira, quæ misericordia, & ingenti beneficio plena est: beati serui illi, quos dominus iratus amicos facit, & vocat. Et sequitur: *In quo apprehendi te ab extremis terræ*; apprehendi, inquam, & quasi manu cæpi Abraham, atque in eo posteri omnes æstimantur, quasi manu capti, non iure belli, sed quadam ira, quæ est summa pax, atque caritas, sed quam nobile, quam fortunatum mancipium, quod cum a victore manu capiatur, non trahitur manibus post terga reuinctis ad peregrinam regionem, in qua illi, sicut in exilio peregrè viuendum sit, atque seruanda seruitus durissima: sed manu ducitur ad terram, quæ illi sola patria promittitur, bonis omnibus

Deus aliquando vendit contumacem seruum.

Isa. 52. 3.

Isai. 50. 1.

Redimere quid sit in sacro sermone.

Hiere. 15. 21.

Psal. 129. 7.

Isa. 41. 8.

Seruire Deo, beatitudo, dicitur.

Dei mancipium esse, quam fortunatum sit.

bus

Dei seruis omne bonum promittitur.

bus refertissima, atque huius regionis indigne dantur illi seruí in perpetuum, vnde subditur: *Et à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi; seruus meus es tu; elegi te, & non abieci te:* numquam te venalem exponam amplius, nec tradam in manu dominorum crudelium, quod si adhuc te possessum deplores ab iniquis, & sæuissimis hostibus: tamen afferam nunc in potestatem meam, & domum, & omnia optima redemptoris officia præstabo. quæ deinde enumerat dicens: *Ne timeas, quia ego tecum sum, ne declinet*, supple, robur. *Confortaui te, & auxiliator sum tui, & suscepi te dextera iusti mei; ecce confundentur, & erubescant omnes, qui pugnant aduersum te*, scilicet, te bello capiant: erunt, quasi non sint, Ego redemptor tuus, sanctus Israel.

Deus tunc nobis est propitius cũ nos punit.

Immo tunc Deus propinquiùs est nobis, cum nos punit iuxta illud Psal. 94. *Propter quod infensus fui generationi huic*. Sic enim est in Hebræo, & in Vulgata editione; pro quo alia littera habet, Propter quod *proximus fui generationi huic*, quemadmodum legit Breuiarium Romanum, & noua translatio Septuaginta, erecta iussu Xisti Quinti Pontificis Maximi: vbi legimus per Iota, idest, proximus fui; prioremque lectionem sequutus est D. Augustinus, ex cuius lectionis varietate intelligimus Deum tunc esse nobis proximum, & propitium, cum est infensus: quemadmodum exponit D. Thomas, & dupliciter interpretatur, vno modo, vt sit sensus; Proximus fui parcendo; nam cum Deus peccata dissimular, videtur longe abesse. Altero sic: Proximus fui per misericordiam. quia nimirum hoc ipso, quod eos puniebat pœna temporali, maximum misericordiæ signum dedit. Itaque Deum infensum esse in hac vita, est proximum esse, ac misericordem. Eodem sensu D. Hieronymus in commentarijs super Ezechiel: accipit illud cap. 7. *Non parcet oculus meus, neque miserebor, quasi*, inquit, *clementissimus Medicus incidere cupiens putridas carnes, & carnosa vulnera adurere, cauterio non parcit, vt parcat: non miseretur, vt magis misereatur, iuxta illud Amos. Tantummodo vos cognouit de vniuersis finibus terræ: iccirco vlciscar super vos omnia peccata*. Hæc ille. Hinc est, quòd tribulatio, & punitio à Deo immissa potest Rutæ assimilari; Primo quia Ruta habet vim purgatiuam: purgat enim immunditiam matricis, & inde fœtum mortuum educit. Sic tribulatio, & punitio Dei, dum hominem ad pœnitentiam humiliat, immunditiam mentis, & inde virtute pœnitentiæ

Marginalia: Psal. 96. 10. — *Breuiarium Romanum.* — Septuaginta. — *D. August.* — *D. Thom.* — *Deus proximus est nobis per misericordiam.* — *D. Hieron.* — Ezech. 7. 4. — *Simile.* — *Tribulatio Rutha assimilatur.*

nitentiæ mortale peccatum euacuat. Vnde D. Augustinus super Psal. dicit, quòd flagellum tribulationis excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, & coronat innocentem. Secundo, quia ruta habet vim mortificatiuam: debent enim mulieres grauidæ ab esu rutæ abstinere, quia fœtum occidit in ventre, quasi autem fœtus in ventre est peccatum conceptum, quod tribulationis vis penitus extinguit. Vnde Eccles. 3. *Ignem ardentem*, id est, incentiuum peccandi, *extinguit aqua*, scilicet, tribulationis. Tertio, quia ruta hæbet vim serpentium, & bufonum expulsiuam; vnde debet plantari in hortis, quia ab eis omne venenum depellit, & debet iuxta saluiam plantari, quia eam serpentes diligunt, & Bufones. Per saluiam ergo calidam, & humidam, appetitum intellige sensitiuum, quia sensualitas nominatur. Serpentes autem sunt motus inordinati, & passiones virtutis irascibilis. Bufones vero sunt passiones concupiscibilis. Et hæc omnia in saluia fouentur: quia omnes huiusmodi motus in sensualitate nutriuntur; sed hæc omnia reprimit ruta, id est, tribulatio humiliter portata. Nam bufones, idest, concupiscibiles passiones, puta, gaudium, delectationem, & huiusmodi, extinguit vis tribulationis: sed serpentis, idest, motus irascibilis, puta, odium, iram, & huiusmodi, reprimit vis patientiæ, & humilitatis. Quinto, & postremo, & ad nostrum facit institutum ruta habet virtutem illuminatiuam; quia ruta cruda comesta visum acuit; sic etiam tribulatio acuit visum mentis, quia intellectum tribuit ad cognoscenda Dei iudicia, & dum Deum credebat ab eo abesse, cognoscit adesse. Vnde Isai. 28. sola vexatio dabit intellectum. Amen.

D. August. super Psal.

Tribulatio quot bona producit.

Eccles. 3. 33.

Motus inordinati sunt tot serpentes.

Tribulationis vis extinguit motus sensuale.

Tribulatio acuit visum mentis.

Psal. 28. 19.

VIGESIMA SEXSTA LECTIO.

De cogitationibus humanis.

IN QVA SEX EXPLANANTVR: Primum, quid est cogitatio. Secundum, in qua parte reperitur. Tertium, à quo procedat. Quartum, qua re potius malum, quam bonum cogitari contingit. Quintum, quos effectus producat mala cogitatio. Sextum, quomodo oportet ab ea se abstinere.

Iob 1. 22. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.

PRIMA PARS.

Simile.

Statuarius quid facere solet.

SIC affabre excellens statuarius, ac diligens pictor facere solet, qui completa prima statua, ac pictura illa, qua potest diligentia, ac perfectione, in limbo tãdem eius quasi in signum victoriæ, ac trophæi excellentiæ suæ virtutis, & artis, concludit, & subscribit, is magister fecit, sculpsit, pinxit. Spiritus sanctus autem, picta, ac sculpta pulchra statua, ac formosa sancti Iobi imago malleata, & exculpta diuersis tribulationibus, ac curis. Tandem concludit: In *omnibus his non peccauit* Iob *labijs suis, neque stultum aliquid contra* Deum *locutus est*. In *omnibus his*, ecce vna subscriptionis clausula: Neque *stultum*, ecce secunda. Quæ duo inseruient pro materia sequentium lectionum, causa finis huius capituli.

In omnibus his, &c. Ac si diceret, quamuis pauper, ac solicitatus

licitatus Iob curis omnibus, omnibus infortunijs, cunctisque quas fuit passus, aduersis, malisque nuncijs fuisset affectus: nihilominus non peccauit labijs suis, nec etiam verbo peccauit, nec verbum protulit, quod peccatum esset: nihil infandum loquutus est. Itaque noster interpres latinus hoc refert linguæ peccato; & ideò adiunxit labijs suis; & doctè quidem, ac sapienter; nam, sicuti dæmon iactauit se, quod per ipsum Iob blasphemaret, vt exitus principio respondeat, & omnino vanum reddat dæmonis facinus, ait: *Non peccauit labijs suis*, idest, Iob non equidem blasphemauit, nec verbum minimum protulit, quod in Dei, ac proximi dedecus esset, ac redundasset. Græci Patres, & præsertim Origenes hæc verba refert curis, ac cogitationibus, idest, tot in molestijs Iob nec curam quidem habuit, quod mala esset, vel iniqua, & in Dei decus, & cultum: quam sententiam Septuaginta tuentur, ipsique suffragantur, qua vtuntur Græci, qui dicunt: *In omnibus his, quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob coram Domino:* cui sententiæ adhæret etiam D. Gregorius 2. Moral. 19. & rationem addit: sicuti enim in secunda parte clausulæ, vbi dicitur: *Neque stultum aliquid contra* Deum *locutus est*, clare cernitur, quod de verbis, & de linguæ peccato sermo fit: ita in prima: *In omnibus his non peccauit* Iob *labijs suis*, de cogitationibus, curisque intelligitur. Miram huius sancti perfectionem, qui tot in solicitudinibus, ac omissionibus, nec etiam cura, nec minus cogitatio eum perturbatione afficit, & mouet; & scimus equidem, quod interdum curæ non sunt peccata; & profecto Spiritus sanctus describit mirabilem huius sancti perfectionem dicens, quod nec minimam nempe curam accepit, à qua perturbatus extitisset. Et, vt nobis facultatem tractandi de hac materia tam necessaria, ac vtilitate plena vna præberet; circa quam sex dicemus. Primum, quid nam sit cogitatio, & quid cura. Secundum, vbi hæc cura fundatur, & innititur. Tertium, à quo cogitatio procedit, & emanat. Quartum, qua re ad cogitandum magis malè, quàm bene propensi, & procliues sumus. Quintum, quod malum prauæ afferunt cogitationes. Sextum, & vltimum, qua eas debemus cautela expellere. Et hæc sex pro materia plurium lectionum inseruient pro vt facultas requiret. Et in hac peculiari tria tractabimus; vnū, scilicet, quid nam est cogitatio. Alterum, vbi fundatur eadem. Tertium, à quo exuberat. Attendite.

Græci Patres. Origenes.

Septuaginta.

D. Greg. 2. Moral. 19.

Iob 1. 22.

Labijs non peccare, quo modo intelligitur.

Lectionis diuisio in tria capita.

In om-

Septuaginta. IN *omnibus his non peccauit Iob labijs suis, &c.* Vel secundum Septuaginta: *In omnibus his, quæ acciderunt ei, nihil peccauit Iob coram Domino.* Et primum, si tu petis, quid est cogitatio, quid cura, ego tibi respondeo vnico verbo, quod aliud non est, præterquam conceptus rei, quam homo, & mulier concipiunt in semetipsis, in eorum corde, ac mente absque actu, vel operatione aliqua exteriori: & ita nobis intrinsecus est, quod Scholasticis sapientibus materiam disceptandi administrauit, scilicet, an istæ curæ, & cogitationes in nobis cognosci possunt, atque detegi ab Angelis, qui, cum puri sint spiritus, essentiam, & intrinsecum vident animarum nostrarum. Et ideò D. Bonauent. 2. sent. dist. 8. p. 1. q. 6. ait, quòd nec homines, nec Angeli queunt alterius hominis intrinseca arcana intelligere, nisi ipsemet homo eis non reuelat; sicuti Angelus alterius Angeli arcana capere non valet, nisi ipsemet Angelus ei reuelat, & aperit. Vnde D. Paulus 1. Cor. 11. *Eius hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in illo.* Vnicus Deus scire potest, & de facto scit nostras cogitationes. Et ideò Psal. 32. aiebat: *Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.* Et Ierem. 17. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Et in 3. Reg. cap. 8. *Domine tu solus nosti cor omnium filiorum hominum.* Et hoc accidit, quia, cum Deus sit intimus, & intrinsecus cunctis in creaturis, & consequenter in animabus nostris videt, potestq. videre omnes suas cogitationes. Hic est (ò docti) illapsus ille, quem exprimunt sacri Theologi. Illapsus innuere vult quemdam fluxum, per quem aliquid in alia re intimum est, his ideò duabus condicionibus. Prima est, quod illa res, quæ illabitur, oportet, quòd ab ea distinguatur, cui illabitur, essentialiter. Et altera, quæ secunda est, quòd habeat merum, mistumque imperium super ipsam. Quæ quidem duæ condiciones, quia in Deo tantum reperiuntur (quoniam non modo ab omnibus creaturis essentialiter distinguitur; sed super omnes ipsas absolutum, imperium, ac dominium tenet) ideò soli ipsi conuenit illabi in omnibus, idest, esse intrinsecus, & intimus omnibus creaturis.

Cogitatio quid est. — *Cogitatio an ab Angelis cognosci possit.* — D. Bonauent. 2. sentent. lib. 8. p. 1. q. 6. — 1. Cor. 2. 11. — Psal. 32. 15. — Ierem. 17. 10 — 3. Reg. 8. 39. — *Deus solus cognoscit cogitationes hominum.* — *Illapsus quid sit.* — *Deus super omnia imperium habet.*

Hoc est illud, quod dicunt Theologi, Deum esse in omnibus rebus per præsentiam, per potentiam, & per essentiam: quæ quidem declarans Riccardus dicit: Deus aspicit omnem creaturam primo per intellectum, quia omnia intelligit,

Deus est in omnibus rebus. — *Riccard.*

git, & scit: & propterea est vbique per essentiam, quia omnia sunt in præsentia, vel in conspectu Dei; sicut omnia, quæ sunt in præsentia hominis, qui videt omnia in aliqua domo. Secundo aspicit Deus omnem creaturam per voluntatem; & propterea vbique est per potentiam, quia in omnibus rebus potest facere quidquid vult. Tertio aspicit omnem creaturam Deus per illapsum, & propter hoc vbique est per essentiam; nā essentia Dei cuilibet creaturæ entitati habet illabi: & ita est diuina essentia in omnibus rebus, quod in qualibet earum est tota. Et quia in Deo idem est potentia, quod eius essentia; ideò nihil attingit Dei potentia, quod non attingat eius essentia. Ergò est in omnibus per essentian. Vel clarius: Præsentia est quidam respectus positiuus aliquorum ad inuicem cum ordine simultatem habentium, vnde præsens: & sic remanet, quod solus Deus cum sit in creatura intimus, solus etiam nostras cogitationes videre potest; nec absque ratione: Deus enim multas in nostrām animam infundens prærogatiuas, hanc præcipuam ei largitus est. Et quia hæc valde vtilis est materia, non ab re erit hac occasione de ipsa breuiter discurrere; quoniam, sicuti ait Aristoteles 1. de anima. Cognitio animæ nostræ est vtilis, & necessaria ad quamcumque virtutem adipiscendam: & iure quidem; nam intelligendo, & cognoscendo nos minutim eius nobilitatem, in Dei amorem nosmetipsos calefacimus, & inflammamus, qui tam pretiosum, pulchrumq. nobis est elargitus; & propterea, vt perspiciamus, & perscrutemur perbelle etiam nos hortatur quin ita carum, ac diuitem thesaurum amittat: & consequenter à peccatis nos abstinere facit. Vnde D. Bernardus serm. 82. in Cant. aiebat. Quo anima melius cognoscit suam originem, & magis erubescit vitam habere degenerem. Homo dum cognoscit, & scit se à nobilissima progenie, regioque è sanguine descendisse, plebeias operationes imitari verecundatur, & infimas. Sic affabre dum homo, & mulier æque noscent, quæ nam sit animæ nobilitas, impossibile est, ne verecundetur opera ea indigna perpetrare; & ideò hac motus occasione æquum esse, nos ea diligentia, quæ possibilis est, suas quærere prærogatiuas, & excellentias, quas duplices inueniemus, scilicet, quo ad Philosophum, & quoad Theologum. Si tu igitur à Philosopho petis, quid sit nostra anima, respondebit in 2. lib. de anima, quod *est actus primus corporis physici organici potentia vi-*

Deus est vbique

Deum esse per præsentiam, potentiam, & essentiam in omnibus quomodo intelligitur.

Potentia in Deo idem est, quod eius essentia.

Deus diuersas prærogatiuas in animam nostrā infundit.

Aristot. 1. de anima.

Anima nostra cognoscens eius nobilitatē, Deū diligere debet.

D. Bernar. serm. 82. in Cant.

Homo cognoscēs se ex nobilissima progenie veretur imitari plebeas operationes.

Aristotel. 2. de anima.

Anima definitio secundum Philosophum. *tam habentis*. Qua definitione animæ, inquam, prærogatiuas assignat. Et primo quo ad genus, dicens, quòd est actus primus, idest, quòd anima est illa, quæ dat perfectionem, & ponit in actu, & operatione corpus; primo, quia etiam cum non operatur, suam habet perfectionem, sicuti videtur in dormiente: vbi, licet tunc non intelligit, nec vult, nec aliquid operatur; nihilominus est primus actus, idest, in habitu est, vt possit operari. Secundo secundam detegit prærogatiuam, dicens, quod est actus sui corporis organici, & physici. Quæ clausula tres continet particulas, corporis, est vna: quia anima intellectiua non est sensitiuæ forma, nec sensitiua vegetatiuæ; nam ambæ hæ comprehenduntur, & continentur virtualiter, & potentialiter in ipsa, sicut trigonus in tetragono, ait Aristoteles: sed quidem forma est, & *Aristot.* perfectio corporis physici, idest, naturalis, & non artificialis; organici, quia corpora, quæ carent membris, & organis, nec profecto vitam habent, sicuti cernitur in petris, & in ære, seu metallis: è contrario plantæ, & arbores, quæ ramis gaudent, cortice, atque matrice, quæ sunt earum organa, consequenter vitam habent saltem vegetatiuam. Tertia prærogatiua est, potentia vitam habentis; quia, etsi in se vitam non habet; tamen est in potentia, ac dispositione, vt possit animæ vitam accipere; & hoc totum bene se habet; sed perulterius progreditur Theologus.

Cassiodor. *Anima definitio secundũ Theologum.* Ait igitur Cassiodorus, quòd *anima rationalis est substantia spiritualis à Deo creata, proprij sui corporis viuificatrix*; & addere possumus, *capax gratiæ, & gloriæ*. Qua in definitione compræhenduntur omnia causarum genera; efficiens, *Anima definitio omnes comprehendit causas.* dum dicit, *à Deo creata*; materiale, *substantia spiritualis*; formale, *sui proprij corporis viuificatrix*; finale, *capax gratiæ, & gloriæ*. Et primò quoad causam efficientem, ait, *a Deo* *Simile.* *creata*, creata immediate à Deo. Nonne videtis vos quam nobilitatem, quamque mirabilem hanc esse prærogatiuam? *Animæ nobilitas in quo consistit.* facta, & creata immediate a Deo, absque mysterio alterius personæ, absque præueniente materia alterius rei. Sculptor sumit marmor, porphyritem, alabastritam, vel aliam similem pretiosam materiam, & ex hac pulchram, formosamque componit statuam, ita, quod omnes obstupescere facit, eam aspicientes. Sed e conuerso si statuarius reperiretur, qui sine marmore, porphyrite, alabastrita, vel absque alia re statuam perficeret tam pulchram, totque æstimationis, quod

omnes alias antecelleret, quid vos diceretis? Qui nam stupor esset? Deus fecit statuam corporis quidem hominis, & omnium etiam creaturarum, tam pulchrarum, tamque variarum, quod omnes obstupescere facit: immo peculiarem hominis statuam, videtur, ipsum admiratum esse Deum: quoniam, perfecto homine, nullum dictum fuit, sicuti in alijs creaturis effectum est; vbi dicitur: V*idit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Sed in formatione statuæ hominis, fere mirabundus, aliud, inquam, dictum non fuit, & perbelle equidem. Verùm, qui non perscrutatur, qui nescit, has creaturas, immo idem hominis corpus a Deo fuit formatus, sed præsistenti materia, quæ ipsamet terra fuit, & aqua: *De limo terræ*; & *producant aquæ*, dicitur; sed quando creauit animam nulla vsus est materia; verum immediate ab ipso emanauit: I*nspirauit in eum spiraculum vitæ*, absque alia materia, sine alio ministro. Ipsemet tandem absque alicuius rei auxilio animam creauit. Vnde Isaias 57. inquiebat: *& flatus ego feci, dicit* Dominus. Et Psal. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum*. Et ita nota est hæc veritas, quòd ipsimet philosophi confessi sunt; & non tantum Plato suis in scriptis, sed ipsemet Aristoteles 6. de animal. ait, quod solus intellectus intrat ab extrinseco; & de proprietatibus elementorum ait, quod in nato sit spiritus vitæ iussu Dei: & iure, ait D. Bonauentura: anima enim, quæ post corporis separationem subsistit, immortalis est; & consequenter ex seipsa operari potest. Et ideo ergo a Deo sine præiacenti materia creata est. Et hoc diuersis ex causis fecit. Primum quidem, vt cognoscendo se à Deo immediate esse creatam, ipsum solum super omnia amaret, & coleret: quod non egisset, si alterius materiæ, alteriusque ministri pars viguisset. Insuper, vt suam non ignoraret nobilitatem, non habens aliam originem, quam immediatam voluntatem, & potentiam Dei.

Genes. 1.31.

Hominis corpus à Deo formatu.

Genes. 2.7.

Isai. 57.16.

Psal. 32.15.

Plato.

Arist.6 de animalibus.

Bonauentura.

Anima creata à Deo sine præiacenti materia.

Secunda causa fuit materialis, id est, quoad eius substantiam, ita nobilis est, quod ipsosmet Angelos superat, quod ideo caute intelligere oportet: quia secundum ipsum Diuum Bonauenturam in 2. dist. 1. artic. 2. quæst. 2. hac in materia possumus tripliciter loqui. Primo, quo ad ordinem naturæ; & sic simpliciter loquendo, Angelus nostra est anima nobilior. Vnde ait Dauid Psalm. 8. *Minorasti eum paulominus ab Angelis*. Et hoc euenit, quia Angelus est spiritualior. Vlterius Angelus fuit in cælo empireo

Anima minor Angelis facta.

D. Bonauent. 2. dist. 1. art. 2. q. 2

Psal. 8.6.

Anima æqualis Angelis creata.

creatus. Tertiò, Angelus perspicaciorem habet intellectum, Deoq. similiorem. In secundo loco loqui possumus quo ad ordinem finis; & sic anima nostra æquatur Angelo; nam vtraque ad eundemmet finem ordinantur, & ad ipsammet beatitudinem, & ad semetipsum mysterium laudandi, ac glorificandi Deum: & ideo dixit Christus Dominus noster, loquens de beatis; *Sunt sicut Angeli Dei.* Demum in tertio loco possumus loqui de ipsis quo ad ordinem gratiæ, & gloriæ; & ita dici potest, quòd anima est nobilior Angelo; primo quia Deitas nostræ animæ coniuncta est, & non Angelo. Vnde D. Paulus de hac prærogatiua exultans, Hebr. 2. dicebat. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Secundo quia anima nostra obtinet maiorem honorem apud Deum, quam Angelus; nam solum seruus est Dei, sed anima serua est, & sponsa. Vnde Paulus 2. Cor. 11. ad hanc rem dicebat. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Tertio, quia anima nostra in cælum super Angelos in vtroque sexu, in homine, & muliere, in Christo, & Maria exaltata est. Quarto, & vltimo, quia humana natura ab ipsis Angelis in Christo domino nostro adoratur adoratione latria, & in Maria Virgine adoratione hiperdulia.

Matt. 22. 40.

Anima nobilior Angelis.

Hebr. 2. 16.

2. Cor. 11. 2.

Anima humana super Angelos in cælo collocata.

Tertia est causa finalis; non tantum enim anima humana in Christo maior est Angelis, cum ipse primus sit in æterna prædestinatione; sed anima ipsa Mariæ Virginis eos superauit, & antecelluit. Et quia in quocumque genere inuenitur vnum omnibus alijs perfectius, vt metrum, ac mensura sit omnium; ideoque Lucifer fuit omnibus perfectior creatus; sed quia ob peccatum hanc amisit maioritatem, credendum (aiunt quidam sapientes Doctores) hunc locum Virginem impressam esse Mariam. Itaque sancta eius anima non modo alijs Angelis maior est effecta, sed metrum, & mensura simul eorũ omnium. Vnde iure optimo continuo de ipsa sancta mater Ecclesia canit. *Exaltata es super choros Angelorũ.*

Anima humana in Christo est maior Angelis.

Virgo benedicta locum Luciferi in cælo occupat.

Maria Virgo metrum, & mensura omniũ Beatorum.

Et denique propter causam formalem; & hoc rei meæ iam inceptæ ordini consonabit: quoniam ad imaginem, & similitudinem Dei effecta est: fecit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam: & talis est nobilitas hæc, quòd Patribus Theologis occasionem attulit dicendi, hanc prærogatiuam maiorem in homine existere, quàm in Angelo. quod, vt bene percipiatis, aliquos animaduertite punctos. Primus est, quòd simpliciter eam considerando, nulli dubium est, quòd

Anima humana ad imaginẽ Dei effecta est.

quòd maior in Angelis apparet, quàm in anima nostra, & maior in Angelis superioribus, quàm in inferioribus: quod D. Gregorius approbat super illa Ezechielis auctoritate. cap. 28. *In signaculum, similitudinis*. Vbi affirmat, Angelum non solum ad Dei similitudinem effectum esse, sed similitudinis signaculum. Vbi volens innuere subtiliorem, ac puriorem naturam, ostendit, Angeli similitudinem propinquiorem esse Deo, quàm illam animæ nostræ. Secundus ratione probatur: potentiæ enim, imaginem repræsentantes in Angelo, stabiliores, perfectioresque sunt; quia vbi noster intellectus discursu intelligit, ille Angeli absque discursu; vbi nostra memoria obliuionem patitur, in Angelo obliuione caret; & tandem vbi nostra voluntas mora amat, Angelica sine mora. Dicitis vos, quòd quamuis pictor ipsammet imaginem duobus in locis eodem modo pingit, ideo non agit, quòd in tabula, vel in tela elegantiori, vel expolita, aut bene disposita pulchrior, & coloratior quàm in alijs non euadat, ac sortiatur. Imago in homine, & in Angelo (ait Magister sententiarum) ea quidem est, veluti in tabula, vel in tela picta, æque effecta; vel sculpta pennicillo voluntatis Dei. Sed quia Angelus est nobilioris naturæ, pulchrior etiam, ac formosior euenit in ipso, quam non contingit in nobis hæc pictura, & imago. Quo ad secundum punctum notandum est, quòd quamuis (sicuti vsque adhuc absolutè locuti fuimus) maior est in Angelo imago: tamen quo ad aliquos respectus maior est in homine; primo, quoad naturalem expressionem, & repræsentationem; quia anima nostra viridius sanctissimam Trinitatem repræsentat quam Angelus: & hoc quia in homine personalis adest origo, qua vnus ab altero procedit; quod in Angelo minime est. Insuper quo ad vnitatem: quemadmodum enim ab vnico Deo emanant, & procedunt omnes creaturæ: sic ab vnico homine omnes homines. Tertio ratione finis; quòd, sicuti Deus finis est omnium rerum; sic homo ceterarum creaturarum. Quarto, respectu gratiæ: quoniam aliquæ reperiuntur humanæ creaturæ maioris perfectionis, quàm sunt Angeli quo ad dona gratuita: & iure; nam imaginis essentia consistit in faciendo imaginatum propinquiorem, ac magis Deo ordinatum, aut directum esse: & quoniam anima benedicti Christi, ac Virginis Mariæ sunt Deo proximiores Angelis; igitur in ipsis excellentior est, quàm in Angelis, imago. Nonne videtis hanc nobilita-

D.Gregor.

Ezech. 28. 12

Angeli similitudo, propinquior Deo, quam similitudo animæ.

Angelus sine mora discurrit.

Simile.

Magister sententiar.

Angelus nobilioris naturæ est, quam anima nostra.

Anima nostra sanctissimã Trinitatem demonstrat.

Deus est finis omnium.

Anima quo ad dona gratuita, est maior Angelis.

bilitatem? Quamobrem per omnia causarum genera nobilitas animæ nostræ cognoscitur: per efficiens, quia a Deo immediate creata est: per materiale, quia ex nihilo nobilissima effecta fui substantia; per finale, quia maiores in gratia, & in gloria gradus obtinet: & per formale, quia ad Dei imaginem facta est.

Salomonis templum figura animæ nostræ fuit.

Huius facinoris Salomonis Templum figura fuit. Vnde D. Paulus iure dixit omnibus, *Vos estis Templum Dei*, Salomon, Rex pacificus, interpretatus est, eique tantum, & non alijs Templi structuram concessa fuit: & Rex pacificus, Deus omnipotens ille vnus est, qui animam creat ex nihilo. Templum absque ferri strepitu, vel alius instrumenti constructum fuit, & Deus ex nihilo animam creauit. Templum fuit constructum secundum formam, quam Deus Salomonem docuit: Et Deus ad imaginem, & similitudinem suam creauit. Et denique Templum constructum fuit, vt in hoc loco solo, ac peculiari Deus adoraretur. Et anima fuit ab eo creata, vt eum adoraret, & inseruiret ipsi hac in vita, & in altera eodem frueretur. Hanc eamdem animæ nobilitatem forsan innuere voluit Christus Dominus noster in vineæ parabola, quam tanta industria, tantisque commodis Paterfamilias plantauit: *Paterfamilias plantauit vineam*, eique fortissimam sæpem circumdedit, pulcherrimumque torcular ibi construxit, in medioque eius altissimam turrim ædificauit. En Paterfamilias, qui vineam plantauit, Deus est omnipotens, & immortalis, qui creat animam nostram. En, sæpes eamdem circumdans, est natura Angelica, qui ipsam custodit. En torcular, voluntas est libera. En turris, est intellectus, qui eminus videt. Videte, videte nunc vos, quæ nam est nobilitas hæc? Demum quod ad rem nostram, & rei ordinem facit, est, quod sicuti Deus (ait D. Bonauentura) animæ nostræ quamdam virtutem, quandamque vim dedit in voluntate, qua potest velle, & nolle illud quod sibi quadrat, sic, vt nullum creatum violentare ipsam posit: ita etiam intellectui talem virtutem dedit, quòd, volens, potest omnino occultare sua arcana, suasque cogitationes. Et hæc virtus cum intima, ac intrinseca sit in anima; solus Deus, qui illabitur animæ, & qui est ei intrinsecus, & intimus magis quam illimet Deo ipsamet non est, & scire, & videre valet. Et quamquam Dionysius Areopagita ait, animam nostram sicuti speculum esse lucidam, & sicuti in speculo ita in ipsa videri

Deus ex nihilo animã creauit.

Parabola animæ humanæ.

Vinea Euangelij fuit figura animæ humanæ.

D. Bonauent.

Anima potest velle, & non velle.

Dionys. Areop.

videri res: e conuerſo tamen voluntarium eſt ſpeculum, & non ſpeculum neceſſarium, & naturale. Et ideo, volens, ſua arcana, ſuasque cogitationes celare poteſt: ita, vt, præter, vel poſt Deum, nemo, aut nullus intelligere, ac videre queit. Et ſic vſque adhuc duo noſtræ lectionis capita patefecimus; primum, ſcilicet, quid nam eſt cogitatio: ſecundum, vbi fun datur, & innititur. Nunc ſuperſunt enucleanda alia quatuor. Sed de his in ſecunda parte. Quieſcite.

Anima poteſt ſuas cogitationes celare.

SECVNDA PARS.

SEx rerum, ſexque capitum, quæ hac in materia propoſuimus, de duobus iam in huius lectionis prima parte locuti fuimus: nunc in præſenti ſecunda parte de duobus alijs, & de duobus vltimis tandem in ſequentem lectionem verba faciemus. Cogitatio equidem tam minuta, & parua res eſt, quòd ſe fundans in anima noſtra, noſtraq. in mente, ſolus Deus eam videre poteſt. Modo tertia res re manet, ideſt, vnde procedit, & cauſatur cogitatio? Et hic animaduertite, cogitationes in nobis duplices eſſe: boni, ſcilicet, & mali. Boni à Deo cauſantur, ab Angelis bonis, à voluntate bona, ac iuſta. A Deo effectiue; quia *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*. Iacob. 1. Et quoniam bonæ cogitationes ſunt principium noſtri ſpiritualis boni: ergo à Deo effectiue veniunt, atque procedunt. Ab Angelis miniſterialiter; quia aſsidue bonas nobis ſubminiſtrant curas: Vnde D. Auguſtinus aiebat. Operantur boni Angeli intelligentias veras miris quibuſdam modis. Et (vt de his hactenus faciamus) à noſtra voluntate meritorie; quia ſuum eſt accipere, & recuſare quidquid ſibi proponitur. Et ideo dictum eſt Gen. 4. *ſub te erit appetitus eius.* Quamobrem, licet Deus nobis bonas co gitationes elargitur, & Angeli eas ſubminiſtrant, ſi voluntas non animaduertit, & velox non eſt ad accipiendum ipſas, amittit, & pro bonis malas accipit, atque admittit.

Cogitatio vnde cauſatur.

Iacob. 1. 17.

D. Auguſt.

Cogitationes bona à Deo, & Angelis cauſantur

Gen. 4. 7.

Sed cur dicebatur in quarto loco, qua re potius inclinamur ad cogitandum male, quam bene? Nullum dubium eſt, quod, cum hominis voluntas, ac mens vitiata, ac deprauata in Adami peccato, & conſequenter, cum ſibi remanſerit ille

Homo quare potius ad malum quam ad bonum inclinatur.

fomes, illaque propensio, quæ semper ad malum trahit; nisi
Simile. benè attendit,& vigilat,facile cogitat, & optat mala. Accipite vos maximum pondus; tamen equus cum onerario id ducit deorsum, quod decem equi sursum ducere non poterunt: *Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Hoc illud est,quod etiam dicebat Genes.8. *Sensus etiam, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*

Sap.9.15.

Genes. 8.21.

Fomes est equus fortissimus. Fomes equus est fortissimus,qui semper deorsum trahit: ita, quòd facile cogitatur male, maleque operatur. Quatuor in mala ob peccatum homo incidit,primo in malitiam, secundo in impotentiam, tertio in ignorantiam, quarto in concupiscentiam, quæ tantam habet vim, quod semper inclinat hominem,& mulierem ad malum, adque peccatum.

Quoad quintum caput. Sed quid,scilicet,mali faciunt malæ cogitationes? Hic animaduertere debetis,quòd Deus homini tria multæ æstimationis elargitus est, præter rationalis animæ munus, corpus, videlicet, tempus, & fortunæ bona; munera, inquam,mirabilia; excellentias stupescendas; nam his medijs homo non modo differt ab alijs creaturis, sed ceteras creaturas superat, verum cælum, ac beatitudinem acquirere,& adipisci potest. Primum tempus ei elargitus est, quo homo,& mulier maxima potest merita cumulare, & spiritualia bona. Insuper fortunæ bona ei dedit,quibus non modo homo sibi ipsi subuenit; verum ipsis etiam potest, volens, emere ipsammet beatitudinem,ipsumque cælum. Et tandem corpus, inquam, ei dedit tam bene dispositum, quod assidue cælum aspicere,ac considerare, contemplareque potest. Vnde Sapiens aiebat Eccl.7. *Fecit Deus hominem rectum.* Deus formauit hominis corpus rectum, non curuum:ita, quod vbi aliæ creaturæ hic deorsum tantum respiciunt terram, homo, ac mulier aspiciunt cælum;& iure: omnes enim debent magis aspicere habitaculum suum,suamque domum, quam habitacula,domosq; alienas. Postremum verũ est habitaculum hominis,& vltimum, & vbi semper inhabitare debet, cælum est. Ergo ad cælum,& non ad terrena,continuo oculos eleuare debet. Quid plura? Tantæ est rei hoc corpus, quod ipsum quoque Dei imaginem retinet: & hoc probo. Ait Deus in Genes.19. *Qui effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius; ad imaginem quippè Dei factus est homo.* Ait, quod aliquem interficiens, interficiatur & ipse: rationemq; affert;

Deus tria bona hominibus elargitus est.

Eccle.7.30.

Deus formauit hominis corpus rectum.

Celum est habitaculum nostrũ.

Corpus etiam retinet Dei imaginem.

Genes.19.

affert;quia,cum homo ad Dei similitudinem sit factus, interficiendo illum,sua dirimitur, seu soluitur imago. Cum aliquis alium occidit,iam scitur,quod anima non moritur; moritur vero corpus. Igitur hic de corporis imagine dicitur, ad imaginem Dei facta. quod mire explicauit Diuus Paulus 1. Cor. 11. cum dixit: *Vir quidem non debet velare caput suum*.Si tu petis à D.Paulo,quare imperas,quod homo suum non debeat velare caput? respondebit: *quia imago,& gloria Dei est*.Ait,ergo,homo non debet suum caput velare, quia in hoc capite,& in hoc corpore Dei imago adest.Mirum magisterium,in quo quieuerunt, ac se concluserunt omnia creationis mirabilia. Magnum quidem, creauit Deus cælum, & dictum fuit, *Vidit Deus quod esset bonum*. Creauit terram, & insuper dictum est, *quod esset bona*; & sic de ceteris omnibus:sed quando creauit hominem,nil aliud dictum fuit;quia hic,inquam, quieuerunt,& se concluserunt mirabilia omnia, non propter aliud, quàm quia omnia opera Dei mira sunt, illaque hominis antecellunt, & longe superant, & iure profecto, quia non solum continet omnes creaturas, sed ipsum Deum participat (vt ità dicam) cum sit factus ad Dei imaginem non solum quo ad animam, sed etiam quo ad corpus. Nunc,inquam,hoc donum est corporale, quod Deus homini dedit. Princeps efficit, & complet suum promptuarium; omnia pretiosiora in eo reponit,ac pulchriora conseruat:postremo vas tantæ æstimationis,ac pulchritudinis in ipsum immittit,quòd hoc tantum dispensatori,custodique rerum commendans,ei præcipit,quòd hoc solum præcipue æstimet, valdeque reputet, & ducat. Hoc illud est, quod exclamabat D. Paulus 1. Thess. 4. *Sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, & honore*. Scitote fratres (ait Paulus) quòd Deus huic homini dedit in mundi promptuario custodiendum pretiosissimum vas, quod est hoc nostrum corpus;tantique est pretij, quòd præcepit quemque nostrum multa æstimatione,multaque sanctitate id habere, atque seruare. Sed ecce, quod ab illinc paruo tempore inde redit dictus herus, dominusque vasi; & ipsum expostulans, inuenit totum puluere, ac limo, sordeque respersum, & plenum; nam pro sanctis curis, ac cogitationibus non hospitatur, nec retinet nisi prauas,ac inhonestas cogitationes. Hoc illud est, quod D. Iacobus aiebat c. 5. *Epulati estis super terra, & in luxurijs enutristis corda vestra*. Scitote (ait D. Iacobus) quod

Anima non moritur.

1. Cor. 11. 7.

Homo quare nō debet caput velare.

Deus in creando hominem nihil dixit.

Deus non solum alias continet creaturas, sed ipsum Deū participat.

Simile.

1. Thess. 4. 4.

Deus dedit hominibus corpus ad cūstodiendū.

Iacob. 5. 5.

quod homines, ac mulieres hoc corporis, & mentis, cogitationibus omnibus terrenis, ac deformibus, plenæ, vas tenent, & conseruant.

Simile. Duos interdum vidistis, qui conueniunt in derisionem alterius, qui peram saccaro plenam, vel aliqua alia condicione habens, vnus ex eis furatur ipsa, & illam alter saxis implet, petris, lateribus, ossibus, & similibus. Erigitur, vt ambulet, & magnum pondus super se sentit, & tunc errorem animaduertit: *Qua re posuisti me contrarium tibi: & factus sum mihimetipsi grauis*; & alia littera ait: *Factus sum mihimetipsi in pondus*, ac si diceret Iob 7. Ego propter peccatum non solum tuus euasi inimicus; sed corpus illud, quod sanctitate plenum esse deberet, & quod alias, quam cælestes, ac spirituales habere non debebat cogitationes, ita graue euasit, terrenisque curis plenum, quód ipsum ad infera trahunt. Nonne memoramini illum scelestem Imperatorem, qui inuentis, ac repertis tot martyriorum generibus, demum vnum inuenit, quod crudelitate, ac feritate cetera antecellebat. Et fuit, quod faciens ligare martyrem mortuo corpori, ita manere faciebat quousque fœtore, graueolentia, horroreque maximis laboribus, ac molestijs tandem moriebatur. Sed dicite, quæso, corpus curis terrenis, ac petulantibus plenum quid est miseræ animæ, præterquam fœtor, ac maleolentia? Itaque paulatim ad mortem ducit, & ad infernum. Hoc illud est, quod Prouerb. c. 5. aiebant: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. Homo cum peccato ita egit, quòd anima manet ligata corpori fortissimis curarum terrenarum, ac vitiosarum funibus.

Iob 7. 20.

Martyrij crudelitas.

Corpus curis terrenis plenum est quoddam cadauer.

Prou. 5. 22.

Videtis mare quantum est, spatiosumque, quantæque virtutis, quod vndarum impetu omnia submergit, & deprimit: nihilominus à littore, & à terra sic retinetur clausum, & opertum, quod à suo lecto exire foris non potest, nec terram inundare: *Posuisti terminos, qui præteriri non poterunt*. Affabre manet, tamquam in carcere maneret. Vnde Iob 7. aiebat: *Numquid mare ego sum, aut cætus, quia circumdedisti me carcere?* Anima nostra (nulli dubium) spatiosum est mare, ac magnum; ita vt intellectu, ac voluntate comprehendit, & attingit omnia. Transit elementa, cælos, stellas, & vsque ad essentiam Dei peruenit: sed ob terrenas curas clausa, ac stricta hoc in corpore, non speculatur, non vult

Mare à littore tardatur.

Iob 14. 5.

Iob 7. 12.

Intellectus noster licet cælestia cõtemplatur, cũ aeris terrenis retardatur.

vult aliud, quam tranſitorias res, ac noxias: ſpiritualis homo vbique ſpatiatur: *Neſcio in corpore, vel extra corpus*. 2.Cor. 12.2.
Sed homo curis plenus ſenſualibus, ac carnalibus ſemper in terra, feceque huius mundi moratur. Hoc illud eſt, quod Ieremias aiebat: *Qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora*. Ierem. 4.5.

In libro Ioſue 10. legitur, quod cum in quadam ſpecu laterent quinque Reges, ideſt, Rex Ieruſalem, Ierimoth, Hebron, Lachis, Eglon, ſpecus ianuam præfatus Ioſue adiuit, & dixit: Aperite os ſpeluncæ, & educite quinque reges, qui in ea latitant. Ioſue 10.22. Incognitus doctor exponens Pſalmum 50. in illo verbo; *Domine labia mea aperies*, ait, quid putatis hominem eſſe terrenis curis repletum; nil aliud quidem eſt, quam ſpecus, ac fouea, vbi habitant omnia vitia, ac peccata, & præcipue hæc quinque. *Incognitus ſuper pſal. 50.17.* Rex Ieruſalem, quo innuere vult, Viſio Pacis. Et quia ſuperbus beatus reputatur ſuis in gradibus, ſuiſque in magnitudinibus, ecce ambitionis, ſuperbiæque cogitationes. *Ieruſalem viſio pacis dicitur.* Rex Ierimoth, qui dicere vult ebrietas, guloſum ſignificat, qui nil aliud, quàm bibere, & edere cogitat. *Reges quinque quid ſignificant.* Rex Lachis, qui dicere vult, ſibimet vir, ſignificat auaritiam, quia auarus aliud non cogitat, quam rem, & denarios. Rex Hebron, qui dicere vult, coniugium, luxuriam ſignificat; quia carnales ad aliud non incumbunt, aliudque non cogitant, quam ad ſenſualitatem, ac fœditates. Rex Eglon, qui vult dicere ſpiritus mœroris, iram ſignificat; quia iracundi aliud non habent, quam furoris, ac odij cogitationes. Mens denique hominis cum malis cogitationibus adimpletur, horum quinque regum, ſcilicet, horum quinque vitiorum ſpecus efficitur.

Nec propterea hic finiunt mala, malaq. opera, malarum cogitationum. *Cogitationũ malarum alia mala.* Et aliud eſt, quod praua cura ſic cor fœdat, ac deturpat, quod vbi prius deſiderabatur à Deo, tunc abhorretur ſic, quod dæmonis cibus efficitur. Quidam pulchrum habet in viridario pomum, & ſcit eius herum ipſum deſiderare: *Simile.* quid agit? Prius in ciſta, ſeu calatho illud aptat cum ſurculis, & folijs pulchris, ac odoriferis, & poſtea ei largitur: *Fili præbe mihi cor tuum*, ait Deus in Prouerbijs cap. 23. Prou. 23.26. Fili, opto potiri tui cordis fructu; & ideò non ſolum mihi donare non debes putridis herbis refertum, curis odio, affectu, carnalitate plenis; ſed ornatum, & cumulatum cogitationibus, ac curis ſanctis, ac bonis. Hoc illud

idem

Psal. 50.12. idem est, quod desiderabat Dauid propheta in Psal. 50. cum
Cor mundum quid sit. dicebat: *Cor mundum crea in me Deus*. Domine da mihi cor mundum, integrum, syncerum, limpidum, cogitationibus prauis, atque obscœnis exoneratum. Aliud malum est, quod malæ cogitationes tot voces sunt, quæ assidue dæmonem vocant ad habitandum animam tuam. Manet in specu-
Simile. la seruus, suum amicum transire vidit, vacat eum, domum
Ephes. 4.27. intrare facit, herumq; efficit: *Nolite dare locum diabolo*, ait D. Paulus Ephes. 4. Cauete ne vocetis iniquis, ac turpibus curis dæmonem in domum animæ vestræ; quia cum intrauerit illam, statim deueniet herus. Et ideo dicebat D. Grego-
D. Gregi. rius, quod licet multi, dæmonem operibus non recipiant: tamen
Cor prauis curis repletum suã perdit quietem. prauis cogitationibus eumdem recipiunt, & admittunt. Tertium malum est, quod cor prauis curis repletum, suam omnino quietem perdit, & amittit. Dum mare a ventis agitatur contrarijs, semper procellis, infortunioque afficitur.
Dan. 7.2. *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Sed hanc eamdem actionem faciunt in anima prauæ cogitationes: semper agitant eam. Et quod verum sit, audite Isaiam 57. *Cor*
Isa. 57.20. *impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest*: nunc agi-
Cor impij est quasi mare feruens. tatur a curis carnalitatis, nunc ambitionis, modo auaritiæ, modoque impatientiæ; & demum numquam quiescit. Non ne vmquam occurrit vobis in via, quod ibi plures consurgentes venti, vestris offundunt oculis caliginem, & ita obcæ-
Cogitationes male obcæcant oculos mentis. cant, quod nec etiam videre potes quo pedes figis, atque coaptes? sic affabre (ait Psalmus) faciunt diuersæ prauæ co-
Psal. 68.24. gitationes: *Obscurentur oculi eorum ne videant.* Quartum malum est, quod prauæ curæ animam gratia Dei sæpe sæpius priuant: vel saltem illa spirituali dulcedine, quam Deus suos in seruos infundere, & immittere solet. Quoad gra-
Iudam quare Christus diabolum nuncupauit. tiam videtis Iudam, quod statim quod Diabolus misit in cor eius, vt traderet Christum, antequam ad effectum, ac ad operationem perueniret, tam iniquus, tamque prauus eua-
Iob. 6.70. sit, quod ipsemet Christus diabolum vocauit: *Ex vobis vnus diabolus est*, & de ipso intelligebat. Inueniuntur aliqui, quia actualiter proximum non interficiunt, tamen odio habent,
Cogitatio ad homicidij peccatum admittendum sufficit. & sibimetipsis æquum, ac licitum videtur. Et ego his dico, quod hæ cogitationes ad homicidij peccatum admittendum sufficiunt; & quod veritas sit, audite Ioannem: *Qui odit*
Ioan. 2.11. *fratrem suum in tenebris est*; *in tenebris*, idest in peccato homicidij. Et si prauæ cogitationes interdum, inquam, gratiam

amittere

amittere non faciunt; nihilominus feruorem remittunt, & deuotionem auferunt, Deique amorem. Quidam, vas habet pretioso, ac odorifero vnguento respersum, apertum relinquit ipsum, muscæ adeunt, vt comedant, &, inhærentes ei, in eo moriuntur: accedunt aliæ, simileque efficiunt; & sic paulatim earum putredine, vnguentum ad id reducunt, quod odorem amittendo, atque virtutem, ad nihilum valet: ***Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti***, ait Eccles. c. 10. Sed dicite mihi, quod nam est hoc vas? cor, inquam, est: quod, si tu apertum relinquis, idest, si tu non custodis ipsum sic tectũ iniquis cogitationibus, noxijsque curis, in illud morientur, & ita paulatim deturpabunt cor, quod Deo gratum amplius non erit. Quartum, & vltimum malum est, quod praua cogitatio, quamuis sit perparuum semen; tamen sæpe sæpius crescit, maximaque planta euadit, atque contingit, & ex illis, de quibus Christus loquebatur: *Ita, vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius*. Aliquis cernit in suo viridario plantam venenosam, non curat eradicare illam: tunc ipsa paulatim crescit eum in modum, quod ceteras bonas plantas, quæ apud eamdem vegetant, radens, coequat viridarij pulchritudinem. Sic etiam efficit praua cogitatio. Vnde D. Iacobus aiebat: *Vnusquisque tentatur à concupiscientia sua: abstractus & illectus deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum cum consumatum fuerit, generat mortem*. Et iure quidem (ait D. Gregorius) quia à cogitatione procedit, & emanat delectatio, a delectatione affectus, ab affectu consensus, a consensu operatio, ab operatione consuetudo, a consuetudine desperatio, a desperatione defensio, a defensione gloriatio, a gloriatione damnatio. Nonne vos altum videtis huius plantæ incrementum? Et ideo ergo hoc magnum agnoscens malum D. Iob, mirum nõ accidit, si suum cor ita custodit, quod nec minimum quidem cogitatum perturbat eum: & iure optimo de ipso dicitur. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis*, idest, in corde suo. Nunc remanet, vt ego vos modum doceam defendendi ab hoc hoste & à prauis cogitationibus liberandi. Sed de hoc in sequentem lectionem explicite dicemus. Ite in pace. Amen.

Simile.

Musca corrumpunt vnguentũ.

Eccl. 10. 1.

Cor nostrum est veluti quoddam vas.

Cogitatio licet sit parua, tamen valde crescit.

Simile.

Iacob 1. 14.

D. Gregor.

Cogitatio producit delectationem.

VIGESIMASEPTIMA LECTIO.

De remedijs contra prauas cogitationes.

IN QVA QVATVOR REMEDIA contra prauas cogitationes explanantur. Primum, reuerentia, quam Deo debemus. Secundum, custodia sensuum. Tertium, otio carere. Quartum, & vltimum, flabellum quinque pennarum. De tribus primis in hac lectione; de quarto verò in sequentibus sermo fiet.

Iob 1. 22. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.

PRIMA PARS.

QVONIAM à prauis curis iniquisq. cogitationibus oriuntur, & germinantur tam petulantes, perniciosique effectus; & suis scelestibus fœtibus hominem, ac mulierem ad æternam, ac infernalem damnationem trahunt, & adducunt; sicuti in præterita lectione sufficienter vobis explicaui: ratio quidem est, quod in hac vobis demonstrem, vosque doceam remedia, ac defensiones, quibus poterunt se defendere a tam noxijs perniciosisque inimicis: & quatuor affabre sunt. Prima est reuerentia quam Deo debemus. Secunda, cura, & custodia, quæ teneri debet de sensibus. Tertia, otium fugiendi. Quarta, & vltima est ventabrum componendi, seu flabellum quinque pennarum, id est, vt commode expellere a mente, & a mente, & a corda semouere posint.

Remedia contra prauas cogitationes:

Lectionis diuisio,

Et

ET primum, certum eſt, quod quicumque ſit vel ſceleſtis ſit homo, vel iniqua, & praua mulier: tamen, quia vitium, atque peccatum tantam fælicitatem, turpitudinemq. ſecum affert, quærit id perpetrare ſecretius, occultiuſque quam poteſt. Et ſi vos alicui iſtorum dicitis, quare non committit hoc peccatum coram alijs? reſpondebit, me pudet ipſum committere ob peccati turpitudinem. Nunc, quæſo, dicite mihi, quis nam eſt ille, qui noſtras videt cogitationes? Deus omnipotens, & immortalis, qui (vti dixi vobis in præterita lectione) in nobis intimior eſt, quam nos ipſi in nobiſmetipſis non ſumus: nec vllum cogitare poſſumus quamuis minutulum, quòd Deus non videat, & ei adſit; & ideo dicitur, quod *eſt ſcrutator cordium, ſcrutator* dicitur, quia vſque ad partem magis intrinſecam cordis intus omnia videt. Sequitur ergo, quod ſi tu verecundaris coram gentibus male operari; eo magis te pudere deberet male cogitare coram Deo. Et ſi verecundaris homines, eo magis Deum ipſum verecundari deberes. Et ideo aiebat Salomon Prouerb. 15. *Per timorem autem Domini declinat omnis a malo*. Non ne meminiſtis illum ſanctũ Patrem, qui, vt ad Deum conuerteret meretricem, Thaidem appellatam, eiuſdem amore flagrare finxit: domumque ingrediens, ſecretiorem locum, inueſtigabat, vt malum perpetraret. Tandem poſtquam in cubiculum ſecretius duxit illum mulier, dixit. Nos in loco ſumus tam ſecreto, quod ſolus Deus nos videt. Tunc ſanctus Pater reſpondit. Igitur ſi Deus videt nos, cur nos volumus hunc perpetrare errorem? Si verecundamur, & erubeſcimus videri à gentibus, multo magis verecundari, & erubeſcere debemus videri à Deo. Tunc contrita mulier, ſuum recognoſcens errorem, prauam vitam omittens, ad Deum conuerſa eſt.

Peccator licet ſceleſtis, quærit peccatũ ſecrete perpetrare.

Deus etiam minutus cogitationes intuetur.

Prou. 15. 27.

Exemplum notabile.

Et ideo, aiunt docti, quod ſicuti per quinque vias difficile eſt dæmoni inſeruire: ſic per quinque alias è contrario facile eſt Deo obtemperare. Prima cauſa, quæ difficilem reddit dæmoni ſeruitutem, inclinatio eſt naturalis; nam peccatum nil aliud eſt, quam (vt dicit Dionyſius Areopagita) illud, quod eſt contra verum rationis dictamen: ratio perſuadet, vt viuatur ſecundum Dei voluntatem; peccatum e contra agit, ergo eſt contra rationem, & inclinationem naturalem. Nil magis rationi contrarium eſt, quam quidquid eam conturbat; peccatum hunc facit effectum. Ergo contra-

Dæmoni ſeruire per quinque vias eſt difficile.

Peccatum eſt contra rationem.

contrarium est rationi: quod peccatum hunc operetur effectum, audite Psal. 6. *Turbatus est à furore oculus meus*: in quo loco Eusebius pro oculo turbato intelligit rationem: Non est infirmitas, non morbus, non malum, quod magis obscuret, & auferat rationi vim, quàm illud, quod facit sacer morbus. Et quod verum sit, præter experientiam, audite Isaiam. c. 15. *Immiscuit Dominus in medio Ægypti spiritum vertiginis*; Septuaginta aiunt, *spiritum erroris*: & alij, *spiritum peccati*. Pauper homo, paupercula mulier, est ne possibile, quòd non animaduertas, quòd quandocumque te peccato tradis, atque committis, alio morbo non laboras, nisi scotomiæ, atque sacro morbo. laborans hoc sacro morbo in terram cadit, se in limum immittit, spumat, oscitat, itaque agit, & operatur, vt omnes causa eius obstupescant. Et tu peccato, præsertim libidinis, (ò nimia lasciuia deturpata anima) continuo te in limum, vel cænum proijcis libidinum: ambitione, ò superbe, in omnem fœditatem vilitatis: auaritia, ò auare in quamcumque rei foueam. Secundo difficile est seruire dæmoni; nam fit seruitus abiectissimo subiecto, & ignominiosissimo, ita quòd tandem hac de seruitute aliud non reportabis, quam ignominiam, atque dedecora. Ideo aiebat D. Paulus Roman. 1. *Seruierunt creaturæ potius quam creatori: propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*, ac si diceret. Peccatores, vt dæmoni inseruiant, dereliquerunt seruire Deo: & hac de causa ignominia pleni euaserunt, & opprobrio. Vnde Eccles. 25. aiebat ad hanc rem. *Beatus homo, qui non seruiuit indignis se*. Tertio, personæ immani, ac tyrannicæ fit seruitus. Hæc est inter tyrannum, ac dominum verum, & legitimum, differentia; quòd vbi hic iusto acquiescit, & illis, quæ homo, & mulier potest: e contra tyrannus numquam est contentus; & assidue pondus ponderi, & vectigal vectigali addit. Hoc illud est, quod dicebat Diuus Paulus Roman. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Quem locum sic exponit Diuus Hieronymus; *In corpore mortali, viuite, vt immortales*. Hæc ille. quomodo autem regnet peccatum in corpore, exponit, cum subiunxit, *obediatis concupiscentijs vestris*, hoc est, per obedientiam, & consensum. Et D. Greg. lib. 4. moral. cap. 9 expendens verbum illud *regnet*, non dixit, inquit, *non sit*, sed *non regnet*, quia non esse non potest: regnare autem in cordibus bonorũ non potest, eodem modo interpretatur D. Anselmus.

Psal. 6. 7.
Eusebius.
Morbus sacer oculos, & rationem obscurat.
Isai. 19. 14.
Septuaginta.
Peccator sacro morbo laborat.
Dæmoni seruire est abiectissimo domino seruire.
Rom. 1. 25.
Eccl. 25. 11.
Dæmoni seruire est personæ tyrannicæ seruire.
Differentia inter Tyrannum, & Regem.
Roman. 6.
D. Hieron.
Peccatum quomodo in corpore dicitur regnare.
D Greg. lib. 14. Moral. 9.

Est

Eſt autem iuxta hanc expoſitionem, quemadmodum docuit D. Thomas per peccatum, fomes peccati intelligendus, qui in homine non eſſe non poteſt; ſed poteſt tamen non regnare. Explicauit etiam Apoſtolus quid eſſet peccatum in nobis regnare, cum ſubiunxit; *ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato*: membra enim noſtra arma vocat, quia illis vel ſub iuſtitiæ, vel ſub peccati vexillis militamus; quare qui membris ſuis ad peccatum adducitur, ſubditum ſe peccati confitetur. Si quidem arma ſumit pro ſui principis, ideſt, peccato, cui ſeruit, defenſione; quamobrem dixit Chriſtus Ioan. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, quo eodem ſpectat illud Roman. 7. *Ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato*: vbi Paulus ſub infirmorum perſona ait, ſe ſeruum peccati effectum, & ſub peccato venundatum, hoc eſt, in peccati poteſtatem, libidinis, & concupiſcentiæ pretio redactum. Theodoretus eleganter obſeruauit regnum eo differre à tyrannide, quod tyrannis exiſtat inuitis ſubditis: regnum autem volentibus illis, quibus imperatur; qua re ſuaderi a Paulo, ne poteſtati, & imperio peccati vltra nos ſubijciamns, hoc eſt, ne vllo modo aſſentiamur: qua re non dictum eſſe, ne tyrannidem in nos exerceat peccatum, ſed ne regnet. Indignum enim eſt aliquem vltro ſe peccato ſubijcere: hoc videlicet, eſt illud ſceptrum tyrannicum, quod Chriſtum ſuperaſſe cecinit Iſaias 9. cum dixit: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.* Quo loco ſermo eſt de Senacherib Rege Aſſyriorum, qui iniuſta tributa ab hebræis exigebat: quem tamen Deus fregit, vt refertur 4. Reg. 19. Verum D. Hieronymus de Chriſti victoria interpretatur hoc ſenſu: Tu Domine ſaluator iugum oneris eius, hoc eſt diaboli, qui grauiſsimo ſeruitutis iugo colla omnium deprimebat, & vnà virgam, qua percutiebat vniuerſos, & peccata ſibi quaſi quoddam tributum reddere compellebat, detraxiſti de humeris eorum, & tibi liberatos ſeruire feciſti abſque vllo exercitu, & abſque effuſione ſanguinis: ſicut quondam ſub Gedeone populo Iſraelitico de Madianitis victoriam præbuiſti. In quem locum primo eſt obſeruandum, Dæmonem appellari exactorem, id eſt exigentem tributa duabus potiſſimum de cauſis. Prima redditur a D. Hieronymo, quia peccata quaſi quoddam tributum reddere compellit. Secunda eſt, quia poſt peccatum ſu-

D. Anſelmus. D. Thom.

Membra noſtra quare arma vocātur ab Apoſt.

Ioan. 8. 34. Rom. 7. 14.

Theodoretus.

Regnum & tyrannia differūt.

Sceptrum tyrannicum quid eſt. Iſa. 9. 4.

4. Reg. 19. *D. Hieron.*

Dæmon exactor appellatur. D. Hieron.

sceptum debitas pœnas exigit, tum in hac vita, tum in alia apud inferos: quo fit, vt omnis peccator sit dæmoni tributarius, eique duplex tributum soluat. Ipsum nimirum peccatum, & peccati supplicia. De quo mira extitit figura, illud, quod de Holoferne in Iudith. 3. narratur, nam illi exhibere seruitutem se offerendo, & vna subditos eius esse, dicentes: *Et vtere seruitio nostro sicut placuerit tibi.* & infra sequitur: *exirent ei obuiam venienti*, & postea concludit, *nec ista tamen facientes ferocitatem pectoris eius mitigare potuerunt.* Miseros, & perditos peccatores, qui peccatis tributarij, seu fructuarij, immo maioris tyranni mancipia euadunt, & fiunt, qui fuit, & futurus est, videlicet, diaboli, cui quo magis obtemperatur, ac seruitium exhibetur, eo magis dirus, immanis, atrox, & insaturabilis euenit, & efficitur: ita, quod, si hodie in vno genere carnalis es, ac lasciuiam exerces; volet te cras in aliud incidere: si hodie quoddam vsuræ genus perpetras: cras quoddam aliud abs te petit; & sic numquam saturatur quousque ad mortem peruenias. Hoc illud est, quod Ieremias c. 16. exclamabat. *Et seruietis dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*, die, idest, præsentis vitæ: nocte, id est, post mortem. Hoc etiam illud est, quod dicebat D. Paulus Roman. 6. *stipendium enim peccati mors.* Vbi aduertit D. Thomas, stipendia mercedem esse militum. Et quoniam peccatores peccato militant membra sua exhibentes arma peccato, vt paulo ante dictum fuerat; iccirco mortem appellari stipendium peccati, quam, videlicet, retribuit sibi seruientibus. Aduertendum est autem pro stipendijs esse græce *obsonium*: olim enim solis obsonijs contenti erant milites. qua re eleganter Paulus mortem peccati obsonium appellauit: si quidem homines leuissimis de causis, & propter obsonium quoddam, victumque voluptatis abiectissimum peccata suscipiunt, mortemque animæ, & corporis, immò & secundam mortem apud inferos incurrunt. Itaque cum obsonium dari soleat ad vitam sustentandam, peccatum pro obsonio det mortem ipsam, & interitum sempiternum.

Peccator est dæmoni tributarius.

Iudith. 3. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Dæmon quo magis ei obtemperatur, immanis efficitur.

Ier. 16. 13.

Rom. 6. 23.

D. Thom.

Peccatores peccato militant.

Milites olim solis obsonijs erant contenti. Peccati mors obsonium appellatur.

Quarto, peccato non tantum te seruum, ac mancipium tyranni efficis; sed (quod peius est) tui capitalis hostis, qui nouis semper, vt te cruciet, & solicitet, inuentionibus abundat. Vnde dicitur diabolum habere iugum, virgam, & sceptrum. Etenim iugo premit, virga percutit, sceptro tyrannice imperat.

Peccator eius inimico seruus efficitur.

rat. Quamobrem peccator dæmoni arat,& ferit,cum iugum eius peccando admittit, seruitutem grauissimam patitur cũ virga percutitur,sub eius vexillis militat cum sceptrum eius recognoscit. E contrario Christus iugum etiam habet,sed iugum suaue: *Iugum enim meum suaue est*, Matt. 11. Virgam, quæ consolatur, *Virga tua,& baculus tuus ipsa me consolata sunt*, Psal. 44. Sceptrum plenum mansuetudinis,& clementiæ. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna,propter mansuetudinem*. Insuper obseruandum ex Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Isaiam. Virgam, qua dæmon peccatores verberat, esse suos ipsorum effectus, & passiones: *Coercet*,inquit,*nos, cogitque ad suam voluntatem sceleratam, ac nefariam agmen dæmoniorum, eorumq. antesignanus Satanas affectuum Dynastia,atque imperio, seu virga propemodum verberans*. Hæc ille. Ex quo colligimus quemlibet inordinatum affectum,iuxta Cyrilli sententiam,esse veluti quandã virgam,qua nos diabolus tamquam sua mancipia assidue verberat. qua re,ne ab eo vapulemus,necesse est,vt huiusmodi virgas frangamus, quod per mortificationẽ,& macerationẽ carnis efficitur. Deniq. quoniã *diabolus Rex est*,siue tyrannus *super omnes filios superbiæ*,quemadmodũ dicitur Iob. 41. sub eius nimirũ signis militant peccatores. Quinta,& postrema causa,quæ difficilẽ reddit dæmonis seruitutẽ, & peccato, est (vt dixi) erubescentia, & dedecus,quod reportatur de ea.

Peccator Dæmoni arat,& ferit.

Christi iugum quid est.

Matt. 11. 30.

Psa. 44. 5.

Cyrill. Alexan. lib. 1. in Isaiã.

Affectus inordinatus est quædam virga.

Iob 41. 25.

E conuerso quinq. causæ etiam sunt illæ, per quas facillimum est Deo inseruire. Prima est,quia,sicuti erat contra naturales ius dæmoni inseruire (vt dixi) ita seruire Deo est secundum naturale ius: nã Deus naturaliter hominem pro se fecit: & ideò aiebat Eccl. 12. *Deũ time,& mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo*: ac,si diceret, ego in cogitando stupeo,scilicet,quo modo poteris tu ò homo,vel mulier,facere, quod non timeas,& illo modo Deũ non reuerearis, quo debes: homo enim propterea certe factus est. Itaq. sicuti naturaliter petra, & quodlibet graue centrum quærit; ita homo Deũ inquisiturus est,& perscrutaturus. Hoc est, quod aiebat D. Aug. scilicet, Deus omnia creauit propter hominem,& hominẽ propter seipsum. Ac,si diceret: Dic mihi,o homo,qua re tã facile omnes tibi creaturæ inseruiunt,& obtẽperant,& venerantur? sicuti videmus ab equo, asino, oue, & ab omnibus denique fieri? Non nisi, quia Deus ea fecit, & ita creauit. Et ideo tu è conuerso cum propter Deum factus sis, absque la-

Deo seruire per quinque vias est facile.

Eccl. 12. 13.

D. August. Deus omnia propter hominem creauit.

Omnia homini seruiunt,

bore, & naturaliter ei obedire, seruire, ac omnimode venerari, atque colere debes. Hoc illud est, quod Isaias c. 60.
Isa.60.12. inferre volebat: *Regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Ille homo, illaq. mulier, quæ tibi non inseruiet, mortem meretur, quia naturaliter facere debet, & potest.

Homo tenetur seruire Deo propter eius dignitatem. Secunda causa est, dignitas illius, cui inseruitur, tanta enim est eius magnitudo, quod sui serui omnes, Reges appellantur, & magnates: & iure quidem, quia si de terrenis Regibus dicitur, quod seruus Regis par est comiti; *Regis seruus par est Comiti.* quid diceretur de illo Rege, qui absque aliqua proportione omnes principes, omnesque Reges excellit: immo de illo, cui omnes
Psal. 71. 11. alij Reges inseruiunt, & quem adorant, secundum Psal. 71. *Omnes Reges seruient ei.* Hoc fuit promissum à Deo Abrahæ
Genes. 17.6. Genes. cap. 17. Vbi postquam ei sceptrum, & imperium pro se, suisque posteris fuit pollicitus, addidit: *Regesque ex te egredientur:* *Fideles Reges dicuntur.* vbi cernitur, quod dicitur de fidelibus, & iustis, qui debebant ab ipso descendere; nam quo ad temporale, non omnes Reges extiterunt, sicuti ego alias in vigesimaquarta lectione vobis aperui, atque declaraui.

Homo tenetur Deo seruire ob eius benignitatem. Tertia causa, quæ facilem reddit hanc seruitutem, Dei benignitas est, cui seruitus præstatur. Hoc illud est, quod, de ipso in Deuter. 32. dicebatur, scilicet: *In seruis suis Dominus miserebitur:* tamquam diceretur. Scitote, quod Deus
Deut. 32.36. talis est naturæ, quod suos erga seruos totus affabilis, humanus, & misericors est. Hinc oritur, quod Isaias 28. vocat mi-
Isai. 28.21. sericordiam propriū opus Dei, dicens: *Vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum; peregrinum est opus*
Glossa. *eius ab eo.* Quem locum sic Glossa ordinaria per interroga-
Deo irasci est opus alienum. tionem, disponit: irascetur, *vt faciat opus suum?* Quasi dicat, minime verò est opus suum irasci, & punire; sed alienum, & peregrinum, vt statim subiungitur: eodem modo exponit interlinearis. Alij sine interrogatione sic in eamdem sententiam interpretantur, *vt faciam opus suum*; vt faciat quod facere instituit, puniendo, videlicet, Hebræos: *Alienum est opus*
Deus coacte punit. *eius*, idest, non ex animo; sed quodammodo coactus puniet,
Thren. 3.33. quod clarius dixit Ierem. Thren. 3. *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.* Simul etiam aduertit D.
D. Hieron. Hieron. in locum Ps. 88. vbi dicitur: *Quoniam dixisti in æter-*
Psal. 88.3. *num misericordia ædificabitur in cælis:* misericordiam à Deo
Misericordia à Deo semper ædificatur. semper ædificari, nec vmquam destrui. Itaq. Deus misericordiæ fabricam, quā molitur, continuo promouet, nec vmquam

ab ea

ab ea manum admouet, quemadmodum significauit Regius vates Psal. 76. illis verbis: ***Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem?*** Vbi obseruandum est illud verbum ***abscindet***; quod indicat Deum filum misericordiæ, quod ab æterno tenuit, numquam præscidisse; sed continuatam beneficiorum seriem absque vlla intermissione continuasse, & continuaturum esse in posterum: cum tamen iustitiam non solum ipse non ædificet; sed eius fabricam, quam impij suis sceleribus erigunt, sæpe numero parcendo labefactet. quam ob causam eiusmodi ædificij tantum initia, & præparationes descripsit Regius propheta, cum subiunxit: ***Præparabitur veritas tua in eis***, id est, vel ipsa punitionis fundaméta, quę impij suis sceleribus iaciunt, per misericordiam destrues: ita, vt promoto misericordiæ ædificio, vel ipsæ ad puniendum præparationes diruantur. Psal. 76.9. *Misericordia filum nunquam Deus præscindit.* *Fundamenta peccatoris Deus per misericordiam destruit.*

Hinc est, quod Ieremias 2. ait: ***Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam a perditione.*** Vbi nota illud: ***cogitauit dissipare***, id est, prius mente voluit, quam ob rem complere non fuit in destruenda ciuitate acceleratus, sicut solent esse Reges, & Tyranni, qui inconsiderate, & absque vllo rei examine solent multoties ad vindictam procedere: tetendit, inquit, vltra funiculum suum, hoc multo magis mirabile videtur, quod ad disipandum murum Ierusalem funiculum prius tetenderit. Quis vmquam audiuit, quod dux, aut Rex ciuitatem aliquam expugnaturus, cum murum eius demoliri intendat, & subuertere, prius funiculum tetenderit, quam ad primum lapidem manum amoueat? Vsque hoc disipabitis, & non vltra vobis permittetur: hoc enim non fit in destructionem, quin potius vsque ad fundamentum prosternitur, iuxta illud Psal. 36. ***Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.*** Tetenditur enim funiculus ad ædificandum, non vero ad destruendum, at nostri Dei clementia tanta est, quod ad destruendum funiculum tetendit, quasi dicat; paulatim, & pedetentim procedit, vt peccatores resipiscendi locum habeant. Quod quidem vetustissimi Philosophi sua quadam eleganti pictura significauere: Finxerunt enim iustitiæ currum a duabus mulieribus trahi, quarum altera fractum ensem manu portabat: altera verò coneo innitebatur; nam fractus ensis, isque retusus, qui non cito quæ impetit scindit, & mulier coneo innixa, quæ lente incedit, tarditatem seueri- Ier. 2. 8. *Reges & Tyranni multoties sine cōsideratione ad punitionē procedunt.* *Deus quare dū murum Hierusalem intendebat demoliri, prius demensus est.* Psal. 136. 7. *Philosophi.* *Pictura Philosophorum ad designandam iustitiam.*

Plutarchus, Fulgosius.

tatis, & pœnæ indicat. Hinc Plutarchus, & Fulgosius scribunt Romani instatuerunt securibus, quæ ferebantur, magistratibus virgarum alligarentur fasces, vt dum fasces soluerentur, Magistratui spatium cogitandi daretur, ne iratus ea fieri imperaret, quorum postea frustra pœniteret. Cum ergo misericordia Dei tanta sit, quòd nostris supplicijs non gaudet, quin potius maxime doleat, non præceps est ad puniendum, sed ad parcendum valdè inclinatus. Et quia parcere effectus misericordiæ est, dicitur, ipsam in cælis misericordiam ædificare: & meritò veluti mitissimo domino a nobis seruitus fieri contingit.

Romani quare fasces allegatas afferre Iudicibus præcipiebant.

Misericordia quare in cælis ædificatur.

Quarta causa, quæ debet nos mouere ad colendum Deum, eique seruiendum, fructus est, præmiumque insuper, quod de eo reportatur. Vnde propheta aiebat Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem*. quasi diceret. Ego quidem mirum præmium perspiciens, quod tuis seruis confers, laboraui, vt tibi inseruirem toto corde, totisque viribus te colerem, ac venerarer. Verum est, quod Reges, & Principes suis seruis denariorum, vel aliarum rerum mobilium mercedem dare solent; sed non iam eis Regna, aut Principatus tribuunt, vel elargiuntur. Non ita agit Deus, qui ipsis Regnis præmiatur; & ideò in iudicio iustis dicet: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*. Hoc illud est præmium, quod D. Paulus Roman. 1. 13. per Antonomasiam *fructum* appellauit absque ipsius fructus explicatione; scilicet, qui nam fructus sit, dicens: *Liberati à peccatis: serui autem facti Deo, habetis fructum*. Qui quidem fructus duplex est. Vnus hac in vita, qui gratia est: alter in altera vita, qui gloria est. Quoad primum verum est, quod non pro semper saturat; sed ita remoratur, quod status seu condicio non est, qui magis, quam iste consoletur. Omnes alij perturbatione affecti sunt, quamuis magni, eminentesque sint: sed iste solus cum tranquillitate, ac pace remoratur. Vnde Apostolus aiebat Hebr. 12. *Pacem sequimini, & sanctimoniam*, id est, si vos pacem optatis, sanctimoniam habete, id est, gratiam, quæ quietum reddit in hac vita eam possidentem, atque dominantem. Secundus fructus gloria est, quæ non solum retardat, sed semper nostrum saturat appetitum. Vnde Sap. 7. aiebat: *Bonorum laborum copiosius est fructus*; ac, si diceret. Scitote, quòd fructus, & præmium huius laboris, huiusque seruitutis gloriosum est,

Psal. 118. 12.

Homo debet Deo seruire propter præmia etiam.

Reges dare solent seruis denarios, & alia similia, sed non regna.

Rom. 1. 13.

Dei præmiatio fructus ab Apostolo per antonomasiam appellatur.

Deo seruire duplex fructus respondet.

Heb. 12. 14.

Gloria fructus dicitur.

Sap. 3. 15.

perpe-

perpetuum, atque infinitum: ita, quod saturat quemcumque appetitum, nostrumque desiderium, & æternè consolatur, & quiescit. Et iure, o domine mi; nam quo magis fructus in loco nascuntur spinis, ac ariditate referto, eo magis sapidi, ac dulces esse solent; & quia hic fructus inter petras, & spinas tuæ crucis, tuorumque clauorum ortus est: mirum non est, si tam gloriosus effectus parit, atque gignit. Et ideo vbi tu ipse dixisti. *Numquid collegistis de tribulis ficus, & de spinis vuas?* liceat me dicere. *Numquid non collegistis de tribulis ficus, & de spinis vuas;* idest, o homo, o mulier, fortasse quod ex meis spinis, meaque ex cruce non accepistis ficus, & vuas, quæ eorum dulcedine consolantur, & omnes illos quietant; qui istis fructibus se dignos efficiunt. Quiescite.

Præmiorum fructus inter spinas inueniuntur.

Matt. 7. 16.

SECVNDA PARS.

PRimum denique remedium fugiendi, & euitandi prauas curas, malasque cogitationes obseruantia erat; seu cultus, qua, vel quo venerari, ac reuereri Deum debemus, & de hoc satis diximus in prima parte. Modo secundum remedium sequitur, & custodia, ac vigilantia est, quæ haberi, ac teneri debet de sensibus, præsertimque de oculis corporalibus. Et hoc tribus causis. Primo, quia sunt instrumenta hominis, ac mulieris necessaria. Secundo quia sunt arcis fenestræ. Tertio, & vltimo, quia sunt instabiles amici. Primo necessaria sunt instrumenta; & ideo cum continuo eis vti debeamus, oportet, vt vnusquisque nostrum satis inuigilet, & perspiciat cum eis vtitur, eosque mouet. Si vos tonsorem aditis, & vultis, quod a vobis capitis capillos, seu menti pilos abradat, necesse quidem est, vt ipse nouaculam accipiat, sine qua nihil tondere, aut abradere potest: tamen opus est etiam, vt multa agilitate, ac vigilantia ea vtatur: & si secus aget, & negligenter, vice tondendi, incidet, & decorticabit. Insuper necesse est etiam, quod in vtendo, vtatur illis in rebus, quæ ad tondendum aptæ existunt, idest, in pilis, capillis, & similibus: quia, si in

Vigilantia sensuum rep[ellit] prauas cogitationes.

Oculi sunt instrumenta necessaria.

Simile.

petris, aut in tabulis, vel in similibus vteretur, nouacula sic vastaretur, & euanesceret, quod deinceps nil valeret, nullisque inseruiret. Mirabilis Salomon in Prouerbijs cap. 4. *Oculi tui recta videant.* Animaduertite, ait Sapiens, quòd (cum sit vobis necesse, vt his oculorum nouaculis vtamini) cogatis in rebus eis proportionatis vti: *Oculi tui recta videant.* Perspicite, cernite tantum res iustas, rectas res, res, inquam, quæ eos vastandi, euertendique vim non habeant. Hinc euenit, quòd vitiosa ornamenta tam in mulieribus, quàm in hominibus, & à Scriptura sacra, & à sanctis Patribus varijs in locis acerbe redarguuntur; quia sæpe sæpius hos oculorum nouaculas corrumpendi, atque vastandi vim habent. Et præcipue habemus in huius corroborationem illum locum Genes. 20. Vbi dicitur. *Dedi mille argenteos fratri tuo. Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris mementoque te deprehensam.* Qui locus difficilis redditur apud interpretes, qui ex Hebræo sic transferunt. *Ecce dedi mille argenteos Abrahæ, sic dixit Abimelech rex Gerar Saræ, quam tu falso fratrem tuum appellas: ipse sub nomine fratris erit tibi in velamen oculorum,* idest, *velamen verecundiæ, si minus casta esse volueris,* aut etiam aliter: *ipse enim erit tibi velamen oculorum,* siue *verecundiæ ad omnes, qui tibi voluerint hoc, quod tibi mecum accidit exprobrare, habes, quo te excuses, dicendo ipsummet Abraham præcipisse tibi, vt eum non virum, sed fratrem diceres, ex quo discrimen adulterij incurristi.* Verum alij meo iudicio plenius, & facilius pronomen hoc ad argentum referunt, vt dicatur Abimelech dedisse Abrahæ mille argenteos in velamen oculorum Saræ, idest, quibus velamen emerat, quo se Sara velaret, oculosque occultaret, & præ verecundia ne alicui posset esse concupiscentiæ occasio. Itaque Abimelech commendasse Saræ pudorem, & verecundiam. quam expositionem secutus est Lyppomanus in Catena super Genes.

[Margin: Prou. 4.25. — Ornamenta vitiosa sunt euitanda. — Gen. 20. 16. — Locus difficilis apud interpretes. — Lyppoman. in Catena super Genes.]

Hinc est, quòd Tertullianus lib. de Velandis virginibus, occasionem cœpit detestandi vanitatem mulierum sui temporis, quo non solum nuptæ, & illæ virgines, quæ ad nuptias adspirabant; sed etiam virgines Deo dicatæ, caput, præsertim in Ecclesijs, obstentationis causa non velabant, contra Apostoli præceptum, & inter alia hæc habet, *tam sancti viri est suffundi si virginem viderit, quàm sancta Virginis, si à viro visa est, sed enim vera, & tota, & pura virginitas nihil ma-*

[Margin: Tertullian. lib. de velandis virginibus. — Mulierum vanitas tempore Tertulliani.]

gis

gis timet, quàm semetipsam, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum; Indue igitur armaturam pudoris, circumdare vallum verecundiæ. Hæc ille. Leuit. 19. dicitur: *Neque in rotundum attondabitis comam.* quem locum expendens Turrianus in suis scholijs super lib. 1. Apost. Const. c. 3. ait; quòd quidam eruditus Hebræus dicebat sic ad verbum esse conferendum: *ne corrumpas angulum capitis tui, circum caput;* rectos enim angulos, quos fecit capillus promissus, is corrumpit, qui in eo facit circulos calamistris, ita, vt iam duplex sit rotunditas, altera in capillo ipso calamistrato: altera in tonsione circum caput, ad quam solam respexit in sua translatione D. Hieronymus. Vbi est notandum curiosam crinium compositionem, & nimirum corporis ornatum laxum, & effeminatum animum, immo & libidinosum indicare: quam ob causam in sacris litteris & Patribus in feminis reprehenditur, velut 1. Thimot. 2. vbi dicitur: *Similiter, & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis.* Et 1. Petr. 3. *Quarum,* idest, mulierum, *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri;* quod argumentum eleganter prosequitur Tertullianus lib. de habitu mulierum, & lib. de cultu feminarum, Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 3. & D. Cyprianus lib. de disciplina, & habitu vriginum. Ratio vero ea est, quia nimius corporis cultus ad amorem, indeque ad libidinem prouocat; sic enim Iezabel illa impijssima ad Iehu in sui amorem pertrahendum stibio oculos suo depinxisse, caputque ornasse dicitur 4. Reg. 9. Est autem stibium non vt plerique existimant instrumentum, quo palpebrarum superciliorum pili componuntur, sed metalli genus, cuius præcipua vis est in dilatandis oculis, eorumque fluxibus, & vlcerationibus inhibendis. sic enim accipitur Ezechiel 23. vbi dicitur; *Ecce venerunt quibus te lauasti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.* Quantum vero detrimenti afferat, quantumque sit execrandus curiosus hic mulierum ornatus, docet potissimum ex citatis Patribus idem Tertullianus lib. illo de cultu mulierum; vt dixi: & inter alia inquit, *Habitus feminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum: cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant, ornatumque immundum muliebrem conuenit dici, ille in auro, argento, gemmis, & vestibus deputatur,*

Leuit. 19. 27.
Turrianus in suis scholijs.
Capillus quomodo dicitur corrumpi.
D. Hieron.
Curiosa crinium compositio signum est animi effeminati.
1. Tim. 2. 9.
1. Pet. 3. 3.
Tertull lib. de habitu mulier. & lib. de cultu feminarum.
Clemens Alex. lib. 3. Pædag c. 3.
D. Cyprian lib. de disciplina, et habitu virgin.
4. Reg. 9. 30.
Stibiũ quid est.
Ezech. 23. 40
Mulierum curiosus ornatus detestandus.
Tertull lib de cultu mulier.

tatur, isti in curà capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahant. Alteri ambitionis crimen intendimus: alteri prostitutis aiunt, & de fontibus draconum gemmas erui, hoc quoque deerit Christiane, vt de serpente cultior fiat; sic calcabit diaboli caput; dum de capite eius ceruicibus suis, aut ipsi capiti ornamenta struit. Hæc ille.

Simile. Hinc est, quod inordinatus mulierum cultus assimilatur serpenti in Scythia nascenti, qui, vt dicit Isidorus, tanta præfulget dorsi varietate, vt in sui admirationem inducat intuentes. Et quia piger est, quos cursu inuadere nequit, sui admiratione intuentes rapit, & quanto magis est discolor, tanto in veneno est deterior. Sicut mulier nimirum ornata, oculos, & corda intuentium ad se trahit, & stupida, & insensata reddit, & ea per concupiscentiam rapit, & veneno mali consensus extinguit. Et ideò quanto ornatior, & pulchrior, tanto perniciosior. Similiter Ophites est serpens maculis respersus, qui tot habet nocendi modos, quot colores varios, & sic mulier diuersis coloribus picta, vel varijs ornamentis induta. Vnde D. Hieronymus dicit, quod si vir, vel mulier se ornauerit, & vultus hominum ad se prouocauerit, etsi inde nullum sequitur damnum, iudicium tamen patietur æternum; quia venenum attulit, si fuisset qui bibisset, iuxta illud Prouerb. 7. *Occurrit illi mulier ornata meretricio præparata ad capiendas animas.* Item ornatæ, & pulchræ mulieres similes sunt cattis, catta enim quamdam pulchram pellem habet, & de ipsa in tantum gloriatur, quod quandoque vaga efficitur; cui tunc si ipsa pellis exuritur, in tecto commoratur: sæpe tamen dum de pelle gloriatur propter ipsius pulchritudinem capitur, & mactatur. Sic mulier sentiens sibi in facie pulchram pellem, vel in dorso pulchram vestem, de ipsa gloriatur, libenter discurrit, vt ipsam alijs ostendat; sed si pellis eius febre, vel alia infirmitate exuratur, vel deformetur, siue vestes eius deuastentur, tunc firmior in domo moratur. Item dum de fragili pelle, vel veste gloriatur, à diabolo capitur per vanam gloriam, & lasciuiam, & aliquando ad turpitudinem peccati perducitur. Et tandem aliquando subita, vel mala morte mactatur, & insuper pœna æterna cruciatur. Vnde Cyprianus inquit, *quòd serico, & purpura induta, Christum syncere induere non possunt, auro, & argento, & margaritis, & monilibus ornata, ornamenta corporis, & ani-*

Isidorus.
Mulier nimis ornata assimilatur serpēti in Scythia nato.
Mulier ornata trahit ad se oculos aliorum.
D. Hieron.
Prou. 7. 10.
Simile.
Mulieres ornatæ assimilantur cattis.
Catta quid gerit.
Mulier ornata à diabolo capitur.
Cyprian.

& anima perdiderunt. Hinc est, quod dives ille Luc. 16. *qui purpura induebatur, & bysso, in inferno sepultus est.* D. Ambrosius in cap. 2. epist. 1. Pauli ad Timoth. cap. 2. n. 9. super illa verba, quæ supra diximus: *Similiter, & mulieres in habitu ornato cum verecundia ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, & margaritis, aut veste pretiosa,* ait: *Humili habitu mulieres debere, non in iactantia: qui enim vult audiri, inclinare se debet amota à se pompa, vt misericordiam Dei prouocet. Habitus enim superbus nec impetrat, nec rectè de se facit credi. Quis enim prudentium iactanter ornatam mulierem non horreat? quanto magis auctor Deus, qui corpus ad se liberum factum metallis videt? Nam humilis habitus bonæ professioni conuenit, vt possit non aliud æstimari, quam cernitur. Quæ autem in domo Dei cum pompa se macula videri, non vtique propter Deum, sed propter homines consequitur: quod vult, vt gloriosa videatur. Nil consecutura à Deo nisi maculam: quanto enim hominibus splendida videtur, tanto magis despicitur à Deo.* Hæc Ambrosius. D. Aug. ser. 247. de temp. inquit: *Habitus impudicus corporis nuncius est adulterini cordis. Impudicus autem habitus corporis sui in viris superflua, & inordinata capillatura, vestimentorumque muliebrium affectata similitudo, calceamentorum quoque metas necessitatis extendens. In mulieribus facies fucata, capillorum natiui coloris adulteratio. Hic habitus in vtroque sexu adulterinus est, & à conspectu tanti sponsi prorsus amouendus. Nec silentio præterire hoc debent amici sponsi diligentes decorem domus Dei. Qui enim formam, quam omnipotens, & prudentissimus Plasmator finxit in aliam transfigurare contemnit, nonne euidenter dicere ei videtur; qui se finxit, cur me fecisti sic? Improba temeritas conditoris plasmata vilificare, vt formam, quantum in se est, in aliud transfiguret. Nec ista dicimus à nobis.* Habemus Patres nostros, doctores egregios, qui irrefragabili auctoritate ista damnarunt. Audiamus Paulum 1. Cor. 11. *De superflua capillatura dicentem: Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi.* Audiamus Cyprianum de adulterino habitu disputantem: ait enim, *Opus Dei, & factura eius vllo modo adulterari debet in habitu flauo colore, vel nigro, vel quolibet alio denique lineamenta naturæ corrumpente medicamine: dicit enim Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Et audet quisque mutare, & conuertere quod fecit Deus? Manus Deum* offen-

Luc. 16.

D. Ambr. in c. 2. ep. Pauli 1. ad Timoth, c. 2. 9.

D. August. serm. 247. de temp. Habitus impudicus corporis nuncius est adulterini cordis.

1. Cor. 11. 14

offendunt, quando id, quod ille formauit, reformare, & transfigurare contemnunt, scientes, quod opus Dei est omne, quod nascitur, diaboli quodcumque mutatur. Et in sequentibus: *Non metuis, ne cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus non te recognoscat, & ad sua præmia, & promissa venientem, remoueat, & excludat, dicens: Opus hoc meum non est, nec imago hac nostra est, cum te flauo medicamine polluisti, cum formam, quam dederam, tibi mendacio deformasti. Facies corrupta est, membra aliena sunt, per eam* Deum *videre non poteris, quoniam oculi tibi non sunt, quos* Deus *fecit: sed quos diabolus fecit. Maneat in vobis facies incorrupta, forma syncera, à calcamentis superfluis, pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo* Deum*, digni sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cælestis.* Empti *enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Deum enim in corpore nostro portamus, cum imaginem eius per immundas, & prophanas adinuentiones non deformamus: & sic imaginem suam in nobis recognoscet.* Hæc ille. Tandem est notandum, quod si ornatus in mulieribus est detestandus, in viris execrabilis erit omnino: contra quos legendus est Clemeus Roman. cap. 3. ex lib. 1. Const. Apost. in lib. illo 3. Pædag. cap. 3. vbi sic inquit: *Mutant se sicut serpens posse senium capitis exuere: sed, & si pilos calide circumscribant; rugas tamen non effugient; sed neque mortem latebunt, & si tempus per artem metiantur.* Hæc ille. Deinde affert illud Pauli Ephes. 4. *Renouamini autem spiritu mentis vestræ*: non dixit, Renouamini tincturis, & cultibus; sed spiritu mentis vestræ. Modo ad meum rediens ordinem, quia, inquam, mundus hac vanitate, ijsque luxibus plenus est; ideò oportet bene oculos custodire, vt à talibus obiectis capti, curarum, & cogitationum lasciuarum seminarij causa non fiat in corde, atque mente.

Ornatus in mulieribus detestãdus est, eo magis in viris.

Clemens Rom. cap. 3. ex lib. 1. Const. Apost. in lib. illo 3. pædag. cap. 3.

Ephes. 4. 23.

Mundus vanitatibus plenus est.

Simile.

Oculi sunt fenestræ ar.is.

Secundo, oculi sunt fenestræ, & ianuæ arcis: ite vos ad castra, ad fortia, inuenietis ianuas ære vel ferro, magnisq. clauis tectas. At qua rè? Quia cum arcis ianuæ sint, necesse est, quod multa securitate accommodentur, vt inimici non frangant illas, & ingrediantur ciuitatem, ad omnia diripienda, atque depopulanda: nam, cum hostis dominatur ianuis, cunctis dominatur: *Super murum eleuans oculos*, dicitur 2. Reg. 18. Ac si dicere vellet. Animaduertite, & munimini oculos, nam secus arx, & murus tutus non erit.

2.Reg. 18. 24

Tertio,

Tertio, & vltimo, oculi instabiles sunt amici: nunc omnes sunt vestri, & paulo post alienissimi sunt à vobis. Et (quod peius est) non solum à vobis absunt, sed vos prædantur, & peius, quod queunt, in vos operantur. Hoc affabre illud est, quod in Threnis de oculis dicebatur cap. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam*. Magnum quidem, ait Propheta, nihil est, quod homini, ac mulieri magis amicum, gratumq. sit, quam oculus; & tamen ita aduersatus est mihi; quod *deprædatus est animam meam*. Animam meam deprædatur ipse, per ipsum illicita perspexi, & in mente cogitationem formaui, consensum præstiti; & sic mortaliter peccando animam meam depopulatus sum, & interfeci.

oculi sunt amici instabiles:

Thren. 3.51.

Tertium remedium pro fugiendis malis cogitationibus, & euitando otio, est; nam, dum in aliqua honesta, licitaq. operatione te exercebis, ac occupaueris, facile prauas fugies cogitationes: anima nostra manere vacua nó potest, sicut etiam sunt alia omnia, quæ Deus fecit; & ideò Philosophus aiebat, quod non datur vacuum in natura; & ideò dum tu otio vacas inanis proculdubio existis, & vacuus: vnde prauis cogitationibus, iniquisque curis impleri poteris. Qua propter in sanctorum Patrum vita legitur, quòd ille, qui assidue in aliqua honesta operatione occupatur, & exercetur, vnicum tantum dæmonem habet; qui tentat ipsum; sed qui stat otiosus, centum, milleque habet: & iure quidem; nam cum sit (vt dixi) anima vacua, dæmones quærunt locum occupare; & ideò Eccles. c. 33. egregie dicebat: *Mitte illum, in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas.* Huius rei quidem exemplum natura struthionis ostendit, cui natura dedit, secundum Auicennam, maxima oua facere, & durissimè tecta, vt circa eorum generationem calor occupatur, temperetur in eis, nè eo incenso citius moriatur. Sic homini calido per fomitem peccati originalis, multum, idest, vehementer ad peccandum accenso, siue fortiter tentato, sunt magna, & dura oua, idest, fortia, & difficilia exercitia, vel officia imponenda: vt ex difficili occupatione illorum vitiorum refrigescat incendium, & feruor tentationum. Item nota, quod otiositas hoc facit animæ, quod quies facit corpori; nam si quies corporis est nimia, fit generatiua, conseruatiua, & multiplicatiua multorum humorum, & tandem corruptionis inductiua. Vnde aquæ etiam, quæ nimis quiescunt, putrescunt. Similiter

Otiũ malas parit cogitationes,

Aristot.

Exempl.

Homo qui continuo alicui honesto operi vacat, at vno tantummodo dæmone tentatur.

Eccle. 33. 29.

Auicenna.

Struthionis natura.

Otiositas nocet animæ, sicut quies corpori.

liter quoque otiositas, si est superflua, generat, conseruat, & multiplicat humores, idest, malas affectiones, & cogitationes: vnde tandem facit animam in corruptiones ruere peccati. Vnde Bernardus in quodam sermone, *hæc otiositas mater est nugarum, nouerca virtutum. Ipsa enim est, quæ viram fortem fortissime præcipitat in reatum; facit enim suffocare virtutem, nutrire superbiam, & viam construere aa gehennam*. Hæc ille. Item otiositas, & voluptas sunt causa doloris, & dissipationis animæ, & corporis, cuius exemplum est, quia, secundum Auicennam, quies corporis, & tranquillitas, & dimissio exercitij, coitus plurimus, & præcipue coitus super repletionem cibi, frequentia ebrietatis, & præcipue vinum plurimum in ieiunio ante cibum, quod maxime lædit neruos, sunt præcipue causa doloris iuncturarum, & podagræ, & sciaticæ. quies ergo spiritualiter refertur ad somnolentiam, tranquillitas ad pigritiam, dimissio exercitij ad luxuriam; repletio vero, & ebrietas ad gulam. Hæc ergo sunt illa vitia, quæ primoo lædunt animæ iuncturas: sunt enim in anima vires irascibilis, & concupiscibilis; & etiam rationalis, quas, oportet, esse in anima inuicem coniunctas per participationem, & colligantiam rationis, quod est quando passiones irascibilis, & concupiscibilis à ratione ordinantur: & ideo vocantur à philsopho irascibilis, & concupiscibilis virtutes rationales, sed has virtutes lędunt, & disiungunt vitia supradicta, quia per otiositatem, & quietem hebetantur passiones irascibiles, sed per gulam, & luxuriam distemperantur pasiones concupiscibiles: & sic soluitur colligatio, & iunctura rationis, vel per lesionem iuncturarum, intellige læsionem omnium virtutum: quia omnes virtutes secundum sanctos, & secundum philosophos sunt inuicem connexæ, & coniunctæ. Sed tamen prædicta vitia earum iuncturam dissoluunt: quia per otium, & somnolentiam, & imperseuerantiam tolluntur, & separantur virtutum actus: sed per gulam, & luxuriam eradicantur etiam virtutum habitus. Vnde dicitur Iob cap. 31. de luxuria, quod est *ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina*. Item hæc vitia inducunt podagram, quæ est læsio, & vastatio pedum, quia scilicet lædunt, & dissipant bonas animæ affectiones. Sunt enim affectiones animæ quidam spirituales pedes, quibus anima mouetur, & vadit ad ea, quæ diligit. Item sciathica, quæ lædit anchas, quibus, scilicet, fit sessio corporis, quia,

Quies multiplicat humores.

Bernard, in quodam sermone.

Otiositas est causa doloris & dissipationis animæ.

Auicennas,

Podagra, & sciathica causa.

Vitia quæ primo lædunt animam.

Irascibilis. & concupiscibilis passiones, vocantur à philosopho,

Irascibilis, & concupiscibilis passiones sũt inuicem connexæ

Iob 31. 12.

Vitia quæ generant podagram,

quia, ſcilicet, huiuſmodi vitia etiam impediunt animæ quietem, & ſtabilitatem; & ita prædicta vitia diſiungunt virtutum colligationem, extinguunt animæ affectionem, & auferunt animæ quietationem. Item otioſus homo locum facit diabolo, vt diximus, e contra in homine occupato non habet diabolus locum, vt diximus, ſicut Arca perfecta occupata non eſt capax alterius. Vnde Hieronymus dicit; *Semper aliquid bonifacito, vt te diabolus inueniat occupatum.* Item homo otioſus eſt ſicut ſignum ad ſagittam, quod vndique à ſagittarijs, ideſt, dæmonijs, ſagittatur ſagittis tentationum malorum. Vnde Thren. 3. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*; ſed occupatio eſt velut clypeus contra ſagittas diaboli, iuxta illud Eccleſ. 29. *ſuper ſcutum potentis*; ideſt, viriliter operantis, *& ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit*. Ecce demum tria contra prauas cogitationes remedia. Primum quorum reuerentia, ſcilicet, qua Deum venerari, ac colere debemus. Secundum cuſtodia, qua quiſque erga ſenſus inuigilare debet, præſertim oculorum. Tertium otium cauere, ſeu fugare. Supereſt quartum, flabellum, ſcilicet, ſicuti quinque pennarum partus; ſed hoc in quinque ſequentes lectiones (hoc eſt de vna pro lectione penna) diſcutiemus. Ite in pace. Amen.

(.·.)

Vitia quæ diſiungunt virtutum colligationem.

D. Hieron.

Simile.

Thren. 3.11.

Eccleſ. 29.17 & 18.

Remedia tria cõtra prauas cogitationes,

VIGE-

VIGESIMAOCTAVA LECTIO.

De flabello ad expellendas prauas cogitationes.

IN QVA DE FLABELLO QVINQVE pennarum tractabitur. Primum, de mortis memoria. Secundum, de passionis Christi contemplatione. Tertium, de futuri iudicij recordatione. Quartum, de damnatorum pœnarum acerbitate. Quintum, & vltimum, de Beatorum gloriæ suauitate. In hac lectione de prima penna erit sermo.

Iob 1.22. In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.

PRIMA PARS.

Exemp. *Pauonis natura* NATVRALES inquiunt (experientia teste) quòd quando elatus pauo, suarum formosarum, & oculatarum plumarum facta lustratione, multum illo vano, superboq. circulo seipso, suaq. persona iactata, & gloriata, si forte oculos ad pedes vertit, tam turpes, deformesque, necnon ita corporis pulchritudini contrarios cernens eos, illico humiliatus, oculos flectens, plumasq. restringens, atque celans, & vna suæ pulchritudinis thesaurum, seipsum pudendo, strepitu, clamore, ac flebili, mæstaq. voce intrinsecum cogitationis dolorem nempe significat. *Simile.* Sed quis vano pauoni magis assimilatur, quam tu, ò homo? nam ob minimum

mum quodcumque eleuaris, & superbis? Et ecce, quod, perspectis tuarum magnitudinum formosis plumis, displicatis tuæ pulchritudinis alis, facto tuarum diuitiarum magnifico circulo, ah, proprio tui beneficio, & pro defensione tuæ mentis, & animæ a malis curis, prauisque cogitationibus, respice, respice pedes, tuum animaduerte finem, tuum caue terminum, ad quem cogita tãdem quartum remedium, quod ego tibi dixi, & insinuaui, quo expellere poteris malas curas; quod quidem est quinque plumarum, seu pennarum flabellum: immo non totum modo cogitabis; sed solum primæ pennæ attendes, quæ mortis est memoria. Iam dixi vobis in alia occasione, quòd cogitationes muscis similes existunt; istæ melius, quam cum flabello, non expelluntur: ita cogitationes, hac prima istius flabelli penna, quod vobis proposui, (flabello, scilicet mortis) propulsantur, & abiguntur. & ratio est, quia mors quinque prærogatiuis hominem, & mulierem cautissimam reddit. Prima est, quoniam omnium est magistra. Secunda, quia iustissimus est iudex. Tertia, quia bonum à malo separat. Quarta, quia liberalissima est eleemosynæ dispensatrix. Quinta & vltima, quia vigilantissima est curatrix, seu instatrix pignorum ad operandum. De omnibus his quinque hac in lectione sermonem faciemus. Attendite.

Homo debet suũ finem respicere.

Flabellum quinque pennarum ad expellendas prauas cogitationes.

Lectionis diuisio in quinque capita.

Quo ad primum, certum est, quòd mors est sapientissima, doctissimaque magistra omnium: nam hæc illa est, quæ omnes reducit ad lumen, cognitionemque veritatis, secundum quod ait Regius Propheta in Psal. 138. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*; & præsertim docet quo modo sint fugiendæ principales illæ cogitationes, quæ hominem, mulieremque ad vitiorum, ac capitalium peccatorum genera trahunt, & inducunt. Primum quorum sunt plurimæ cupiditatis, & rei affectus. Secundum carnalitatis cogitationes; Tertium ambitionis, & superbiæ curæ. Quartum tandem longitudinis vitæ præsumptio, & spes. Primò docet fugere cupiditatis, & rei affectus, & hoc cum vitæ breuitatis recordatione, nam, alicui quamuis diceretur; Mille es annos victurus, & sciens, quod isti mille anni finem habere debent: insanus hic quidem esset, qui aliquo modo saltem sua desideria, eiusque affectus circa terrena non cohiberet, atque compesceret: cum certo sciat, quod licèt diu est victurus: tamen diuturnitas hæc finem adipiscetur; sicuti illi

Mors est sapientissima magistra.

Psal. 138. 11.

Cogitationes praua ad quatuor peccatorum genera hominem trahit.

Mors docet fugere cupiditatis affectus.

Temporis diuturnitas finem tandem habet.

in sacra scriptura dictum fuit, quod domum ædificaret, quia quinquaginta annos victurus erat; qui respondit, insaniam esse domum construere pro tam breui tempore: & iure; nam hominis iudicio, quamuis multum, satisque videatur: quia demum finem habere debet, breuissimum dici potest. Et ideò Psal. 89. optime ait, quod *mille anni sunt tamquam dies hesterna, quæ præterijt*, eo magis, quòd vita ad eam ducta, & collata est breuitatem, quod fere, aut vix incipit, & oritur, quod finit, & deficit. Et ideo illustris ille Poeta optime aiebat

Miser, il tanto affaticar che gioua?
Tutti torniamo alla gran madre antica;
E il nome nostro à pena si ritroua.

Psal. 89. 4.

Vita humanæ præsentis breuitas.

Deus quare vitam humanam præsentem breuiauit.

2 Hinc oritur, quod volens Deus huic malo, scilicet, cupiditatis, & desiderij rerum terrenarum mederi, de tempore in tempus humanam vitam breuitate comprehendit; & ideo cum in mundo pauca gens existebat, & consequenter simplicior, & purior, & minus ad rem applicata, vita diuturnior erat: verum, cupiditate, habendique desiderio inde crescentibus, Deus vitam diminuit, breuemque fecit, non aliam, inquam, ob causam, nisi vt huic mederetur vitio, eo modo, quo medicus agit, qui medicinam morbo proportianatam infirmo porrigit: vitæ breuitas cupiditatis est remedium: hoc desiderium creuit, ergo iure vita breuiatur. Hoc est quod Iob c. 14. innuere volebat, cum dixit: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, &c.* ac si diceret Principalis res, quam sibi in mentem redigere debent homo, & mulier, breuitas est humanæ vitæ.

Breuitas temporis est medicina vitæ humanæ.

Iob 14. 1.

Mors docet carnalitatis & concupiscentiæ repellere cogitationes.

3 In secundo loco mors docet concupiscentiæ, & carnalitatis repellere cogitationes: & iure quidem; mors enim non solum, cum a corpore animam separat ab homine omnem potentiam, vimq. omnem aufert; sed prius etiam suis nuncijs, infirmitate, scilicet, & indispositione idem agit; ita, vt impotentem, inhabilemque reducit eos ad suas libidines, ac inordinata desideria. Vbi clarè cernitur, quod (vt dixi) nuncij sunt, legatique mortis, quod innuere volens D. Paulus, aiebat. *Nolite ergo secundum carnem viuere: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et hoc accidit; quia cum nostrum corpus compositum sit ex quatuor elementis, & per consequens quatuor contrarijs qualitatibus armatis, necesse est, vt inter ipsa assidue vergant contentio

Infirmitas, & indispositio sunt mortis legati.

Corpus compositū ex quatuor elementis.

tio & bellum; sed vbi prælium est, ibi necessario, vel ex vna, vel ex alia parte victoria viget, & ideo vno ex eis tandem prædominante, oportet, vt illa dissoluatur harmonia, quæ huius compositi vitam seruabat & tenebat: hoc absconditum bellum, immo manifestam contentionem, in tot diuturnis alterationibus experimur, quas nostri in corporibus in dies cernimus. Et hinc extrahitur, quòd similis, immo eademmet est causa alterationis in corporibus, & causa infirmitatis, & mortis: & solum in maiori, vel minori humorum imperio differt. Nam quando aliquis malignus humor parum prædominatur, fides tantum huius cytharæ (vt hac vtar metaphora) dissonantur, & dissoluuntur, & sic huiusmodi harmonia dirimitur, & concentus sanitatis, quæ consistit in vnitate humorum, confunditur: sed si nimium prædominatur, eam omninò corrumpit. Demum innuere velim, quod non solum mortis memoria, sed hi eius nuncij, qui præfatæ sunt indispositiones, sufficiunt, vt nos à concupiscentijs, & carnalitatibus abducamus, & retrahamus.

Elementa habent quatuor qualitates contrarias sibi inuicem.

Mortis, & infirmitatis humanæ in corporibus eadem est causa.

In tertio loco mortis memoria docet superbiæ curas aufugere, atque ambitionis: nam post mortem homo non solum sub pedibus aliorum hominum, & amicorum, & inimicorum, sed etiam ipsarummet belluarum conculcatur: ita, quòd illos qui pôpa, aut superbia, magna palatia construunt, docet, & ostendit, quòd post mortē hospitium tam angustum habebūt, quod ipsis naribus firmamentum eius tangent. Vestientibus seipsos sericis, vel auro, vel argento, insinuat, quod post mortē vestimenta eorum ex terra, & ex vermibus erit. Illis, qui pro verbo contumelioso statim se vlcisci volūt, proximū interficiendo, innuit, quòd post mortem, licet ensem in manibus haberent, ab ipsismet vermiculis se defendere, aut tueri minime possent. Et denique volentibus rabiosa ambitione prædominari omnibus, significat, ac patefacit, quod post mortem non modo gradus, ac titulos omittere, atque derelinquere oportet; sed inter ossa eius, & illa mendicioris, ac magis parui æstimati hominis, qui inueniatur, nulla vergit differentia. Et ideo Eccl. 48. aiebat: *Post mortem autem non erit tale nomen nostrum*; Et Regius Propheta: *Ne timueris cum diues factus fuerit homo; quia, cum interierit, non sumet omnia.* Scitote fratres, quòd quando homo mortuus erit, non poterit secum omnia ferre, quæ habebat, & possidebat. Sed si omnia portare non poterit,

Mortis memoria docet superbiæ curas fugere.

Hospitium nostrum post mortem erit valde angustum.

Homo post mortem nec à vermibus potest se defendere.

Eccle.48.12.

Psal.48.17.

Homo post morte non potest omnia secum ferre.

poterit forſan eorum partem ferre ? Et hic notate, quod noſtra duplicia ſunt, ſpiritualia, ſcilicet, & corporalia, vel temporalia, vt dicitur; bene ſpiritualia nobiſcum feremus; & ideò ingrati morientes omnia nobiſcum peccata portamus. Sed quo ad temporalia nullum afferimus. Vnde Iob 1. dicebat: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Dicite exempli gratia, quod inueniatur viridarium quoddam diuerſis arboribus fructiferis refertum, & quod aliqui pueri apertum cancellum illius inuenientes introeant: qui viridarium non animaduertentes, ſtatim ingreſſi herum imitari incipientes, aliqui arbores aſcendunt, alij cum arundinibus, & fuſtibus, cum petris, alij fructus legunt, tam illos, qui maturi ſunt, quam etiam illos, qui acerbitatem redolent; & quidam eorum ſinum implent, quidam peram, aliqui pectus, pileum reliqui, & tandem ceterorum hi hoc, ijque illud. Quod animaduertens viridarius, ne ab ipſo aufugiant, ad cancelli ianuam expectat eos: pueri currunt cauſa exeundi foras, & in eius manus incidunt; viridarius prius ab illis petit, vnde veniunt, & inde fructus apud ipſos reperiens, & clamans, & minans, alapis cedit, verberat, punit, omneſque ab eis fructus auferens, flentes extra pomarium expellit. Et ideò optime Pſal. 48. ait: *Ne timueris cum diues factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quia, cum interierit, non ſumet omnia*. Ne iſtorum admiratione afficias, qui veluti pueri in fructus viridarij huius vitæ, ſcilicet, in dignitatibus, in magnitudinibus, immerguntur: *Quia cum interierit, non ſumet omnia*, cum ianuam adibunt pomarij mortis maior rerum pars ab eis auferetur: immo hebræus legit: *Nihil ſumet de hoc mundo*; ſed melius, ſicuti ait vulgata noſtra, *non ſumet omnia*, ergo aliquid; aliquid ferent, ideſt, dolores, ſolicitudines, extremum peccandi deſiderium, ſed quo ad reliquum omnia remanebunt, omniaque relinquentur. Quidam erit, qui vult vectigalem decipere: quidnam facit? aliquas res in peram ponit, ſeu in culeum, vel ſaccum, & latenter, vel furtim portat, ne pondus ſoluat: Princeps publicauit, quod nemo res ferat abſque ſolutione; interim hic vult vrbis ianuas exire, & in publicanorum poteſtatem incidit, indagant, inquiruntque eum, & res vetitas in publicatione apud ipſum reperiunt: tunc ſaccum, culeumq. exoluunt, omnes ab eo remouent res, & in-

Morientes in peccatis omnia flagitia ſecum portant.

Iob 1.

Simile.

Pſal. 48. 17.

Homines veluti pueri egerunt in viridario huius mundi.

Mors auferet omnia ab hominibus.

Peccator poſt mortem quid ſecum fert.

Simile.

& insuper,vt pœnam soluat, efficiunt: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die* Sabbati, *ne inferatis per portas Ierusalem*. Animaduertite (ait Ieremias c. 17.) nolite onerare vos vetitis rebus, non quærere tanta auiditate honores, dignitates, beneficia, prouentus, seu fructus, quia maior horum pars sunt vetitæ res, ambitione refertæ, atque superbia, vestris sunt superflua meritis: nam contra vos adsunt leges, quæ metam, terminumque ponunt prouentibus, & beneficijs, quæ aiunt, quod dignitates ne conferantur nisi in benemeritos: quid enim facietis apud ianuam, cum ad mortem perueneritis? veniet publicanus, & omnia perscrutans, vt de suis beneficijs, ac prouentibus, Episcopi rationem reddant, si secundũ canones expensi sint: scire volet, si illæ dignitates, quas per fas, nefasque peruestigarunt, erant de iure suæ, vel non; & denique vetitas res inueniendo, omnia a nobis auferet, & in infernum acriter, seuereque vos puniet. Magnum quidem est, quòd in mundo homines tam potentes sunt, quod integris Regnis imperant; tamen cum migrant e vita, omni vili creaturæ sunt subiecti. D. Antoninus suarum historiarum lib. 4. narrat, quod Soldanus moriens Babyloniæ, suum ad se locumtenentem vocauit, & dixit ei: Hoc fractum accipe linteum, & perticæ in altum illud alligabis, clama per Damascum, ecce moritur Rex Orientis, nec, præter hoc linteum fractum, secum portabit: sed etiam malè loquutus fuit, quia nec illud linteum suum erat; nam illud etiam in sepulcro remanere debebat. Et ideo aiebat D. Greg. homil. 24. in Ioan. loquens de sepulcro; Hic, hic omnia relinquenda sunt; & propterea Soldanus male loquutus fuit, quia illud quoque scrutum in sepulcro relinquere opus erat. Hoc idem in Apoc. c. 14. D. Ioan. innuit, cum ait se illam magnam audiuisse vocem, quæ insinuabat: *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius*. Nos scimus, quod vinea cum falce non vindemiatur, sed vindemiatur cum gladio: cum falce fœnum ceditur, quia si ita vinea vindemiaretur, vitis rami cederentur, & omnia vastarentur: non, non equidem insane loquitur, sed bene: nam quid falx est? Nil aliud profectò, quam mors, quæ omnia corrumpit, consumit omnia, cuncta cedit, honorem, videlicet, dignitatem, gradum, potentiam: erga omnes æquo pulsat pede. Hoc illud est, quod sanctus Iob aiebat cap. 17. *Spiritus meus attenuabitur, dies mei bre-*

Ier. 17. 21.

Res huius mundi sunt merces vetita.

Beneficia non debent conferri, nisi in benemeritos.

Homines licet in vita potentes sint, in morte nihil possunt.

D. Anton. lib. 4. Histor. Exempl.

D. Gregorius homil. 24. in Io.

Apoc. 14. 18.

Mors quare falcem gestat.

Iob. 17. 1.

uiabuntur , & solum mihi superest sepulcrum . Væ mihi , ait
Homo post mortem nil aliud quàm vermes, & fœtorem hæreditabit. Iob. scitote fratres , quod quando meus spiritus a corpore diuidetur , cum dies mei breuiabuntur , aliud , quam fœtorem , humum , limum , & vermes non hæreditabo : magnitudo , potentia , regalisque existimatio me deficiet;& aliud, quàm sepulcrum non obtineam . Et notabile quidem : per ciuitatem ambulate , & petite , quis nam hoc ædificauit palatium ? Cuius est viridarium hoc ? Hoc ambulacrum ? dicetur, hoc talis fecit , seu construxit , sed cum postea ad alium translatum sit , alterius nunc est : ita , quod non amplius est primi domini , qui ædificare ipsum fecit : sed si de
Sepulcrum est nostra vera domus. sepulcro quæritis , dicetur , Hoc sepulcrum talis est , quia ipse construxit, & ipsemet possidet, intusque quiescit : & iure ; aliud enim non superet post mortem præter istud. Vidi-
Simile. stis ne maris vndas ? Interdum ità tument , & superbiunt , quod totam terram penitus deglutire , & absorbere velle videntur ; verum non tam citò ad littus perueniunt,quod sic quassantur , & infringuntur , vt fere nec vestigium quidem
Iob.38.11. appareat : *Vsque huc venies, & non procedes amplius : & hic confringes tumentes fluctus tuos* , Iob 38. Magnum equidem, admirandumque est hominem in principatu , suaque in magnitudine videre:omnes eum adorare.ac velle in orbe Deum
Mors cuncta dirimit. existimare , omnes paruipendit , omnia vult , ac secundum placitum suum operatur : sed non tam cito mors aduenit ,
Simile. quòd superbia euanescit , potentia non amplius cernitur ; & tandem tamquam palea cum vrit se, maximam ostendit flammam;ità quòd videtur se mundum totum conflagrare velle, sed paulò post nil existit , nihilque exinde redundat . Nonne rememoramini Nabuchodonosoris statuam in Daniele 2.
Daniel.2.32. 33. Hæc caput habebat aureum , argenteum pectus , metallum còrpus,æreaque crura ; sed quia pedes terrei erant, lapis de monte cadens, & statuam confringens,totam eius pulchritudinem abstulit . Pulchrum quidem , immo potentissimum est
Magnatum status pulchre est videri. videre Reges, Imperatores , Principes cum sceptris , thiaris, cum pileis, suisque cum magnitudinibus ; ita , quod formosius , potentiusque nec desiderari, nec cogitari potest:verum vix febricula accidit , vixque iliosus fit , breuissimus morbus ad mortem trahit , & omnia interim amittit, & perdit.

Mors docet cogitationes diu viuendi euitare. Quarto tandem loco mors docet cogitationes diu viuendi fugere,& iure, quia quo magis viuitur, eo magis ad mortem pergitur ; nam vita,media est ad mortem , quemadmo-

dum

dum ille, qui currit, quo magis currit, eo magis se appropinquat ad locum, quem attingere decreuit: ita quod vita ad mortem est cursus. Vnde D. Augustinus aiebat, *Ipsum autem viuere quid est, nisi ad finem currere?* Dicite vos quod in eodem carcere octo vel decem inueniantur in eodem errore complices, omnes morti eidem adiudicati, qui ob minimum tumultum, quem audiant, aures aperiant, ad paucum fremitum attentos se reddant: si pedum sonitum præter solitum, si voces humanas percipiunt, omnes turbantur, exagitantur, commouentur, timoreque moriuntur: tandem consolatores accedunt cum carnifice; qui dum illos ad mortem animant, hic gulæ vnius aptat capistrum, & ei dicit, frater mi patientiam habe, mortis tuæ tempus, dies, horaque aduenit; & sic e carcere extrahunt; sed ipse antequam inde exeat, socios respicit, eosque ita alloquitur, ecce sicut iam mea aduenit hora, sic etiam vestra adueniet: nos in erroribus omnes complices fuimus, & omnes sumus ita e vita migraturi, hodie mihi, vobis cras continget. Mirabilis Eccles. 38. *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum, mihi eri, & tibi hodie*. O homines, o mulieres reminiscimini, quod omnes ab Adam lumbis descendimus, & consequenter omnes in malo complices sumus, quia omnes originale peccatum contraximus, per quod mors emanauit, & propterea omnes mori debemus; hodie patri, cras filio: hodie viro, cras vxori; hodie fratri, cras sorori mori continget. Et denique confidere non oportet diu aliquem esse victurum, quia *hodie mihi cras tibi*. Reperitur quidam tam prope te, vt si pedem moueat te tangat: sic affabre mors omnibus proxima est, vt illico quòd se moueat, nos assequitur. Et quod pateat, audite Dauidem Regem: *Viuit dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu, ego, morsque diuidimur*. Te rostrare, nec chimerizare noli o homo, o mulier dicens, ego sum adolescens, fortis, strenuus, & consequenter absens quamdiu à morte, quia verum non est cum tam proxima sit, quòd pedem eleuans statim te adiungit. Vidistis ne aliquando arborem auibus plenam, qui vnà hilares maneant cantantes? accedit venator, vel auceps, ictumque de tormento emittit, vnicumque interficit, qui in terram cadit, aliæ id audientes, fugiunt, & silent: sed quia parum de mortua aue remorentur, ad arborem de nouo redeunt ad cantandum, & auceps ite-

D. August. Simile.

Eccl. 38. 23.

Omnes nos ab Adam descendimus.

1. Reg. 20. 3.

Mors vnico gradu distat ab vnoquoque. Simile.

iterum de tormento emittens aliam occidit: ipsæ interim se abscondunt,& paulo post redeunt,ita vt singulæ interfectę cadant: *Sicut aues laqueo cõprehenduntur,sic capientur homines in tempore malo*, Eccles. 9. Homines, ac mulieres in arbore huius vitæ hilares cantant, atque saltantes sine mortis minima cogitatione, & qui mercaturæ ramum ascendit,& qui voluptatum, qui dignitatum, quique demum huius, quique alius rei, & cum magis voluptatibus incumbere posse existimant, mors accedit, atque comparet, eosque interficit, & sic paulatim omnes occidit: & ideo ille Poeta de morte loquens, perbelle ait;

Eccles. 9. 12.

Homines & mulieres velut aues à morte cõprehenduntur.

Petrarca.

E venendo quando altri non mi aspetta.
Ho interrotti mille pensier vani.

Prou. 8. 30. 31

Mirabilis quidem Prouerbiorum locus cap. 8. vbi dicitur; *Ludens coram eo omni tempore*, ludens in orbe terrarum. Vbi nota, quod quam ex Hebræo nonnulli transferant *delicias in orbe terrarum*: tamen de ludo proprie sumpto exponitur à Lyrano hoc sensu, *ludum faciens de orbe terrarum*, duplici, videlicet, de causa; tum, quia, vt ille ait orbis terrarum similis est ludo pilæ,quæ ab vno ad alium transmittitur secundum quamdam reuolutionem: Regna enim,& imperia transfert Deus de gẽte in gentem. De quo argumento copiose disserit Philo Iudæus, vbi inter alia hæc habet: *Ante Macedonum imperium inclyta fuerat Persarum felicitas; sed vna dies tam ingenti regno finem attulit, fuit Ægyptiorum perampla, & magnifica potentia, sed nubis in modum eius felicitas præterijt. Quid Æthiopes? quid Carthago? quid Aphrica? quid Pontici reges? quid Europa, Asiaque? & (vt compendio loquar) totus orbis habitabilis? Nonne more nauis susque,deque iactante marinis fluctibus,nunc aduersis ventis,nunc secundis vtitur. Nam verbum diuinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumlustrando,nunc his,nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit. Nihil igitur est in humanis rebus præter vmbrã,auramque leuissimam sine mora præteruolantem: erunt enim vltro, citroque tamquam æstuaria*. Hæc ille. Qui quidem illis verbis, *Verbum diuinum choreas in orbe ducit*, ad locum citatum supra, *ludens in orbe terrarum*, mihi videtur respexisse. Tum etiam,inquit idem Lyranus, quia instar ludi parum durabit; quæ breuitas pluribus similitudinibus expressa est in sacris litteris. Prima est illa Psal. 89. in qua Regius Vates vni tantum diei eam comparat dicens. *Mille anni ante ocu-*

Lyranus.

Orbis terrarum similis est ludo pilæ.

Phylo Iudæus.

Lyranus.

Orbis instar ludi parũ durabit.

Psal. 89. 4.

te ocu-

te oculos tuos, tamquam dies besterna, quæ præteryt. Et Paulus Hebr. 3. Totum tempus huius vitæ vſque ad finem mundi appellauit, *hodie*, ideſt, vnum diem præſentem illis verbis: ſed *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur*, ideſt, dum durat vita præſens vſque ad mundi finem. Ad quod Ambroſ. lib. de fide reſurrection. probat ex eo, quod Chriſtus dominus Matth. 20. vna die conduxit omnes operarios in vineam dicens. *Quid hic ſtatis tota die otioſi? Mundi tempora*, inquit Ambroſius, *annus eſt; & quid mirum ſi annus vnus eſt, quando dies vna eſt?* Secunda ſimilitudo ſtrictior eſt illa 2. Reg. 14. Vbi vita humana aſsimilatur aquæ fluuij, *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram*, & hoc propter velocitatem in curſu, & motu: ſic vita humana raptim currit. Vnde Machab. 11. dicitur. *Fluuius torrens erat in me*. Tertia ſimilitudo, ſtrictior ſecunda, eſt illa, in qua vita humana aſsimilatur vento. Vnde Iob 7. *Memento quia ventus eſt vita mea*; quia ſicut ventus non habet certum terminum, & parum durat; ſic humana vita eſt incerta de eius exitu: vnde dicitur: *Nihil certius morte, & nihil incertius hora mortis*: & parum durat, vnde Pſal. 9. *Peryt memoria eorum cum ſonitu*. Quarta ſimilitudo ſtrictior tertia eſt illa, in qua humana vita aſsimilatur vapori, quia ſicut vapores parum durant in aere, & cito reſoluuntur: ſic omnes paruo tempore viuunt. Vnde Iacob. 4. *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens*. Quinta ſimilitudo ſtrictior quarta, eſt, vbi vita humana comparatur vmbræ; & hoc propter fugam; nam vmbra ad nutum corporis mutatur, ſimiliter & ipſa vita: nam non eſt eadem ſanitas corporis mane, & veſpere. Vnde Iob 14. *fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet*. Sexta ſimilitudo ſtrictior quinta, eſt, vbi vita humana comparatur ſpumæ: Vnde Oſeę 10. *Tranſire fecit Samariam Regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ*. Cuius loci is eſt litteralis ſenſus. Samariam ſuis ſceleribus, atq; idololatria potiſsimam cauſam fuiſſe, cur Deus regnum Iſrael omnino diſsiparet. Spumæ vero ſimilitudo adhibetur, vt cito diſsipatum iri demonſtretur. ſicut ſpuma, inquit, Hieroymus, quæ ſuper aquam eſt, cito diſſoluitur: ſic regnum decem tribuum velociter finietur. Quæ ſimilitudo omnibus poteſt aptari mortalibus, qui ſpumæ; immo bullæ ipſi, quæ ſuper aquam excitantur, cenſeri poſſunt; quia, ſicut bullæ quo magis intume-

Heb. 3. 13.
Tempus totum à Paulo hodie appellatur.
D. Ambroſ. de fide reſurrect.
Matt. 20. 7.
Mundi tempora vnus dies eſt.
2. Reg. 14. 14
Vita humana aſſimilatur aquæ fluuij.
1. Machab. 16. 5.
Iob 7. 7.
Vita humana aſſimilatur vento.
Pſal. 9. 8.
Vita humana aſſimilatur vapori.
Iacob. 4. 15.
Vita humana comparatur vmbræ.
Iob 14. 2.
Oſeę 10. 7.
Vita humana aſſimilatur ſpumæ.
Hieronym.
Vita humana aſſimilatur bullæ.

ſcunt

ſcunt, eo celerius euaneſcunt; & tumor nihil aliud in ipſis efficit, quàm claritatem quamdam ad exitum progreſsionem. Ita quanto mortales magis per ſuperbiam ſe exaltant, & intumeſcunt, celerius ruinæ argumentum eſt, vt eſt perſpicuum in omnibus hominum ſtatibus, & conditionibus. Septima, & poſtrema ſimilitudo ſtrictior omnibus, eſt illa, in qua vita humana nihilum vocatur. Vnde Regius Vates Pſal. 89. *Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Vbi eſt ſermo de vniuerſorum omnium hominum vita. Eſt autem ſenſus, eorum anni erunt, eaque pro nihilo habentur, videlicet, vt in Hebræo exponitur, tamquam omnium, hoc ſenſu, eorum anni erunt, pro nihilo reputabuntur: & velut ſomnium pro fugacitate. Vnde D. Aug. in Pſal. 30. ſuper illa verba, *Inclina ad me aurem tuam: accelera, vt eruas me,* dicit, *Inclinat aurem ſuam ad nos Deus, miſericordiam deponendo ſuper nos. Accelera, vt eximas me. Ad hoc poſitum eſt accelera, vt hoc totum, quod nobis videtur, quamdiu voluitur ſæculum, intelligas punctum eſſe. Non eſt diu quod habet extremum. Ab Adam vſque in hodiernum diem peractum eſt, quem reſtat peragendum, ſi adhuc viuerat Adam, & hodie moreretur, quid ei prodeſſet tamdiu eſſe, tamdiu vixiſſe? Celeritas hæc ideo eſt, quia tranſuolat tempora; & quod tibi tardum eſt, in oculis Dei breue eſt. Iam iſtam celeritatem iſte intellexerat in extaſi dicens, Accelera, vt eruas me.* Hæc ille.

Mortales quàn to magis intumeſcunt, eo celerius cadunt.

Pſal. 89. 5.

Vita humana nihilo aſſimilatur.

D. Auguſt. in Pſal. 30.

Mors longam ita lanceam vibrat, quod omnes homines, atque mulieres in primam, ſecundam, & tertiam, quartamque generationem, & ab Adamo vſque in diem hanc non eſt qui ſuperuiuat, tam ampla, quòd omnes ſtatus amplectitur, Reges, ſcilicet, Imperatores, nobiles, ignobiles, magnos, paruos, thiaras, pileos, maieſtates, titulos. Tam profunda, quòd omnes, comprehendit, cæcos, videlicet, claudos, valetudinarios, infirmos, Chriſticolas, Turcas, & cunctos. Hoc illud eſt, quòd Zacharias aiebat cap. 5. *Ego video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum: & dixit ad me. Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* Et D. Gregorius in moral. ait, quòd iſtud volumen tam magnum eſt, quod ponit numerum finitum pro infinito. Tandem (vt ad rem meam redeam) mors, inquam, docet nos fugere etiam cogitationem diu viuendi, nam continuo contrarium videtur. Hoc autem ſufficiat pro prima parte. Quieſcite.

Mors longã geſtat lanceam.

Mors omnes ſtatus amplectitur.

Zach. 5. 2. & 3.

D. *Gregor.*

Numerus finitus pro infinito.

SECVN-

SECVNDA PARS.

MOrs denique non modo doctissima, ac sapientissima est magistra, quia docet nos fugere cogitationes auaritiæ, concupiscentiæ, ambitionis, ac præsumptionis diu viuendi, sicuti vsq. adhuc audiuistis; sed insuper est etiam iudex iustus, & persedula separatrix boni a malo, & demum liberalissima est dispensatrix omnium, quæ homo tenet, atque possidet. Et de tribus his omnibus hac in secunda parte loquemur. Et primo quod in hac vita res malè sint ordinatæ, & malè dispensatæ, saltem ex parte nostra, clarè experientia cernitur; vnde Eccl. ait: *Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos*, scitote, inquit, quòd, si vos rectè animaduertitis, multi sunt domini, qui esse famuli; & multi famuli esse domini mererentur; eo quod in plurimum videtur, quod iniquitas, & calliditas præualent, & simplicitas opprimitur: & (vt his finem imponam) per fas, nefasque omnia fiunt; & qui plus habet calliditatis, atque gratiæ, ille præualet, atque dominatur. Deinde quinam ignorat, quod mors est illa, quod postea suo loco res aptat, ponit, atque coæquat? & quòd cuilibet dat quod suum est? Vnde iure optimo aiebat Regius Propheta Psal. 72. *Vt intelligam in nouissimis eorum*; ac si diceret; Nunc cognoscere non possumus illum, qui verè suo in loco, suaque in sede maneat; nam vt in plurimum cernitur, quòd immeriti dignitates obtinent, atque gradus, sed *in nouissimis*, in tempore mortis, tunc cognoscentur meriti, atque demeriti. Exemplum clarum est in historia diuitis Epulonis, mendicique Lazari, qui tam variè hac in vita positi erant, quòd vnus quotidie conuiuabatur, alter autem panis minutijs, quæ de mensa cadebant egebat; ille vestiebatur purpura, & bysso; hic autem nudus erat: ille sanissimus; hic autem vulneratus totus: illi a multis obsequium præstabatur: huius autem non erat qui misereretur; & quidem ille scelestissimus, hic sanctissimus erat. Ecce igitur, quod a suo deficiebant loco. Sed non tam cito iudex peruenit, idest, mors, quod statim omnes suis locis adæquauit; & vbi diuiti infernum

Mors iudex iustus.

Res in hac vita male ordinatæ sunt.

Eccl. 10. 7.

Domini merentur esse famuli, & è conuerso.

Mors omnia suo loco reponit.

Psal. 72. 17.

Immeriti vt plurimum dignitates obtinent.

Luc. 16.

Exemplum.

infernum dedit, omni pœna, ac calamitate plenum, pauperi sinum Abrahæ gloriæ, ac solatij præmio cumulatum, est elargita. Paterfamilias suam pergit ad possessionem, suam ad vineam, cunctaque respiciens, cernit, quòd aliquæ plantæ, quædãque arbores bene positę non sunt, in proprio enim situ eis conuenienti non existunt collocatæ, tunc agricultorem vocat, eique præcipit, vt ipsas transplantet, & quamcumque illarum in locum ponat sibi proportionatum: *Iam enim securis ad radicem arborum posita est*, ait D. Matt. c. 3. Scitote, quod magnus Paterfamilias Deus in die mortis omnium, videns, quòd arbores, ac plantæ hominum, atque mulierum rectè non sunt positæ, nec suo loco manent, præcipiet, & imperabit, quod transplantatæ sint, quod cuilibet propria detur domus: & multi, quibus diuersi, nonnullique inseruierũt famuli, obsequio affecti, atque gratia, & habentes quidquid optant, tunc tamquam diues Epulo egebunt aquæ guttà, vt linguam refrigerare possint.

Simile. *Mors veluti paterfamilias mandat reponi res.* Matt. 3. 10.

Quo ad tertium caput, mors diligentissima separatrix est boni à malo. Hic mundus campus est, in quo frumentum cum palea confunditur, frugesq. cum zizania, seu lolio, boni demum cum malis, ita, quod vix vnus ab alio distinguitur: immò, & sæpe sæpius bonus pro malo capitur, malus verò pro bono. Mors quid agit? vnum ab alio separat, ita, vt tunc quilibet animaduertat, qui sit bonus, qui verò malus. Hoc illud est, quod innuere voluit Christus Dominus noster in parabola frumenti lolio mixti, in D. Matth. c. 13. vbi aiebat: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*. Quo in tempore postea separabitur frumentum à zizania. Zizania tres habet qualitates malas; primo, acutum est in gustu; secundo, ventosum; tertio, virosum. Acuitas significat auaritiam, ventositas superbiam, & virus carnalitatem. Auaritia acuta est, quia auari sunt valde acuti, subtilesque. Vnde Psal. ad hanc alludens rem ait: *sicut nouacula acuta fecisti dolum*: & iure, quia sicuti tonsor illico caput, vel aliam partem corporis radit: ita auarus quærit omnes suis rebus exuere. Superbia ventosa est, quia inflat, & homines vento, fumoque plenos reddit, atque mulieres; & ideò Prouerbia aiebant c. 10. *Qui nititur mendacijs pascit ventos*. Et tandem virosa est carnalitas, quia qui se hoc in vitio immerguntur, raro sanantur, & corriguntur: vnde vocatur in Deut. 32. virus aspidis, ac viperæ; *venenum aspidum insanabile*. Sed dicite

Mors est diligentissima separatrix mali a bono. *Boni à malis in hac vita vix cognoscuntur.* Matt. 13. 30. *Auaritia zizaniæ comparatur.* Psal. *Auarus quærit omnes suis rebus exuere.* Prou. 10. 4. *Carnalitas est venenosa.* Deut. 32. 33.

dicite quæso mihi, quo magis mundus abundat, quàm his tribus vitijs? Auaritia, ambitione, atque carnalitate. Hæc vbique dominantur: ite per plateas, per vias, per officinas, per domos, per palatia, demum omnia per loca transite, inuenietis, quòd hæ tres temerariæ, ac inuerecundæ excipiuntur meretrices, atque scorta; ita, quod granum, id est, virtus vix cognoscitur. Sed qui nam hanc separationem faciet? Mors, inquam; & tanta sedulitate faciet eam, quòd vbi nunc omnia confunduntur: & sæpè auari laudantur, & existimantur liberales, ambitiosi prudentes, ac sapientes, & carnales castissimi; tunc, inquam, e contrario vitium à virtute distinguetur, ac cognoscetur, & vitiosus à virtute prædito. Videte vos si mors erit diligentissima, atque perspicacissima separatrix boni a malo; & ideo dicet: *Colligite primum zizania in fasciculos*, & a grano separate ipsum.

Vitia tria capitalia veluti meretrices ab omnibus excipiuntur.

Mors distinguit vitium à virtute.

Matt. 13. 30.

Quoad quartum, Mors est etiam liberalissima dispensatrix omnium & quo ad corpus, & quo ad animam, & quo ad facultatem: quo ad facultatem, quia quidquid tanta solertia, & angustia collectum, atque congestum fuit ab vno, liberaliter diuersis, multisque profundit, sicuti 1. Machab. 1. dicitur. De Alexandro Magno legitur, quod (si ei dum vitam agebat, non sufficiebant acquisita) quærebat Mundi euadere Monarcha; nihilominus, moriente eo, varijs familiaribus eius sua regna diuisa fuere: & quotidie experientia cernimus: nam illi, qui vix, viuentes, amore Dei, panem elargirentur, morientes omnia sua pauperibus erogare coguntur, liberalis est quo ad corpus, quia liberat eum ab omnibus suis calamitatibus, quæ continuo eum solicitant, secundum quod ait Propheta Psal. 30. *Defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus*. Et Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs*: & præcipuè ab illis sex calamitatibus quotidianis, quæ continuo eum solicitant, idest, fame, siti, frigore, calore, labore, & infirmitate: ab omnibus, inquam, istis per mortem corpus liberatur. Et quod expedit quo ad animam; quoniam, si hac in vita munus tuum adimpleberis, & Dei amicum teipsum custodisti, atque seruasti, ab anima per eamdem eijciuntur quinque calamitates, quæ ipsam molestia, atque solicitudine afficiunt; & quinque eidem munera largiuntur, quæ exhilarant, solanturque eam. Primo abijcit ex illa sodalitatem malam, qua sæpius anima affligitur, & solicitatur

Mors est liberalissima dispensatrix.

1. Machab. 1.

Psal. 30. 11.

Iob 14. 1.

Mors liberat corpus nostrum à sex calamitatibus.

Mors liberat animam a quinque calamitatibus.

licitatur (cum amici, & coniuncti hac in vita potius molestiæ causam præbeant, quam consolationis) & pro hac beatorum sodalitatē elargitur: quibus cũ sit in caritate coniunctus, nisi solatium, atque lætitiam ei præbere non potest. Secundo loco affligitur anima propter regnandi desiderium, & cupiditatem alijs supersedendi, quæ sic possunt, quòd ab anima, & pacem, & tranquillitatem auferunt, semper ipsam in labore, & angustia detinendo; & sæpius agunt, vt seipso indigna perpetret, & pro his beatitudinis diadema eidem reddit, & parat. Tertio, Homo hac in vita semper militat, semperque bellat, *Militia est vita hominis super terram*. Quarto loco, homo hac in vita semper timet amittere quid habet, & possidet; & laborat, vt ipsum conseruet. Vnde Iob aiebat. *Homo nascitur ad laborem*: e conuerso in aliam vitam mors securitatem, perpetuamque tranquillitatem reddet. Quinto loco, homo in hac vita numquam saturatur: nunc vnum optat, cras aliud vellet, secundum Psal. 41. *Abyssus abyssum inuocat*: cupiditas cupiditatem trahit, e conuerso mors hunc expellens defectum, quamdam sibi perpetuam, continuamque saturitatem tribuet, ita, quòd aliud non appetet, neque peroptabit.

Hominis vita, militia est. Iob. 7. 1. *Homo in hac vita semper timet.* Iob 5. 7. Psal. 41. 8. *Mors homini securitatē reddit.*

Et tandem quo ad quintum, & vltimum, mors solertissima est procuratrix negligentium, vt bene operentur, & agant. Viator itineri se committit, & diei iter ambulat, sed pigrè, & tarde: sero autem adueniente, hæsitans se noctu inter arua, seu inter campestria remanere, maiori, quo potest, conatu gradus accelerat, & iter. *Multiplicatæ sunt infirmitates, postea accelerauerunt*. Psal. 15. Possibile minime est (si homo, vel mulier de morte cogitat) quin ex se accidiam, vel ignauiam non abijciat, & non quærat, gestis, atque operibus præteritis perpetratis, maiora, ac validiora addere, & adimplere: immo quo magis ad mortis appropinquamus noctem, eo magis nos laborare, & solicitare debemus. Ait D. Lucas cap. 2. quod Simeoni dictum fuit, *non visurum se mortem, nisi videret Christum domini*. Circa quem locum aliqui animaduertent, qua de re non dixit, moriturum; sed potius, visurum se mortem? Et respondetur: quia aliud est mori, aliud autem videre mortem: qui viuens meditatur, & sæpius mortem recordatur, dum moriens, dicitur non mori, sed mortem videre, nam assidue dum vixit, eam præuidit; sed qui numquam de ea cogitat, dicitur vere mori; quia numquam,

Simile. *Mors est solertissima procuratrix.* Psal. 15. 4. *Mortis memoria pigritiā expellit.* Luc. 2. 26. *Differentia inter moriturum, et visurum mortem.* *Qui mortem meditatur dum moritur, dicitur visurum se mortē.*

quam, aut raro eamdem præuidit. Tu hostem habes, qui ad te interficiendum venit, si tu vigilaueris, suumque aduentum præuides, aliquo modo poteris facile etiam suas euadere manus: immo ita accingere te poteris, quòd vice plagæ, vel occisionis, tu ipse ipsum hostem vulnerare, & interficere poteris. Sed, si tu aduentum eius non præuides, & curarū expers existis, facile vulneratus, & interfectus remanes. Assidua ergo animaduersio, & contemplatio mortis quid nam facit? efficit, quòd, præuidens se moriturum, tibi persuadeas, atque te munias, quòd mors tibi obesse non valeat; & facile in bonis operibus laborabis. Quædam aues inueniuntur, quæ retibus, aut similibus instrumētis difficile capiuntur, atque illaqueantur; & hoc accidit, quia licet in terra cibum quærant, vel aliquo in loco: tamen in reliquo otio se non committunt; sed assidue circumuoluentes, & caput eleuantes vident aucupem, seu venatorem, & tunc fugam arripiunt, & auolant. Sed e conuerso alij sunt, qui otiosi contuentur terram, venatorem non aspicientes, facile in rete incidunt: quidam alij sunt, qui tam voluptatibus, & huius vitæ rebus adhærent, quòd numquam mentis oculos eleuant ad finem, tempusque mortis animaduertendum: quæ postea, veniens, omnino priuos, atque vacuos bonis operibus inuenit. E conuerso qui de hoc cogitat, semper bene agere, atque operari quærit, meritorumque cumulum efficere. Totum hoc mirabiliter Eccl. cap. 11. descripsit, cum dixit. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis.* Nos in nostra anima tres potentias habemus, memoriam, scilicet, intellectum, & voluntatem, hac ideo differentia, quòd pro memoria, quæ prima est, intellectus, & voluntas operantur, ideo D. Augustinus vocauit memoriam, intelligentiæ matrem. Hinc est, quod intellectus non intelligit, & voluntas non vult, nisi illa quæ memoriæ reponuntur, reminiscens ergo homo mortis transitum quid peragit? intellectum mouet ad intelligendum, & voluntatem ad illa volendum, quæ ad bene moriendum stimulant, & hortantur: & hæc, quia cum bonæ sint operationes, memoria ad bene operandum mouet, ergo mortis memoria, vt bene operemur, & agamus, aptissima est curatrix. Ite in pace. Amen.

Simile.

Simile.

Homines qui rebus terrenis totaliter adherēt, numquam mortem præuident.

Eccles. 11. 8.

Anima nostra tres potentias habet.

VIGESIMANONA LECTIO.

De Paſsionis Chriſti meditatione.

IN QVA TRIA EXPLANANTVR. Primum, Chriſti caritas in paſsione. Secundum, ſalutis ſecuritas. Tertium, paſsionis huius fructus ad omnes ſe extendiſſe.

Iob 1.22. In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis.

PRIMA PARS.

Medicorum dictum, & remediũ ad purgandam pituitatẽ.

MEDICI aiunt, quod propter purgandas in nobis pituitates corporeas, melius remedium, meliuſque medicamen non eſt, quam reubarbarum. Et ob purgandas in nobis ipſis pituitates ſpiritualium paſsionum, ego non credo, quod melius remedium inueniatur, quam meditari, atque contemplare continuo paſsionem, & mortem noſtri benedicti, ac patientis Chriſti. Et ideò cauſa expellendi à nobis malas cogitationes, vbi primo loco, prima penna flabelli inſeruiuit mortis meditationi, vt in præterita lectione dictum eſt: in hac ſecunda penna dicti flabelli, meditationis, paſsionis, & mortis noſtri Chriſti inſeruiet. 1.Petr. 4.1. Vnde D. Petrus in ſua prima Canonica cap.4. aiebat: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini:* tamquam diceret: Si vos curis prauis, infandiſque exuere vultis, & cupitis, munireq; voſmetipſos bonis, ſanctiſq; cogitationibus, aſsidue paſsionem Chriſti mente reuoluite. Circa quod

ea quod tres debemus animaduersiones habere. Cum prima mirabilem Christi in eius passione caritatem considerare. Cum secunda, hanc caritatem diffusam esse in nobis absque personæ acceptatione, Cum tertia admirabiles fructus, quos omnibus protulit. Prima, & secunda pro primæ partis, tertia autem pro secundæ partis materia inseruiet. Attendite. *Lectionis diuisio in tria capita.*

ET primum, quod Christi caritas in passione ea fuerit, vt quamlibet considerationem excedat, nullum dubium est; quoniam non modo omnia tormentorum genera passus est; sed (quod magis expedit) omnia lætissime sustulit: de vtroque satis iam alias pertractaui, & non opus est illud repetere. Solummodo dico, quod hoc illud est, quod aiebat D. Paulus ad Ephesios cap. 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit lassitudo, longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientia caritatem Christi.* Quo loco illud scientiæ dandi casus est, & cum supereminentem construi debet, vt sit sensus, Christi caritatem esse supereminentem omni scientiæ: hoc est omnem scientiam, & cognitionem excedere, longeque superare: Græce verò non est in gignendi casu, idest, cognitionis, siue scientiæ. Vbi nota, quòd idem est apud Græcos supereminentem cognitionis, quod apud Latinos supereminentem cognitioni. Ita hunc locum interpretatur D. Ambrosius in suis Commentarijs super epist. ad Ephes. refertque ad amorem illum, quem Christus tum in Incarnatione, tum in Pasſione demonstrauit: P*ost Dei* P*atris*, inquit, *infinitam, & incomprehensibilem cognitionem, & inenarrabilem clementiam, Christi quoque agnoscere nos vult caritatem, quia supereminens est scientia, & subintelligitur humana, & super scientiam hominum habeatur dilectio Christi. Quis enim potest colligere mysterij huius caritatis rationem, vt & Deus hominis causa homo nasceretur, & deinde moreretur pro hominibus? Numquid non caritas hæc super scientiam hominum est? Hoc ergo vult nos scire, quod sensus noster assequi non potest, nec prospicere profunditatem beneficiorum Christi erga nos.* Hæc ille. *Caritas Christi in passione omnē considerationem excedit.* Ephes. 3. *D. Ambros. comment super ep. ad Ephes.*

Hinc accidit, quod dum de seipso in crucis ara sacrificium immolabat, illud etiam lacrymis est prosequutus, volens hoc exteriori signo interius demonstrare. Vnde D. Paulus Heb. 5. ait: *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq. ad eum, qui posſit illum saluum facere à morte cum clamore valido, &* *Christus in cruce lacrymas effudit.* Heb. 5. 7.

lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Quo loco illud *in diebus carnis suæ*, in Hebræo significat illud tempus, quo Christus inter homines passibilis versabatur: sic enim clare accipitur. 2.Cor.5. *Et si cognouimus secundum carnem Christum; sed nunc iam non nouimus*, quemadmodum interpretatur D.August. 11.contra Faustum Manichæum c.7. *Carnem*, inquit, *hoc loco non ipsam corporis nostri substantiam, quam Dominus etiam post resurrectionem suam carnem appellat, dicens* Luc.24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere, sed corruptionem, mortalitatemq. carnis vult intelligi, quæ post resurrectionem non erit in nobis, sicut iam in Christo non est*. Hæc ille. Deinde aduerte quosdam, has preces, & supplicationes, de quibus loquitur Paulus, referri ad orationē Christi in horto, quod colligere se arbitrantur ex illis verbis: *Qui posset illum saluum facere à morte*: tunc enim costat Christum à Patre petijsse, à se passionis calicē transferre. Et ita sentiunt D.Ambrosius, Theodoretus, Oecumenius, & D.Thomas in Commentarijs eius loci: verum nos, quamquā propter tantorum Doctorum auctoritatē ad orationē quoque factam in horto has preces, supplicationesq. spectare credimus: tamen multo magis de oratione Christi in cruce intelligendas esse arbitramur: mouentq. nos in primis illa verba: *Et exauditus est pro reuerentia sua*, quæ non ita facile quidquid superiores auctores conentur ad orationem in horto accommodari possunt; cum Christus tunc secūdum inferiorem animæ partem petierit, vt calix passionis ab ipso, si fieri posset, transferretur: quod ei tamen non fuit à Patre concessum; tametsi secundum superiorem animæ partem, voluntatem, inquam, non vt appetitus erat naturalis, sed vt ratione consequebatur; quemadmodum docet D.Thomas, fuit exauditus, siquidem se diuinæ voluntati omnino conformabat, dicens: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Denique, quoniam cum Paulus dicit, Christum orasse cum clamore valido; id autem non in horto factum legimus, sed in cruce; par est credere Paulum multo magis ad orationem Christi in cruce, quam in horto habitum spectasse. Idque tamen confessus est D. Thomas in Commentar. super. epist. Iacobi c. 4. vbi docet Christum quater fleuisse. Primum, in infantia instar aliorum infantium: deinde cum Lazarum voluit à mortuis excitare, Ioan. 11. tertio super ciuitatem Ierosolymæ, Luc. 19. postremo,

Marginalia: 2. Cor. 5.16. — *D. Aug. 11. contra Faustum 7.* — Luc. 24. 39. — *D. Ambros. Theodoret. Oecumenius.* D. Thom. *in cōment. eius loci.* — *Oratio Christi in horto, quomodo fuit exaudita.* — *D. Thom.* — *Christus orauit cum clamore valido.* — *D. Thom. in cōment. super epi. Iacobi c. 4.* — Ioan. 11. — Luc. 19. 41.

ſtremo in cruce iuxta illud, inquit Hebræor. 5. *Cum clamore valido, & lacrymis, exauditus* verò dicitur, *pro ſua reuerentia:* ſeu, vt eſt Græce, vt exponit D. Chryſoſtomus, exauditus eſt ob eam reuerentiam, & venerationem, quam ipſe dignatus eſt: vel, vt ad noſtrum reuertamur inſtitutum, exauditum eſſe pro ſua reuerentia, hoc eſt pro ſingulari erga nos humanitate, pietate, atque caritate. Heb. 5. 7. D. Chryſoſt.

Hoc enim luculentius reperitur Roman. 5. cum dicitur: *Commendat autem caritatem ſuam Deus in nobis, quoniam cũ adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Vbi pro, commendat, Græce, non ſolum commendare ſignificat, ſed etiam nobile, & notum facere, atque illuſtrare, & quoniam nobile quiddam, atque illuſtre eſt, inimicis benefacere, merito dicitur, Deus caritatem ſuam nobilem, illuſtremque oſtendiſſe, cum pro peccatoribus, hoc eſt, pro inimicis mortuus eſt. In cuius rei figuram Moyſes Æthiopiſſam adamauit. Denique tantus fuit in homines amor Chriſti, vt omnem ſcientiam, & cognitionem noſtram ſuperet. Iccirco Ioan. Apocal. 1. dixit, loquens de Chriſti erga nos amore: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris:* qui, vt notauit Riccardus de ſancto Victore in hunc locum, non lauiſſet, niſi dilexiſſet: qua re non prius lauit, & poſtea dilexit, ſed prius dilexit, & poſtea lauit, atque adeò nos adhuc fœdos dilexit? Notandum eſt etiam, quòd poſtquam Ioannes dixit: *Et princeps regum terræ*, addit; *qui dilexit nos*, vt ex perſona diligentis dignitatem amoris, & præſtantiam intelligeremus. Qua re illa verba, *qui nos*, per anthiteſim intelligenda ſunt. Hoc ſenſu pulcher fœdos, pius impios, princeps regum terræ homunciones: eumque ſenſum habent verba illa ſponſæ Cantic. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*; ideſt, nigra ſum, eo modo ſicut tabernacula Cedar; ſed tamen ſic dilecta, reddita ſum formoſa, ſicut pelles Salomonis. Quæ expoſitio eſt Diui Bernardi ſerm. 25. in Cant. Rom. 5. 8. *Inimicis benefacere nobile, & illuſtre eſt.* Apoc. 1. 5. *Riccardus de S. Victore.* *Amoris Chriſti præſtantiam innuit Ioannes.* Cant. 1. 5. D. Bernard. ſer. 25. in Cant.

Quantum verò ad ſecundum caput, quod ſpectat ad ſecuritatem ſalutis, videtur Cant. 2. vbi ad ſe vocans columbam, ideſt, ſuos fideles, ſic ait: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quem locum plerique Hebræorum, *in circuitibus rupis*; aiuntque vocem hebræam ſignificare etiam ſphæram, & ambitum illum, qui terram cingit; Cant. 2. 14. *Hebræorum expoſitio.*

Sphæra orbis lateri Christi assimilatur. quod maximè lateri Christi cõuenit,quod vniuersi terrarum orbis omnium hominum capax est. Erit igitur sensus,sponsa mea, & in cauerna maceriæ, hoc est, eiusdem latere: Christus enim petra dicitur, videturque alludi ad illud, quod
Exod. 33. 21. Dominus respondit Moysi postulanti Exod. 33, vt faciem sibi ostenderet, inquit, *est locus apud me, & stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam*: luculentius adhuc idem apparet,si legamus cum plerisque Rabbinis hebręorum pro cauerna maceriæ,in latibulo graduum, seu in lateribus scalarum, & cum iisdem interpretemur de foraminibus, & latibulis, quæ inueniuntur in aggeribus, quibus arces, & muri ciuitatum muniuntur, vt sit sensus: Quamuis hostes te obsideant, & premant, habes tamen arcem, ad quam confugies, idest, Christum: & in ea latibula, & foramina,hoc est, vulnera,in quibus absconderis, habes etiam scalas, & gradus, quibus ad salutem, & securitatem ascendas:
Christus scalis comparatur. Christus enim scalis comparatur,per quas Angeli ascendunt, & descendunt.

Isai. 2. 10. Huc etiam videtur allusisse Isaias 2. cum dixit: *Ingredere in petram,et abscondere in fossa humo,à facie terroris* Domini.
Psal. 83. 3. Et Regius Vates Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim passer inuenit sibi domum: &*
Psal. 103. 18. *turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos*. Et Psal. 103. *Mon-*
Prou. 30. 26. *tes excelsi ceruis, petra refugium herinaceis. Montes, & prudentia numerantur* Prouerb. 30. *lepusculus, quòd ponat in*
Psal. 67. 14. *petra cubile suum*. Denique idem Regius Vates Psal. 67. *Si dormieris inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. & posteriora dorsi eius in pallore auri*. Alij habent: *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*. Alij habent, *si dormiatis in-*
Titelman. *ter duos fortes*,sic à Titelmanno explicatur, quod ad militum consuetudinem post partam victoriam alludere videtur, qui spolia belli, & captiuos sortiuntur,vt cui sors contigerit, captiuis detur, vt de eo ad voluntatem suam posit disponere, siue illum occidendo, siue carceri eum mancipando. Inquit ergo,si in tanto discrimine, & vitæ periculo constituti fueritis, quod super vos iam alea fuerit iacta ad mortem, nolite timere,quia media calamitatũ,alę columbæ,quæ velocissimæ sunt ad volandum, vobis orientur,quibus pericula fugere,& deuitare possitis.Sed aduertendũ quod dicit,*si dormiatis inter for-*

ter sortes, vt securitas illorum ostendatur, quia etiam si super illos sors mortis iacta sit; tamen confidenter dormiunt, & quiescunt, spem suam, & confidentiam in foraminibus petræ, ideſt, in Christo reponentes, ad quem vocatæ auolare possunt. *Securitas quæ in Christo reperitur.*

Clarius hoc idem in Isaia 33. declaratur illis verbis: *Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui projicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas, &c. Hic in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas eius, panis datus est eis, & aquæ eius fideles.* Quibus verbis summa securitas iusto, & indeficiens auxilium ad petram Christum confugienti promittitur. Tria enim sunt, quæ aliquam arcem inexpugnabilem reddunt,& securam. Primum, quod in loco excelso, vel aliqua altissima rupi, vbi facile non pateat accessus, sit collocata. Et sic dicitnr, quod in excelsis habitat. Secundum, quod parietes,& muri eius ex fortissimis saxis ædificati sint. Et ideò additur: *Munimenta saxorum sublimitas eius.* Tertium, quod victualibus abundet: quare dicitur: *Panis datus est ei, & aquæ eius fideles*, ideſt, indeficientes. Quæ omnia aptissime Christo conueniunt. Ipse enim altissima rupis, & petra dici poteſt, cum eius meritum, omne meritum excedat. Vnde ex Græco sic habetur: *Hic habitat in excelsa spelunca petræ fortis*, per quam speluncam, & petram, secundum Diuum Hieronymum sequentes, Christum intelligimus. In quo omnia illa tria prædicta inueniuntur. In ipso eſt meritum, quod omne meritum excellit. In ipso, & contra ipsum portæ inferi non præualent. Denique in ipso omnes gratiæ, & dona abundant, cum sit plenus gratia, & gloria. Ad hanc petram, & foramina petræ ergo iusti confugientes, à malis, & periculis omnibus proteguntur. In cuius maiorem declarationem nota, quod vbi editio vulgata habet Psal. 70. *Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu*; alij vertunt, *refugium, meum, & latibulum meum es tu*, à fugitiuis animalibus sumpta metaphora, quæ latibula, & foueas habent, vbi à venatoribus, & alijs feris persequentibus absconduntur. Columba ergo, ideſt, iustus, qui ad Christum confugit, in foraminibus huius fortissimæ petræ habitabit, in hac felicissima spelunca abscondetur,& in hoc saxorum munimento protegetur, ne vlla ei mala nocere possint.

Isa. 33. 15. — *Tria sunt, quæ aliquam arcem tutam reddunt.* — *D. Hieron.* — *Christus est spelunca, & petra.* — *Dona & gratia in Christo abundant.* — *Psal. 70. 3.* — *Iustus instar columbæ se habet.*

Christus gallinæ se comparauit. Ad hoc etiam alludere voluit, cum Christus se gallinæ comparauit, Matth. 23. *Quoties*, inquit, *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*: & hoc multiplici de causa. Nam gallina amore filiorum ægrotat; plus de pullis, quam de se, curat: eos, magis, quam se, pascit, & satiat: inuenta esca, eos vocat: pro illorum defensione hominem impugnat: pro ipsorum amore raucit, & vocem mutat: plumas deponit, & tota hispida fit; & demissis alis incedit. Denique, vt inquit Glossa in hoc loco Matth. & ad nostrum facit institutum, est circa pullos suos pijssima: nam sub alis congregat eos, & contra miluum defensat. Hæc autem omnia Christo conueniunt; nam ipse pro amore hominum non solum ægrotauit, sed mortem ipsam subijt, *& inclinato capite emisit spiritum*. Ioan. 19. plus de nobis, quam de ipso curauit, quia pro nobis *seipsum exinaniuit*. Hos pascit non solum pane materiali, sed etiam spirituali: *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum*. Inuenta esca nos vocat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Pro nostra defensione diabolum expugnauit: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. Pro amore mundi raucus factus est: *Raucæ factæ sunt fauces meæ*. In passione plumas, idest, vestimenta deposuit, *exuentes eum clamydem coccineam*. Totus hispidus factus fuit innumerabilibus flagellis percussus à Pilato, *& flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur*. Dimissis alis incessit, suæ diuinitatis potentiam abscondens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth. 11. Denique quod ad nos (vt dixi) spectat; nam ipse ad pullos suos, idest, fideles magnum affectum pietatis gerit, & sub alis protectionis suæ in vna Fide Ecclesiæ congregauit.

[Marginalia: Matt. 23. 37. 38. — *Glossa super Matth.* — *Christus pro amore hominum ægrotauit.* — Ioã. 19. 30. 31 — Philip. 2. 7. — *Christus nos pascit panibus spiritualis.* — Matt. 26. 26. & 27. — Matt. 11. 28. & 29. — *Christus pro nobis diabolum expugnauit.* — Ioan. 17. 31. & 32. — Psal. 68. 4. — Matt. 27. 28. — Matt. 11. 29.]

Hinc est, quod Ioannes Apocal. 2. vocat illum *lignum vitæ*, quia omnes, qui ad ipsum confugiunt, æterna vita securi sunt: ideò ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso* Dei mei. Vbi quamuis Ioannes hoc loco alludat ad lignum vitæ, quod erat in Paradiso terrestri; nos tamen aliud intelligimus, scilicet, quoddam lignum vitæ misticum per illud expressum. Primo igitur per lignum vitæ possumus intelligere visionem beatificam, quæ in cælesti paradiso beatis tribuitur: tanta est autem huius fructus suauitas, vt rectè, triumphante Ecclesia, dici possit illud

[Marginalia: *Christus ad suos fideles magnum affectum pietatis gerit.* — Apoc. 2. 7. — *Christus lignum vitæ.* — *Lignum vitæ est visio beatifica.*]

Cant.

Cant. 4. *Emißiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum Nardo, Nardus, & Crocus, fistula, & Cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, & cum omnibus primis vnguentis*. Quo loco emissiones significant ipsa germina, & propagines, quæ in illo cælesti paradiso nascuntur. Igitur emissiones tuæ sunt, veluti paradisus quidam malorum punicorum, quia hæc poma multa continent grana pulcherrima, sub vna, eademque corona regali: etenim omnes beati, quamuis inæqualiter, eamdem tamen gloriæ, seu visionis beatificæ coronam accipient, ita, vt illa beatorum multitudo sit veluti quidam paradisus, & amœnissimum pomarium malorũ punicorum, per Cyprum, & Nardum intelliguntur suauissimi odoris vnguenta, quæ ex huiusmodi arbusculis conficiuntur. Crocus autem flos est aurei coloris, vim habens exhilarandi cor, per quem amor beatificus, & dilectio inde prouenięns intelligitur.

Cant. 4. 13. 14.

Beatorum multitudo est veluti quidam paradisus.

Crocus vim habet exhilarandi cor.

Secundo, per lignum vitæ significatur crux Domini, vt vult Primasius, cuius fructus est Christus: quod autem crux lignum appelletur, ex multis testamenti veteris figuris est perspicuum. Primum enim hoc sensu D. Ambrosius ser. 23. & in libro de ijs, qui initiantur sacris mysterijs cap. 3. interpretatur lignum illud, quod in aquas à Moyse missum, earum amaritudinem abstulit, quemadmodum refertur Exod. 15. *Aquam*, inquit, *amaram legem esse arbitror veteris testamenti: quæ lex priusquam cruce temperaretur Domini, erat immitis*. Eadem figura vtitur Origenes homil. 8. super Ieremiam, Cyrillus Alexand. lib. 8. in Ioan. cap. 17. Et D. Hieronymus ad Fabiolam de quadragiuta duabus mansionibus, mansione quinta. Secundo, idem expressit lignum illud, in quo serpens æneus suspensus fuit, & populo ad aspiciendum propositus, Numer. 21. vt Christus ipse docuit Ioan 3. & expendit Tertullianus, vbi supra, his verbis: *Post interdictam omnis rei similitudinem, cur æneum serpentem ligno impositum pendentis habitum spectaculum Israeli salutare Moyses proposuit eo tempore, quo à serpentibus post idololatriam exterminabantur, nisi quod Dominicã crucem intendebat, qua serpens diabolus publicabatur, & læso cuique ob eiusmodi colubris, idest, Angelis eius ad Christi crucis sacramenta intento salus efficiebatur?* Hæc ille. Tertio Origenes hom. 8. super lib. Iosue expendit, quo modo Iosue præcepit suspendi regem Hai in patibulo vsque ad vesperam, Iosue 8. Quo lo-

Primas.

D. Ambros ser. 23.

Exod. 15. 23.

Origen. homil. 8 super Ierem.

Cyrill Alexan. lib. 8. in Ioan. c 17.

D. Hieron. ad Fabiolam de quadraginta mansionibus.

Num. 21. 9.

Io. 7. 14. 15.

Tertullianus.

Orig hom 8 super lib. Iosue.

Iof. 8. 29.

Septuaginta co pro patibulo, quod est hebraice, Septuaginta transtulerunt, *in ligno gemini. Quid mihi prodest*, inquit, Origenes, *si sciam, quod in gemino ligno rex Hai suspensus est: si autem sciam duplicem esse virtutem crucis, in qua & Christus in carne suspenditur, & diabolus cum suo exercitu triumphatur, ex intelligentia Sacramenti anima mea ædificabitur*. Hæc ille. Quarto, de hoc ligno etiam est sermo Ierem. 11.

Ier. 11. 19. Cum dicitur à Iudæis: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*. Quod lignum Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 10. de cruce, quæ missa fuit in panem, idest, corpus Christi, interpretatur, quemadmodum & D. Hieronymus in Commentarijs super Ieremiam, & Diuus Gregorius lib. 12. Moral. cap. 3. eumdemque locum affert Origenes homil. 8. super Ierem. ac de cruce exponit, tametsi panem non corpus Christi, sed eius doctrinam accipiat: *Quia*, inquit, *dicente Christo, voluerunt quidam scandalum ponere doctrinæ eius, crucifigentes eum, dixerunt*; Venite, *mittamus lignum in panem eius; cum enim verbo Christi, & doctrinæ coniungitur crucifixio, lignum in panem mittitur, & illi quidem insidiantes dicunt: Venite, mittamus lignum in panem eius: ego verò admirabile quoddam inferam. Lignum missum in panem eius, panem fecit meliorem; antequam enim mitteretur lignum in panem eius, quando tantummodo panis erat. Et non erat lignum, non exierat in vniuersam terram sonus eius. Postea vero quam sumpsit fortitudinem per lignum, tunc in vniuersum orbem passionis eius disseminatus est sermo. Ego quippe aio legem non intellectam, amaram aquam esse; cum autem venerit lignum Christi, & sermo* Saluatoris *in eam descenderit, tunc dulcoratur, & fit suauissimi saporis, intellecta pariter, & lecta lex Moysis, perperam etiam dicunt:* Venite, *mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium: sic eum interfecerunt, quasi nomen eius penitus eradicauerint*. Sed audi quid dicat *Christus* Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Ergo mors Christi spica frumenti facta est septuplum, & multo amplius restituens, quam fuerat seminatum*. Hæc Origenes. Addit Lyranus hoc lignum fuisse Taxum, quod in ea regione est lethiferum, & venenatum, sensumq. esse, conatos fuisse Iudæos Ieremiam prophe-

Lignum vitæ Crux Christi denotat.

Tertull. lib. aduersus Iudæos c. 10.

D. Hieron. in comment. super Ier.

D. Gregor. lib. 12. moral. cap. 3

Origen. homil. 8. super Ierem.

Lyranus.

Lignum positum in panem à Iudæis esse taxũ.

tam

tam veneno interimere, panem, quo vescebatur, taxico, seu veneno intuendo. Quod egregiè quadrat in crucem, quam veluti maledictum, & venenatum lignum, hoc est, maxime probrosum in corpus, & doctrinam Christi Iudæi mittere decreuerunt, quo nomen eius penitus abolerent: quod tamen eis minime successit, cum lignum vitæ euaserit, vt hoc loco ait Ioannes. Postremo, de cruce etiam à plerisque accipitur illud Cantic. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius; & erunt vbera tua sicut botri vineæ: & odoris tui sicut malorum.* Quæ verba Græci Patres sponsæ sponsum alloquenti tribuunt. Verum Rupertus in Cantic. Christo accomodat, hoc sensu: *Exaltabor in cruce victricem, & moriendo operabor velociter salutem omnium.* quo eodem modo interpretatus est Beda: *Apte*, inquit, *palmæ nomine victoriosissima potest crucis arbor designari. Quod autem ait sponsus, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, illi æuo congruit, quando Salomon hæc scribebat, eum se Dominus crebris prophetarum vocibus promitteret ad redemptionem generis humani in carnem venturum. Cum se ascensurum dicit, posteriores sunt gloriæ, quæ crucis sequebantur ascensum, hoc est, claritas resurrectionis, & ascensionis eius ad cælos, aduentus Spiritus sancti, & salus mundi credentis. Rectè autem subÿcitur: Et erunt vbera tua sicut botri vineæ, quia nimirum primi Ecclesiæ Doctores, idest, Apostoli, sicut botri vineæ fuerunt, idest, spiritualium charismatum gratia referti.* Hæc ille. Legendus est Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Ioan. vbi plures alias affert crucis figuras, ex quibus omnibus exploratum relinquitur, crucem Christi lignum fuisse salutare, quod vitam mortalibus attulit, atque adeò rectè lignum vitæ appellari, de cuius fructu loquitur Ioel cap. 2. cum ait: *Lignum attulit fructum suum*, idest, interpretante Hieronymo, lignum crucis affert fructum suum, & Spiritus sancti dona dulcissima, quam cunctis tribuent largitatem: immo non solum crucem Christi, sed ipsummet Christum esse lignum vitæ existimat D. Greg. lib. 12. Moral. c. 4. iuxta illud Prouerb. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam:* quem locum interpretatur de sapientia incarnata cum D. Hieronymo in 6. cap. Isaiæ. Sic etiam Eucherius lib. 1. in Genes. c. 33. lignum vitæ, quod erat in paradiso terrestri, docet typum Christi fuisse. Denique ipse Christus se lignum appellauit Luc. 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt,*

Cant. 7. 8.
Ruper. in Cant.
Beda.
Cyrill. Alexan. lib. 8 in Ioan.
Ioel 2. 22.
Hieron.
Crux veluti lignũ attulit fructum suum.
D. Greg. lib. 12, moral. c. 4.
Prou. 3. 19.
D. Hieron.
Eucher. lib. 1. in Genes. c. 33.
Luc. 23. 31.

faciunt, in arido quid fiet? Ita, quod (vt ad rem nostram redeamus) cum sit Christus sua in passione, & in cruce vere vitæ lignum: ad eum possunt omnes eius fideles recurrere, & confugere propter hoc mirabile munus, ac beneficium accipiendum, & propter æterne secum viuendi tuitionem, atque securitatem. Quiescite.

Christus in cruce est vere lignum.

SECVNDA PARS.

Passionis Christi contemplatio.

MIrabilis profecto benedicti Iesu Christi passionis contemplatio, ac meditatio est, in qua immensum, quo nos est prosequutus, amorem, & securitatem, quam nobis secum æternę viuendi largitur, inuenimus. Nunc tertium enucleandum remanet, idest, quod isti fructus passionis huius absque vlla personarum acceptatione ad cuncta vniuersi; immo ad totum ipsum vniuersum se extenderunt, atque amplificarunt. Hoc illud est, quod innuere volebat D. Ioannes in Apoc. 1. cum ait, Christum dominum nostrum veste sacerdotali indutum se vidisse: *Vidi similem filio hominis vestitum podere*. Vbi quæritur, quare Christus apparuit indutus veste sacerdotali (erat enim poderis vestis sacerdotalis) quæ vestis primo possumus amorem eius interpretari, qui talaris fuit in Christo, idest, vsque ad finem vitæ pertingens, iuxta illud Ioan. 13. *Cum dilexisset suos, qui erãt in mundo, in finem dilexit eos*: est enim talaris vestis perseuerantiæ symbolum, vt auctor est D. Greg. lib. 1. moral. cap. vlt. expendens, quod solus Ioseph inter fratres talarem tunicam habuisse perhibetur, Genes. 37. *Nudauerunt eum tunica talari, & polymita*: quia Ioseph inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse describitur. *Quid enim*, inquit, *est talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim talaris tunica talũ corporis operit, tum bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ terminum nos tegit*. Hæc ille. Eadem tunicæ talaris expositio traditur ab Eligio Nouiomensi Episcopo homil. 11. ad pœnitentes; & refertur in appendice Bibliothecæ Veterum Patrum; Vbi addit, idem significari à Christo, cum de se ait hoc ipse, *Ego sum Alpha, & Omega, idest principium, & finis*: vt nimirum non suo bono principio contenti simus; sed finem etiam bonum habere studeamus. Hæc autem eo perti-

Apoc. 1. 13.

Christus quare apparuit indutus veste sacerdotali.

Ioan. 13. 1.

D. Greg. lib. 1. moral. c. vlt.

Gen. 37. 23.

Ioseph inter fratres solus iustus perseuerauit.

Eligio Nouiomensi Episc. hom. 11. ad pœnitentes.

Homo nõ solum principium, sed finem etiã bonũ habere debet.

pertinent, vt proposito nobis ante oculos Christi cruento in cruce artificio, quod verus sacerdos in humanitate peregit, amoreque illo singulari, quo nos in finem vsque dilexit, in eius quoque nos amorem ardentius incitemur. Attamen Beda, & Riccardus de Sancto Victore naturam humanitatis in veste hac, in qua Christus semetipsum, tamquam verus sacerdos Patri pro nobis obtulit, significari existimant; & hæc vestis erat talaris, idest, vsque ad talos demissa, quia virtus passionis Christi ad infimos quoque fideles pertingit: vnde & Ezechiel. 1. Homo ille, qui in throno saphirino considebat, Christumque significabat, similitudinem electri præferebat, quod vim habet paleas attrahendi; quia Christus non solum magnates, & Principes, sed etiam infimos quosque de plebe, passionis suæ virtute seruat, & ad cælum vsque, vbi nunc est, ceu paleas electrum trahit: quod autem e cælo, hoc est, tanto interuallo, paleas in terra positas possit attrahere, electri est diuina planè ad attrahendum efficacitate præpollentis.

Beda.
Riccardus de S. Victore.
Christus obtulit se Patri, tamquã verus sacerdos.
Ezech. 1. 27.
Christus in similitudinẽ electri apparuit.
Electrum habet vim attrahendi paleas.

Immo non solum hominibus tantum eius humanitas, sed & Angelis etiam gratiam, & gloriam meruit. iuxta illud Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem volun-voluntatem tuam Deus meus*. Vbi quamquam Ambrosius, & Augustinus accipiant de initio psalmi, in quo volunt de Christo dici, *Beatus vir; qui non abijt in consilio impiorum*: tamen Tertullianus lib. contra prata, & D. Hilarius in expositione Psal. 1. de initio totius scripturæ interpretantur. vt illud in principio fit idem, quòd in fine; & simul Christi recapitulatio cæli, & terræ appellatur: quia sub illo tam angeli, quam homines per gratiam, & gloriam militant. Vnde in Apoc. 1. Vbi vocatur *primogenitus omnis creaturæ*, non esse excludendos Angelos, quin potius dicendum, Christus, vt homo, etiam esse caput omnium angelorum, gratiamque illis, & gloriam meruisse, quæ illis data sint propter eius præuisa merita. Quæ sententia est Cyrilli Alexandrini lib. 5. in Isaiam, D. Gregorij lib. 1. in libros Regum cap. 2. in illis verbis, *Non est alius extra te*. Idem habet in Ezechiel. homil. 14. Idem confirmat Laurentius Iustinianus serm. de Ascensione, & de Assumptione Virginis. Ruperti Abbatis lib. 3. de processione Spiritus sancti cap. 21. Citari solet etiam pro eadem sententia D. Bernardus serm. 17. & 21. in Cantic. Hoc idem tenet D. Thomas in Ioan. 1. super illa verba, *de plenitudine*

Psal. 39. 9.
D. Ambros.
D. August.
Psal. 1. 1.
Tertull.
D. Hilarius in exposit. Psal. 1.
Apoc. 1. 5.
Christus, vt homo est caput angelorum.
Cyrill Alexan. lib. 5. in Isaiam.
Greg. in lib. Regum c. 2. & in Ezech. homil. 14
Laurentius Iustinianus ser. de Ascens. & de Assumpt. Virg.
Ruper Abb. lib. 3. de procesf. Spi

eius

ritus sanct. c. 11. D. Bern ser. 17. & 22. in Cant. D Tho. in Ioã. 1. & 3 par 8 art. *Ecclesia constat ex Angelis, et hominibus.* Ephes. 1. 10. *Omnia sub Christo restaurata sunt.* Ephes. 1. 32.

eius omnes accepimus. & 3. par. q. 8. art. 3. & 4. absolute dicit Christum influere gratiam in omnia membra Ecclesiæ, & statim docet hanc Ecclesiam, cuius Christus est caput, & in quam influit, constare ex hominibus, & Angelis: quam sententiam nonnulli alij amplexi sint, quos breuitatis gratia prætermitto. Quod quidem confirmatur Pauli testimonio ad Ephes. 1. vbi dicit, *instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt in ipso*: quo loco Græcè pro *instaurare*, est capitulare: quia sub vno Christo omnia quodam modo effecta sunt. Denique confirmatur hæc sententia ex eodem cap. ad Ephes. 1. vbi dicitur de Christo, *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam*, idest, ex hominibus, & Angelis constantem, vt interpretantur D. Hieronymus, & August. Enchirid. cap. 56. & ad Coloss. 2. *qui est caput omnis principatus, & potestatis*, Id, quod etiam affirmant D. Aug. conc. 5. & in Psal. 36. D. Hilarius in Psal. 139. Cum igitur capitis sit influere in membra, Christusque sit caput præstantissimum, debuit sane perfectissimo modo influere in Angelos, gratiam, videlicet, & gloriam illis impertiendo.

D. Hieronym. Diuus August. Enchirid c. 56. Coloss. 2. 10. D. Aug conc. 5. & in Psal. 36. D. Hilarius in Psal. 139.

Christus luci quare assimilatur. Ioan. 8. 15.

Hinc est, quòd idem Christus seipsum luci assimilauit Ioan. 15. dicens. *Ego sum lux mundi*; Primo ratione ortus, quia lux in ortu est altissima, quia oritur in cælo à Sole, & stellis: vnde Eccles. 24. *Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens*: nam, sicut calor est qualitas actiua, consequens formam substantialem ignis; ita lux est qualitas actiua, consequens formam substantialem solis, vel cuiuscumque alterius corporis à se lucentis, si aliquid tale est. Sic Christus genitus est de substantia altissimi Dei Patris; vnde Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui*: & sicut lux est coæterna, & coæua soli; quia quam cito fuit sol, fuit eius lux. Ita, quod si sol fuisset ab æterno, fuisset etiam lux. Ita filius est coæternus patri; vnde Athanasius Symbol. *Aeternus Pater, aeternus Filius*. Secundo assimilatur luci, quia lux est velocissima in motu, nam sole apparente in puncto Orientis fit illuminatio totius hemisperij nostri, vsque ad punctum oppositum: hoc autem competit Christo, per quem omnia creata sunt: creatio enim est productio instantanea. Vnde, sicut à luce in instanti fit aeris illuminatio: ita a filio Dei est in instanti facta rei creatæ productio. Vnde Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. Tertio assimilatur luci, quia lux est speciosissima in aspectu: immo sine luce nihil apparet

Eccl. 24. 6. *Calor est qualitas actiua consequens formam substantialem.* Eccl. 24. 5. *Christus genitus est de substantia Dei Patris.* Athan. in symb. *Omnia per Christũ creata sunt.* Ioan. 1. 9.

apparet plenum. Vnde Ambrosius inquit, quòd lux est plenitudo omnis creaturæ visibilis, cuius est maxima gratia, quòd in suo conspectu omnia mundi corpora laudibus facit digna, sic etiam filius Dei, de quo dicitur Sapien. 7. *Speciosior est sole, & super omnem stellarum dispositionem est pulchritudo, & ornamentum omnis creaturæ,* non tantum visibilis, sed etiam inuisibilis; sic etiam Christus habet pulchritudinem substantiuam, causatiuam, & excessiuam, vt auctor est Dionysius cap. 4. de diuin. nomin. Primo filius Dei non habet pulchritudinem accidentalem, sed substantialem, & essentialem; nam pulchritudo eius non est ab extrinseco causata, sed ab intrinseco ex essentia Dei: ideo non solùm pulchrum, sed pulchritudinem ipsum dicimus. Secundo habet pulchritudinem excessiuam, quia verbum Dei dicitur pulchrum, pulcherrimum, & super pulchrum, vt ait D. Dionysius. quia in omnibus eius pulchritudo excedit omnem pulchritudinem in veritate, quia non est ficta, & artificiata, sed vera. In perpetuitate, quia numquam deficit. In vniformitate, quia non augetur, nec diminuitur. In totalitate, siue vniuersalitate, quia in omnibus pulcher. Tertio, pulchritudo eius est pulchritudo causatiua omnis pulchritudinis efficienter, exemplariter, & finaliter. Quarto principaliter, & postremo, & ad nostrum faciens institutum, Christus assimilatur luci ex eo quod lux est efficacissima in effectu. Vnde idem Dionysius ait, quòd lux omnibus corporibus cognitionem confert, & vitam, & motum; qui effectus Christo veraciter aptatur, quia non solum per ipsum Deus creauit omnia, vt dicitur Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*; *in principio*, idest, in Verbo, non tamquam instrumento, sed in quantum filius accepit à Patre, vt sit causa omnium factorum, auctore Augustino. Secundo, quia lux est errantium, seu deuiantium directiua: & Christus est dux, & director, quem seqnentes errare nequeunt. Vnde Ioan. 8. *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris*. Tertio, lux est oculorum manifestatiua: hoc autem Christus faciet in vltimo iudicio, quando, vt ait Paulus. 1. Cor. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quarto postremo, quia lux est sui luminis omnibus cõmunicatiua: ita Christus lumen gratiæ, & misericordiæ omnibus tam Angelis, quàm hominibus communicauit; vnde Paulus Coloss. 1. *Complacuit omne in plenitudinem inbabitare, & per eum recon-*

D. Ambros.

Christus speciosior.

Sap. 7. 29.

Christus est pulcritudo, & ornamentum omnis creaturæ.

Dionys. de diuinis nomin. c. 4.

Christus non solum pulcher, sed pulcritudo dicitur.

D. Dionys.

Christi pulcritudo est causatiua omnis pulcritudinis.

Simile.

Dionys.

Genes. 1. 1.

Pater quomodo per filium creat.

Ioan. 8. 12.

1. Cor. 4. 5.

Lux est sui luminis omnibus communicatiua.

Coloss. 1. 19.

reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt, vt supra dictũ est.

Christus dicitur Redemptor Angelorum. *D. Bernar. ser. 17. & 22. in Cãtic.* *Theodoret.* Hebr. 2. *Dionys. Areopa. 8. de diuin nominib.*

Ex quo colligitur Christum posse dici proprie redemptorem Angelorum, redemptione tamen alterius rationis, quam nostra sit, hoc est, per præseruationem: sic enim loqui audet D. Bernardus serm. 17. & 22. in Cantic. & Theodoretus dicit, Christum mortuum fuisse pro omnibus creaturis. Et illis verbis Pauli Hebr. 2. *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Vbi Græce est *pro vniuerso*, quemadmodum redemptionis, etiam offert Dionysius Areopag. 8. de diuin. nomin. his verbis. *Iccirco enim redemptionem illam* Theologi *nominant, ex eo, quod non finit, quæ vera sunt, ad id credere, vt non sint*. Hæc ille. Et id colligitur ex Psal. 143. etiam; vbi rex Dauid dicit se redemptum de gladio gigantis Goliæ, sub quo numquam fuit: sed quia fuit præseruatus diuino beneficio, redemptum se appellat, cum ait: *Qui redemisti Dauid seruum tuum; de gladio maligno eripe me*, sic enim hunc locum nonnulli disponunt, & interpretantur.

Psal. 143. 10. 11. *Redempt o est etiam præseruatio.*

Passionem Christi tripliciter meditari contingit. Psal. 136.

Ex dictis colligitur, cum passionem Christi tripliciter meditari contingat, & quo ad caritatem, & quo ad securitatem, & tandem quo ad vniuersalitatem aptissimam esse ad expellendum à nobis pessimas cogitationes. Ad quod allusisse videtur Regius Vates Psal. 136. cum dixit. *Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos* (sic enim legendum est, non suos) *ad petram*. In quem locum D. Hieronymus, *Paruuli*, inquit, *dicuntur cogitationes, ac si diceret: Vidi mulierem, concupiui eam; nisi statim abscidero concupiscentiam illam, & allisero ad petram, dum parua est concupiscentia, non potest postea abscindi quando creuerit. Beatus ergo qui statim abscindit, & allidit ad petram, hoc est Christum*; Cui expositioni concinit D. Augustinus in commentarijs eius loci, *Qui sunt paruuli* Babylonis? *Nascentes malæ cupiditates. Ne igitur cupiditas, neque praua consuetudinis robur accipiat, cum paruula est, allide illam; sed times, ne allisa non moriatur; ad petram allide, quæ est Christus*.

D. Hieron. *Cogitationes quare paruulis assimilantur.* *D. August.*

Cant. 2. 15. *Cogitationes quasi paruulæ vulpeculæ sunt.*

Eamdem ob causam in Cant. 2. Iubetur capi vulpes paruulæ, quæ demoliuntur vineas. Dum enim paruulæ sunt malæ cogitationes, & istæ quasi fraudolentes vulpeculæ, facile capi possunt. At si adoleuerint, venatorum manus effugient, & maximum vineis detrimentum afferent. Verissimum enim est illud,

illud, quod dicitur Eccles. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Quo testimonio ad idem confirmandum vtitur D. Gregorius lib. 1. moral. cap. 14. *Dum*, inquit, *lingua otiosa verba moderari negligit, audax ad noxia prarumpit; & cum mens subigere delectatione carnis renuit, plerumque ad perfidia voraginem ruit*. *Vnde* Paulus 1. Cor. 10. *vt imminentia mala compesceret, dixit: Neque idololatra efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere: esus enim, potusque ad lusum impellit, ad idololatriam traxit. Vbi cernis ex prauis initijs idololatriã producere: Et propterea dixisse* Paulũ, *ne idololatra efficiamini, videlicet, negligendo peccata minora*. Hæc illæ. Vnde Isid. *Cum te titillet cogitatio, cum tibi aliquid suggerit illicitum, non ibi teneas animũ, calca serpentis caput, calca praua cogitationis initium*. Hæc ille. Quod quidem, vt cõmode tibi eueniat, sume petram, idest, passionem Christi, ipsam meditando, & sic huius serpentis cõmode caput elides.

Eccl 19.1. *D Greg. lib. 10. moral.* 1.Cor. 10.7. *Isidorus*. *Christi petra serpentis caput cõteritur*.

Præterea nota plura in hac materia valde vtilia, ac necessaria. Primo, quòd malæ cogitationes præparant locum diabolo, nam quando aliquis magnus dominus vult hospitium habere in aliqua domo, præmittit nuncium ad præparandum sibi hospitium, & vbi recipitur, ibi descendit. sic diabolus præmittit malas cogitationes, vt ei præparent hospitium: & vbi recipiuntur, ibi declinat, dicens. *Qui recipit vos, me recipit, & qui vos spernit, me spernit*. Nota secundo, paruuli latrunculi per paruum foramen domus intrantes aperiunt domum magnis latronibus: sic vanę, & inutiles cogitationes pro sui frequentiam aperiunt domum conscientiæ magnis peccatis per consensum mentis, & captiuam ducunt animam spoliatam gratuitis. Vnde 4. Reg. 5. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerunt de terra Israel puellam paruulam. Hinc est, quod nostræ cogitationes assimilantur capillis. Vnde Luc. 21. *Capillus da capite uestro non præteribit*, idest, nulla bona cogitatio mentis sine retributione transibit. Primo, quia capilli sunt capitis ornamentum, capilli, quasi capitis pili (auctore Isidoro;) Igitur sicut capilli ornant caput, sic cogitationes bonæ ornant mentem. Et Gregor. lib. 20. moral. ait; *quòd ante Dei oculos uacua non transuolant cogitationes nostræ; & nullo momento temporis per animum transeunt sine statu retributionis*, Hæc ille. Secundo, quia sicut capilli sunt cerebri defensiui, nam iuuant caput, & cere-

Simile. *Cogitationes malæ preparant locum diabolo*. Matt. 10.40. *Simile*. *Cogitationes vana domũ conscientia aperiũt*. 4.Reg. 5.2. *Cogitationes assimilantur capillis*. Luc. 21.18. *Isidor*. *Greg lib. 10. moral*.

& cerebrum contrà extrinsecas læsiones; ideo sunt multi, & duri: capillus enim secundum Const. ex fumo grosso, & calido nascitur, qui ex igneis, & internis humoribus per capitis poros egreditur, & ab aere extrinseco induratur; & sic in substantiam capillorum conuertitur. Vnde hoc humore crescente, capilli crescunt, & etiam deficiente euanescunt, & secundum qualitatem talis fumi est capillus. Igitur, si fumus est multus, capilli sunt multi; si paucus, pauci; si niger, nigri, & sic de alijs. Sicut ergo capilli sunt ad defensionem cerebri: ita cogitationes bonæ sunt ad defensionem animi. Igitur vbi sunt, feruente ipso, animo cogitationes bonæ, non ingrediuntur in ipsum cogitationes prauæ. Vnde Cassiodor. collat. 1. *Incipiamus bonas cogitationes eligere, & statim ab illis, quæ mala sunt dignabitur nos Dominus liberare.* Hæc ille. Tertio, (& facit ad nos) capilli sunt multipliciter passiui; nam aliquando inciduntur, aliquando discriminantur, & aliquando funditus euelluntur. Primo, capilli crebro inciduntur: vnde in viris cæsaries capillorum dicitur à cedendo. Sic nostræ cogitationes, cum superfluunt, sunt memoria passionis Christi præcidendo. Vnde Greg. lib. 5. Moral. Magno studio superfluæ cogitationes amputandæ sunt; sed quia de nouo resurgunt, de nouo, & crebro amputari debent. Vnde Ps. 118. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Aliquando capilli discriminantur: sic cogitationes nostræ sunt examinandæ, idest, diligenter discernendæ, & componendæ: & hoc fit quando homo ad mentem suam per rationis initium redit: quia (sicut dicit idem Gregorius) S*i à domo mentis ad momentum ratio descendat, quasi absente domina, cogitationum se clamor, velut garrula ancillarum turba multiplicat. Vt autem ratio ad mentem redierit, mox confusio tumultuosa conquiescit, & quasi ancillæ se ad incœptum opus tacite comprimunt, dum cogitationes protinus curis ad vtilitatem subducuntur.* Hæc ille. Aliquando denique capilli funditus euelluntur. Sic nostræ cogitationes, quando sunt prauæ, & noxiæ, tunc à radice sunt euellendæ. Vnde Isaias 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum:* & Hieronymus in epist. ad Demetriadem ait: *Est tutissimum, atque perfectum, vt animus assuescat, soliciti semper, & peruigili cura, ac custodia discernere cogitationes suas: & ad primum animi motum probare, vel improbare quod cogitat, vt vel bonas cogitationes alat, vel statim malas extinguat. Hic namque fons est boni, & ori-*

Const.
Quo modo capilli generantur.
Ad defensionem animi cogitationes sunt,
Cassiod. coll. 1.
Capilli sūt multipliciter passiui.
Capilli quare crebro inciduntur.
Greg lib. 5. Mor.
Psal. 118. 39.
Capilli quare discriminantur.
D. Gregor.
Capilli quare funditus expelluntur.
Isa. 1. 16.
Cogitationes praua funditus debent euelli.
D. Hieron. in epist. ad Demetriadem:

& origo peccandi. Ibi maxime oportet obseruare peccatum vbi nasci solet; statimq. ad primam tentationis faciem, & malum antequam crescat restringere, dum adhuc est in cogitatione. Hæc ille. Augustinus in Psal. 48. super illa verba: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me,* sic habet: *Ergo vitet iniquitatem calcanei sui homo. In calcaneo quisque labitur, intendat caritas vestra, à* Deo *quid dictum sit serpenti, ipsa tuum obseruabit caput, & tu eius insidiaberis calcaneo. Diabolus calcaneum tuum obseruat quando laberis, vt deijciat te, ille obseruat calcaneum tuum: tu obserua caput illius; caput illius est initium malæ suggestionis illius, quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequetur consensio; & tunc vitabis caput eius, & non apprehendet illa calcaneum tuum. Dixit autem hoc Deus Euæ, quia per carnem labitur homo: Eua nobis interior caro nostra est.* Hæc ille. Quod quidem totum perficitur, si mens nostra ad petram, idest, ad Christum in Passione dirigitur. *D. August. in Psal. 48.* *Mens nostra si ad Christi passionem dirigitur totum perficit.*

Ad quod illustre opus reuocat nos Isaias 51. illis verbis: *Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* Quasi dicat, inquit Hieronymus, considerate, quod cum Abraham vnius & centum esset annorum, & sterilem haberet vxorem, multiplicauerim filios eius, quasi stellas cæli, ita, vt numerum vinceret multitudo. Si ergo de vno homine tanta populorum nata sunt millia, quid mihi grande, & instaurem ruinas Sion, & deserta eius mutem in paradiso voluptatis? Vbi Septuaginta Interpretum translatio, qui ad Christum more suo respicientes, ita locum reddiderunt: *Aspice ad solidam petram quam excidistis, & foueam laci, quem fodistis.* Intellexerunt profecto Septuaginta Interpretes Isaiam ad Christum potissimum spectasse, atque ad Iudæos sermonem direxisse, monuisseq. vt Christum solidam petram etiam mentis conuerterent; quem ipsi nimirum contumelijs, atque tormentis dolauerunt, atque oculos in foueam illam laci, hoc est, in Christi latus in cruce lancea confossum, & apertum intenderent. Eoque dumtaxat salutem suam contineri arbitrentur. Nota, quod pro, *& in cauernam laci, de qua præcisi estis,* est Hebraice (vt transfert Pagninus) *ad perfectionem cisternæ, vnde erecti estis,* quod clarius lateris Christi apertionem sonat. Alij vertunt ad perfectionem putei: id enim quoque vox hebræa significat, quod etiam in latus Christi mirifice quadrat, quod est *Isai. 51.1.* *D. Hieron.* *Deus multiplicauit Abraham successione quasi stellas cæli.* Septuaginta. *Pagninus.* *Lateris Christi apertionis vaticinium.*

Latus Christi puteus omnium bonorum. omnium bonorum, & aquarum viuentium puteus inexhaustus, ex quo possunt vniuersi aquam sibi haurire omnium gratiarum.

Cant. 1.13. Ad hoc etiam sponsa Cantic. 1. nos adhortabatur cum dicebat: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, Et quidem, quod hic sponsa de Domini passione loquatur, nulli dubium accidit: ita aiunt omnes; & ideò myrrhæ comparat eam, sicuti amarissimum quiddam. Ait igitur sponsa, quod fasciculus huius myrrhæ fieri debet, assidueque in pectore eam portare: immo in Hebræo significat sacculum alligatum, myrrhaque plenum, vt pore illa, vt pectus calefiat, ordinariè ferri solent: idest, quod continuo à nobis Christi passio meditari, contemplarique debet, & hoc ob varias rationes. Primo, quia etsi Christo amarissima myrrha fuit: nobis tamen dulcissima, & suauissima extat; nam per hanc diuinæ clementiæ, ac misericordiæ palatium detegimus, ac aperuimus. Vnde Psalm. ad hoc alludens ait: *Et copiosa apud eum redemptio*. Et iure: sicuti enim amara à nutrice comesta in dulcissimum lac vertuntur; ita Christi passio sibi fuit amara, dulcissimaque nobis. Myrrha gustui amara est, odoratui autem gratissima; Christus myrrham comedit, & ideò ei amara fuit: nos verò fide, ac meditatione eam tantummodo odoramus, & propterea dulcissima euadit, atque contingit; ideò iure D. Paulus aiebat cap. 12. ad Hebr. *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes*. Secundo, quia hæc myrrha sua amaritudine minus amaras nobis pœnas videri facit, atque huius vitæ amaritudines: nam amarissimas Christi pœnas recogitans, menteque voluens, nostræ sunt æque dulces, atque suaues. Vnde Propheta aiebat Psal. 41. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*, idest, amarissimæ tuæ pœnæ in me ipsum perfixæ sunt, suæque amaritudinis memoria meas pœnas molliunt, atque mitigant. Legitur, quod dum quidam Religiosus Nouitius, à Religionis duritate perterritus, habitum relinquere cogitabat, crucifixum Christum ei apparuit, dicens: Durum panem, quem comedis in meum latus repone, & eum recentissimum euasurum videbis.

Passio Christi myrrha comparatur.

Passio Christi debet a nobis cõtinuo meditari.

Passio Christi licet sibi amarissima nobis tamẽ dulcissima fuit.

Simile.

Hebr. 12.3.

Psal. 41.8.

Exempl.

Simile. Tertio, Discipulus, vt bene lectionem ediscat, atque sciat sæpe sæpius illam repetit. Liber, vbi nos studere debemus,

Christus.

Christus est crucifixus. Et ideò, sicuti studentes Aristoteli, Aristotelici vocantur: sic Christo studens, Christianus appellatur. Hunc igitur continuo meditari, ac contemplare debemus. Qua propter D. Paulus 1. Cor. 2. dicebat: *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Ego quidem illi libro studeo, cui Christianus studere debet, & Christus est crucifixus. Quarto. per ignota loca transiens, atque periculis affecta, duce indiget, atque baculo, vt bene pedes regat, neque titubet. Dux noster Christus est, crux baculum; si nos mortis transitum perficere sane volumus nobis tam ignotum, atque periculosum, hoc baculo indigemus. Et ideò aiebat Psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Et (vt his finem imponam) quo ad quintam, & postremam rationem, & ad rem nostram faciens, qui in campo certaminis, seu castris stat bellans, ad vexillum semper aspicit; ducisque signum. Dux noster Christus est, Dominus noster: mentis oculo ad hunc semper aspicere, & erga istud signum nostras cogitationes dirigere debemus: & sic à nobis omnem aliam noxiam; infandamq. curam expellemus. Amen.

Passio Christi est liber vbi nos studere debemus.

1. Cor. 2. 2.

Simile.

Passio Christi est baculum quo nos dirigimur.

Psal. 22. 4.

Simile.

Homo debet semper oculos ad Christi passionē dirigere, tamquam ad vexillum.

* * *

TRIGESIMA LECTIO.

De futuri Iudicij memoria.

IN QVA TRIA EXPLANANTVR: Primum, iudicium certè futurum fore. Secundum, Christum in maiestate venturum. Tertium, iudicij seueritas.

PRIMA PARS.

QVamquam (vt in duabus præteritis lectionibus intellexistis) duæ primæ pennæ nostri flabelli, vna, scilicet, mortis contemplatio, & altera Christi Domini nostri Passionis memoria, sunt, atque semper erunt aptissimæ ad importunas noxiarum, prauarumq. curarum muscas expellendas: nihilominus tertia cum reliquis duabus vltimis etiam prodest, immò pro hoc opere necessaria est, & vna ad hoc officio fungendum: & de ceteris tribus, quæ supersunt, in his sequentibus lectionibus sermonem faciemus. Hodie igitur tantum tertiam labijs attingens, dico, memoriam finalis, ac futuri iudicij ad terrenas, ac sensuales cogitationes reijciendas maxime iuuare; quod ideò Sap. 1. aiebat: *In cogitationibus enim impij interrogatio erit*. Scitote, inquit Sapiens, quod in iudicij die non solũ de operationibus, quas nos perpetrauerimus, & de verbis, quæ locuti fuerimus, conscientia nostra interrogabitur, & examinabitur: sed etiam circa curas, & cogitationes, quas habuimus, & quibus vbi fumus, minutissime perquiretur, ac diligentissime peruestigabitur,

Sapient. 1.9.

In die iudicij nõ solum de operationibus sed etiã de cogitationibus rationẽ reddituri sumus.

bitur, ac discutietur: hoc autem in iudicij die fiet. Ad hoc ergo memoriam dirigere, & continuo meditari horam, diemq. eius debemus, vt noxias fugiamus, ac saluberrimas cogitationes amplectamur, & affectus. Et ad id peragendum, atque adimplendum tria contemplare nobis necessaria sunt. Primum, scilicet, quòd hoc iudicium, & hoc vniuersale examen proculdubio perfici debet. Secundum, quòd vbi in primo Aduentu hic Christus humilis, abiectusq. venit: in secundum regali cum maiestate egredietur. Tertium, hæc maiestas contrarios operabitur effectus; & vbi electis gaudium, ac solatium, reprobis dolorem, angustias, extremumq. horrorem afferet. Deque omnibus his tribus in præsenti lectione loquemur. Attendite.

Iudicij diem meditari debemus.

Lectionis diuisio in tria capita.

Maiestas Christi in iudicio contrarios operabitur effectus.

ET primum, quòd vniuersale iudicium conficiendum sit, nulli quidem dubium est; nam & quo ad rationes, & quo ad auctoritates libri pleni patent; nec concionator est, nec orator, qui de eo non discutiat, atque peragat. Hac in eadem materia doctissimus, & pariter præclarissimus D. Thomas q.88. ar.1. par.3. egregie probat: primo quo ad auctoritates in D. Matth. 12. dicitur: *Viri Niniuitæ resurgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Ergo post vniuersalem resurrectionem iudicium fiet. Et in D. Ioan. 5. *Procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Igitur post resurrectionem iudicium fieri debet. Et quo ad rationes, Primum, quod sicut operatio pertinet ad rerum principium, quo producuntur in esse: ita iudicium pertinet ad terminum, quo res ad finem suum perducitur. Distinguitur autem duplex Dei operatio: vna, quæ res primitus in esse perduxit, instituens naturam, & distinguens ea, quæ ad completionem pertinent: à quo quidem opere Deus dicitur quieuisse Gen. 2. Alia eius operatio est, qua operatur id gubernatione creaturarum: de qua Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Ita etiam duplex eius iudicium distinguitur: ordine tamen conuerso: vnum, quod respondet operationi gubernationis, quæ sine iudicio esse non potest; per quod quidem iudicium vnusquisque singulariter pro suis operibus iudicatur; non solum quod tibi competit, sed quod competit gubernationi vniuersi: vnde differtur vnius præmiatio pro vtilitate aliorum, vt patet Hebr. 11. pœnæ vnius ad pro-

D. Thom. q 88. art. 1 p. 3.

Matt. 12.41.

Ioan. 5. 29.

Iudicij dies probatur.

Genes. 2.2.

Ioan. 5.

Duplex iudiciũ fiet.

Hebr. 11.

Pœna vnius ad profectum alterius erunt? fectum alterius procedunt; vnde necesse est, vt sit aliud iudicium vniuersale correspondens ex aduerso potentiæ rerum productioni in esse, vt, videlicet, sicut tunc omnia præcesserunt immediate à Deo; ita tunc vltima completio mundo detur, vnoquoque accipiente finaliter, quod sibi competit: vnde in illo iudicio apparebit manifeste diuina iustitia quantum ad omnia, quæ nunc ex hoc occultata sunt, quod interdum de vno disponitur ad vtilitatem aliorum, aliter quam manifeste opera exigere videantur. Vnde etiam, & tunc erit vniuersalis separatio bonorum à malis, quia vlterius non erit locus, vt mali pro bonis, vel boni pro malis proficiant. Propter quem profectum iterum commixti inueniantur boni malis, quo ad vsque status huius vitæ per diuinam prouidentiam gubernetur. Hæc D. Thomas. Et in responsione primi argumenti eiusdem quæst. ait. Quilibet homo est singularis quædam persona, & est pars totius generis humani; vnde, & duplex iudicium ei debetur: vnum singulare, quod de eo fiet post mortem quando recipiet, iuxta ea, quæ in corpore gessit, quamuis non totaliter, quia non quo ad corpus, sed quo ad animam tantum. Aliud iudicium debet esse de eo secundum quod est pars totius humani generis; sicut aliquis iudicari dicitur secundum humanam iustitiam, quando etiam iudicium datur de communitate, cuius ipse est pars. Vnde, & tunc, quando fiet vniuersale iudicium totius humani generis per vniuersalem separationem bonorum à malis, etiam quilibet per consequens iudicabitur; nec tamen Deus iudicabit bis id ipsum, quia non duas pœnas pro vno peccato infert; sed pœna, quæ ante iudicium complete inflicta non fuerat; in vltimo iudicio complebitur, post quam impij cruciabuntur quo ad corpus, & animam similiter. Hæc ille. Vbi expresse cernitur vniuersalis iudicij necessitas. Ceteras autem actoritates, & rationes omitto; nam, vt dixi, hac in materia omnes fere eas afferunt.

Diuina iustitia manifesta apparebit in die iudicij

In die iudicij erit separatio bonorum, & malorum.

Homo est singularis persona, & pars totius vniuersi.

Iudicium duplex hominis.

Iudicij vniuersalis necessitas.

Sed præterea satis curiosum, pulchrumque vnum notate, idest, quod Christi Domini nostri necessario duo erunt aduentus, duoque ad mundum accessus, secundum id, quod in Apocal. 1. dicitur: ***Qui est, & qui erat, & venturus est.*** In quibus verbis Apostolus significare vult secundum Christi aduentum, qui futurus est in maiestate; propterea additur *omnipotens.* Duplicem enim Messiæ aduentum sacræ Scripturæ memorant. Alterum in humilitate ad redimendum: in maie-

Apoc. 1. 4.

Christi secundus aduentus.

maiestate alterum ad iudicandum. De priore loquitur Zachar. cap. 9. cum ait: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem; ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* De posteriori verò Daniel 7. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit.* Quibus duobus locis præmisse valde confitentur Talmudistæ in lib. Sanedrin: vtrumque aduentum simul complexus est Regius Vates Psal. 95. cum dixit: *Exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.* Quem duplicem aduentum, quia iuniores Hebræi non distinguunt, & amentiæ prolapsi sunt, vt duos Messias confingerent, vnum filium Ioseph, occidendum, & resurrecturum: alterum filium Dauid orbis terrarum dominatorem cum maiestate venturum, occasionem sui erroris accipientes ex eo, quod Rabbini veteres vnum, & eumdem Messiam filium Ioseph propter primum aduentum; & filium Dauid propter secundum allegorice tradiderunt, non quod geminum Messiam inueherent: qua de re legendi sunt inter alios Adrianus Finus lib. 5. flagelli contra Iudæos cap. 1. & sequentibus, & Galatinus noster lib. 4. de arcanis cap. 1. & 2. Quod autem duplicis huius Messię aduentus ignoratio, radix fuerit Iudaicæ cœcitatis notauerunt Diuus Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 56. Tertullianus in Apologetico aduersus gentes cap. 21. Origenes libro 1. contra Celsum, D. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, & Rabbi Samuel Marochianus lib. de aduentu Messiæ cap. 9. 10. & 11. & refertur tom. 5. Bibliothecæ veterum Patrum.

Zach. 9. 9.
Dan. 7. 13.
Talmudista compelluntur à veritate.
Psal. 95. 12.
Talmudistarum error.
Rabbini veteres allegorice loquentes.
Adrianus Finus lib. 5 flagelli cõtra Iudæos c. 1.
Galatinus lib. 4. de arc. c. 1. & 2.
D. Irenæus.
Tertullian.
Origenes.
D. Cyprian.
Rabbi Samuel Maroch. lib. de aduentu Messiæ cap 9. 10 & 11.

Quo ad secundum patet, quod vbi in primo aduentu humilis, abiectusque venit, in secundo cum maiestate, regaliq. magnitudine veniet. Hinc est, quod Apoc. 4. comparauit, & assimilauit hunc Messiæ aduentum in secundo aduentu cælesti arcu, dicens: *Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.* In quo loco, licet Ioachinus existimet iridem hunc Spiritus sancti significari personam, sicuti paulo ante in iaspide patrem, in sardio filium intellexit. Rationem similitudinis eam affert, quia, sicut iris triplicem colorem refert, viridem, cæruleum, & rubicundum: ita Spiritus sanctus primum homini confert gratiam, vt credat, deinde operari valeat, postremo, vt caritati sit perfectus. Quam ob

Apoc. 4. 3.
Ioachinus.
Iris Spiritus sancti persona symbolum.

Spiritus sanctus quot modis apparuit. causam ait, Spiritum sanctum primum in specie columbæ, deinde per insufflationem, denique in igne fuisse concessum. Quod verò iris in circuitu sedis sit, illud significat Ecclesiam vndequaque Spiritus sancti præsidio muniri, iuxta illud Psal. 124. *Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui*. Secundo, licet Beda per iridem sanctos intelligat, qui in circuitu throni sunt, quia Ecclesiam vndique sua intercessione defendunt: est enim iris pacis symbolum, quæ propterea similis smaragdo dicitur; quia sancti quo magis viriditatē futuræ gloriæ expectant, eo magis ad ceteros protegendos animantur. Tertio, licet per iridem Verbi Incarnationem plerique intelligant, quæ visioni smaragdinæ similis dicitur; quia in Incarnatione potissimum Dei misericordia elucet, & spes omnis nostra posita est; rationem similitudinis eam affert Ansbertus, quia quemadmodum arcus cælestis diuini fœderis pignus, tunc apparet, cum radijs Solis vmbrifera fuerit nubes illustrata. Ita cum Patris Verbum, quod *candor est enim lucis æternæ*, vt dicitur Sap. 7. Sol iustitiæ humanā suscipiendo naturam, irradiauit ipsa humanitatis susceptio, reconciliatio facta est mundi; quod disertis verbis cecinit Isaias 19. cum dicit: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.*, vbi quamquam plerique pro nube beatam Virginem interpretentur: tamen pro nube humanitatem Christi intellexerunt D. August. homil. 24. in Ioan. Eusebius Cæsariensis lib. 1. demonstr. Euang. cap. 4. & lib. 8. cap. 5. & lib. 9. cap. 2. D. Chrys. homil. 2. ex varijs in Matt. Cyrillus Alexand. & Procopius in Comment. super Isaiam. Quarto, licet per iridem diuinam misericordiam alij exponant, cum iris fœderis, & clementiæ symbolum sit, qua vndique Dei thronus ambitur, quia vbique, & omnibus eam præstat. Ratio verò huius similitudinis duplex potissimum afferri potest. Vna, quia sicut iris variorum colorum, eorumque pulcherrimorum speciem refert: ita Dei misericordia multiplex est, eaque pulcherrima, cæruleum colorem licet agnoscere in fide, quæ tota cælestis est; in spe viridem, in caritate rubicundum, inter medios, in reliquis donis gratiarum, quæ Deus iustis liberaliter impertit. Altera, quia sicut iris gerit speciem arcus aduersus cælum intenti: ita arcus noster, & arma ad Deum promouendum, & quodammodo vincendum, cælumque ipsum expugnandum vna Dei misericordia continentur, Sic enim appellauit eam Iacob

Margin notes: Psal. 124. 2. — *Beda.* — *Iris Sanctorum symbolum.* — *Iris Verbi Incarnationis symbolum.* — *Ansbertus.* — Sap. 7. 26. — Isa. 19. 1. — *Nubes pro beata Virgine accipitur.* — *D. August.* — *Eusebius Cæsar.* — *D. Chrysost.* — *Cyrill. Alexan.* — *Procopius.* — *Iris misericordiæ symbolum.*

Genes.

Genes. 48. cum dixit ad Iosephum filium. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Vbi per gladium, & arcum Paraphrastes Chaldaicus eum locum ita transtulit: *Quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea, & deprecatione mea*; proculdubio misericordiam diuinam intellexit, per quam Deus orationem Iacob exaudiuit. Quippe cum nostræ deprecationes Dei misericordiæ innitentur. Quinto tandem, & ad nostrum faciens institutum, Riccardus de sancto Victore in iride cum speciem arcus habeat, atque adeò belli signum præferat, putat significari iudicium: esse autem in circuitu sedis, quia tam à dextris, quam à sinistris vniuersis, iudicis complectetur sententia. Quia verò smaragdus partim viret, partim rubet; illud demonstrat iustos introducendos esse ad pascua virentis gloriæ; malos autem sempiternis ignibus adducendos. Tandem, quia iris, cum sit arcus valde formosus, & signum triumphantium, Christi maiestatem, in qua ad iudicium venturus est, demonstrat.

Gen. 48. 22.
Paraphrastes Chaldaicus.
Iris orationis symbolum.
Riccardus de S. Victore.
Iudicij sententia vniuersos amplectetur.

Ideo in nubibus sedentem se venturum fore testatur Apocalyp. 1. *Ecce venit cum nubibus; & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt*; vbi quæritur, cur in nube, seu nubibus venturus sit? Respondemus eam esse causam; quia cum nubes sit regalis patris sui thronus, merito tamquam princeps in paterno throno, hoc est, in nube considebit. Idcirco enim D. Chrysostomus ait, Christo in Ascensione missam fuisse à Patre nubem quasi sedem regalem, tom. 3. serm. de Ascens. Domini: *Elias, inquit, in curru igneo ascendit; Christus in nube: nam quando seruus vocabatur, currus mittebatur, vt veniret. At quando Filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat; nec tantum Dominica, sed etiam paterna.* Hæc ille. Etiam de Patre eius, ait Isai. 19. *Ecce Dominus ascendet in nube leui*: seu, vt nostra habet translatio, *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem*, seu iuxta proprietatem verbi hebraici, *Ecce Dominus equitabit super nubem leuem*. Vbi cernis nubem esse proprium Dei thronum; quod est etiam perspicuum ex cap. 19. Exod. cum dicitur: *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis*: cuius rei duplex ratio afferri potest. Vna est in typum incomprehensibilis Dei naturæ, quam non nisi per caliginem, & nubis obscuritatem in hac vita mortali cognoscere possumus. Quo in sensu dixit Paulus 1. Timoth. 6. qui solus habet immortalitatem, & lucem inha-

Christus ad iudicium in nube veniet.
Apoc. 1. 7.
Christus quare ad iudicium in nube se venturũ promisit.
D. Chryso. to. 3.
Isai. 19. 1.
Nubes proprius Dei thronus est.
Exod. 19. 9.
Diuinitas non potest nisi per caliginem in hac vita videri.
1. Tim. 6. 16.

inha-

Psal. 17. 12. inhabitat inaccessibilem. Et Regius Vates Psal. 17. *Et posuit tenebras latibulum suum*: sic enim hunc locum intellexit
Greg. Nazian. in Apologetico. Gregorius Nazianzenus in Apologetico. *Vix*, inquit, *Dei splendorem capientes, quem abyssus operit; cuius tenebra latibulum sunt, quantumque percipitur, tantum semper se subducit, amantesque sui ex eo quod fugit, ac velut iam comprebensus se prorupit, ad superna allusit*. Hæc ille. Quo spe-
Cant. 6. 4. ctat illud sponsi ad sponsam Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt*. Pro quo hebraice legimus, *quia*
Sponsæ pulchritudinis effectus. *ipsi me extulerunt*. Cuius loci duplex est expositio. Altera, vt sit sensus, *quia ipsi me superbire fecerunt*, seu *insolentiorem reddiderunt*, quemadmodum fere omnes Iudæi interpretantur, vt nimirum sponsus sponsam admoneat, ne ipsum respiciat, quia oculorum eius pulchritudo eum quodammodo superbire facit, & supra modum gaudere, quod à tanta ametur pulchritudine. Altera, vt, extulerunt, idem quod sit auolare fecerunt, quemadmodum habet nostra translatio, & velit sponsus sponsam admonere, nè curiosius ipsum contempletur; quia quo magis, inquit, intelligendi aciem in me intenderis, eo magis tuam cognitionem subterfugiam; clarius enim per species quantum tua intelligendi vis à meæ
Greg. Nazian. orat. de Fide. naturæ sublimitate superetur, legendus est Gregorius Nazianzenus oratione de Fide. Vbi inter alia: *Certe*, inquit, *hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest æstimari cum definitur ipsa definitione crescit, quem omnia nesciunt, & me-*
Nubes est signũ gratiæ. *tuendo sciunt*. Hæc ille. Alteratio est ea, quia nubes est signum gratiæ, & protectionis diuinæ suos ab æstu tentationum, ac laborum protegentis. Et quoniam Deus de hominum protectione gloriatur: iccirco protectionis gaudet symbolis, ad spem, & fiduciam hominibus afferendam, iuxta il-
Psal. 104. 39. lud Psal. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum*: de qua
Greg. Nyssen. li. de vita Moysis. relegendus est Gregorius Nyssænus in lib. de vita Moysis, & Origenes hom. 7 super Numer. Origenes homil. 7. super Numer. Ita quod Christus Dominus noster sedebit in nubibus, veluti in regali throno, immò tamquam præcipua Dei sedes. Sed quænam nubes erit ista? Et quem effectum perpetrabit? Nunc res hic versatur.
Sotus 4. dist. 2. art. 1. Vbi nota in primis; nam placet quod ait Sotus in 4. dist. 2. art. 1. nubem, seu nubes eiusmodi futuras esse miraculosas,
Nubes in iudicio futuras esse miraculosas. quia in ipso resurrectionis articulo motus cæli cessabit; nec amplius erunt vapores, qui possent in nubes concrescere.
Rupert. Probatur etiam nobis, quod ait Rupertus in hunc locum:

Huius-

Huiusmodi, inquit, *nubes non erunt quales nunc sæpe videmus pluuijs rorantes, terramque refrigerantes, sed procellosa, ignem inspirantes, & fulmina iacientes, iuxta illud psal.* 49. *ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida*. Hæc ille. Et illud Pauli 2. ad Thess. 1. *In reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt* Deum. Quamuis hæc testimonia magis pertinere videantur ad ignem illum, qui dicitur conflagrationis, quo vniuersus orbis paulo ante iudicium purgabitur. Sed quia hæc testimonia magis ad ignem conflagrationis pertinent: ideò ad nubes mysticas transeo: & vbi dicitur venit in nubibus, intelligendum est, venit in sanctis: dicuntur autem sancti nubes secundum D. Thom. in cap. 12. epist. ad Hebr. 1. propter conuersationis sublimitatem, iuxta illud Isai. 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant*? Et illud Pauli Philip. 3. *Nostra autem conuersatio in cælis est*. Secundo, propter doctrinæ fœcunditatem, iuxta illud Iob 36. *Effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt*. Tertio, secundum Diuum Chrysost. in eumdem locum propter spiritualis consolationis vtilitatem: sicut enim nubes refrigerium præstant: ita exempla Sanctorum. Quarto, secundum Vgonem Cardinalem ibidem: quia quemadmodum à nubibus procedunt pluuia, corruscationes, & fulgura: sic à Sancti pluuia doctrinæ, & currruscationes miraculorum, fulgura comminationum oriuntur. Quinto, secundum Origenem in comment. super Ieremiam, quia quemadmodum fulgura ex nubium collisione generantur in morem silicum, quos, cùm complexeris, medius ex ijs ignis elicitur: ita nubes rationales si secum loquantur, ignem amoris diuini, & spiritualium commotionum fulgura ex se emittunt.

Remanet nunc de secundo differere, nempe quem effectum eiusmodi nubes effecturæ sint. Sed de hoc in secunda parte.

Quiescite.

Margin notes: Psal. 49. 3. — Thess. 1. 7. — *Nubes mystica qualis est.* — *D. Thom. in c. 12 epist. ad Hebr.* — Isai. 60. 8. — Philip. 3. — Iob 36. 27. 28. — *D. Chrysost.* — *Exempla Sanctorũ refrigeriũ præstant.* — *Vgo Card.* — *Orig. in cõment. super Ierem.* — *Sancti si secum loquuntur ignẽ amoris diuini producunt.*

SECVN-

SECVNDA PARS.

Inf. 1.7. QVo nostræ lectionis capita hactenus percucurrimus, ac narrauimus. In primo quorum vniuersalis iudicij necessitas & demonstrata, & probata fuit. In secundo maiestas, in qua Christus dominus noster ad iudicium proficiscetur. Nunc tertium, scilicet, caput remanet, idest, disserendi de horrore, ac timore, qui in iudicio audientur, ac videbuntur. Et quidem terribilem futurum ad iudicium aduentum docet multis in locis sacra pagina, & Patrum omnium doctrina. Vnde Iob 31. dicitur; *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quem locum Græci ita transtulerunt. *Timor Dei continuit me, & eptionem eius non feram.* Cuius loci litteralis sensus is est, præter quam quod ait Iob, turpe sit pupillos, & pauperes opprimere ; alia tamen me quoque causa deterruit, nimirum Dei timor, qui solet in eorum oppressores grauiter animaduertere, id, quod etiam dixit Salomon Prou. 23. *Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum.* Vbi per, *propinquum*, Deus ipse intelligitur, pro quo Græcè est, Redemptor: sic enim habetur Græcè; *Redimens illos dominus fortis est*; cui concinit quod sequitur, *& iudicabit iudicium illorum tecum*, hoc est, causam eorum defendendam suscipiet, iuxta illud Psal. 9. Tibi *derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Verum ad tempus iudicij refert D. Gregorius lib. 20. moral. cap. 16. *Quoniam*, inquit, *qui extremi iudicij aduentum intenta mente considerat, videt quia tantus pauor imminet, quantum non solum tunc videre, sed etiam nunc præuidere pertimescat: quia cum superna maiestatis vim ad iudicium venientis, terroremque tanti examinis considerando, animus conatur exquirere, mox ad seipsum refugiens, sese exponit inuenire.* Hæc ille. Sed vt ad fluctus, & procellas reuertamur, cohæret Isaiæ 66. *Ecce dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius.* Quem locum tractans D. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 21. *Quasi ignis*, inquit, *dominus veniet*, sequitur versionem Septuaginta, ijs profecto, quibus pœnalis erit eius aduentus, ad litteram illud, quasi

Iudicij terribilitas probatur.
Iob. 31. 23.
Græci patres.
Pupillos, & pauperes offendere turpe est.
Prou. 23. 10.
Deus pauperum defendit.
Psal. 9. 4.
D. Greg. lib. 20. moral.
Isa. 66. 15.
D. Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 21.

quasi turbo velocissimum eius, & terribilem aduentum notat: turbo enim celerrimè obuia quæque deijcit. Meminit vero Propheta quadrigarum, vt cum exercitu quasi præliaturus aduertere intelligatur. Et quidem modo dumtaxat vita præsens quadrigæ eius pulcherrimo nomine saluatio appellantur Abacuch. 3. *Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ saluatio*. Tunc vero in die iudicij quasi turbo quadrigæ eius futuræ dicuntur; quam similitudinem etiam vsurpauit Hieremias cap. 23. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur; & tempestas erumpens: super caput impiorum veniet*, eodem explicauit Daniel 7. *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: thronus eius flamma ignis: rotæ eius ignis accensus*.

Vita præsens quadriga comparatur.
Abacuc. 3.8.
Vita futura turbini comparatur.
Ierem. 23.19
Dan. 7. 9.

Immo nubes etiam, in qua Christus in maiestate veniet, vbi probis spes fiduciæ, & protectionis: reprobis autem terror, & timor præstabitur: quod typicè in illa nube fuit expressum, quæ populum Hebræum ab Ægyptiorum exercitu diuidebat Exod. 14. vbi sic legimus. *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel abijt post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum, stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem*. Quem locum tractans Abulensis quæst. 4. super 14. cap. Exod. ait, *nubem illam fuisse tenebrosam contra partem exercitus Ægyptiorum; illuminantem vero noctem contra partem filiorum Israel, ita, vt vnum latus, quo respiciebat, tenebrosum esset: alterum vero quo ad Hebræos spectabat omnino lucidum.* Huc etiam pertinet illud Exod. 10. cum dicitur: *Et facta sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus, nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat. Vbicumque autem habitabant filij Israel lux erat*. Id, quod etiam in Dei throno igneo apud Danielem declaratur: ignis enim cum paleam denigret, & consummet, aurum tamen reddit splendidius, & illustrius.

Nubes in qua Christus in iudicio apparebit contrarios effectus operabitur.
Exod. 14.19. 20.
Abulens. q. 4. super 14. Exod.
Exod. 8. 22.
Dan. 7. 5.

Hinc prouenit, Christū in iudicio vocem magnā veluti velocissimi torrentis habiturum fore, iuxta illud Apoc. 1. *Et vox illius tamquam vox aquarum multarum*. Primo, vt ait Primasius, & Ansbertus, quia nimirum qui in lege veteri vocem habebat tubæ, idest, ille, qui per paucos prophetas, & prædicatores insonabat, in lege noua vocem habuit aquarum multarum, quæ populorum similitudinem significabant iuxta illud

Christus in iudicio magnam vocem emittet.
Apoc. 1. 15.
Primasius. Ansbertus.
Deus qui vocem tubæ in lege veteri habebat.

Apoc. 17. 15. Dan. 10. 6. Ezec. 1. 24.

illud Apoc. 17. Aquæ, quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ, idest, populorum multorum vocibus personuit. Id, quod etiam Daniel 10. significauit, cum dixit, *Et vox sermonum eius vt vox multitudinis*. Et Ezech. 1. *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum*.

Rupertus. Ricardus de S. Victore. Rupertus. Ioachimus. Deuter. 32. 2

eamdem expositionem approbat Rupertus: Secundo, Ricardus de sancto Victore, Rupertus, Ioachimus, & alij Christi mysteria omnium scripturatum eloquijs prædicta fuerunt. Atque adeo Christus, cum per se, vel per Apostolos loquebatur, vocem habebat instar aquarum multarum, quæ Scripturas sacras exprimunt, iuxta illud Deuteron. 32. *Concrescat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*.

Vox Christi similes aquis multis, significat vocem quam emittet in iudicio.

Vox Christi in Iudicio potentiam. & fortitudinem eius demonstrabit.

Tertio, tandem quidam ex recentioribus hanc vocem instar aquarum multarum ad secundum eius aduentum referunt, quo tempore habiturum inquiunt vocem aquarum multarum, quoniam magnum terrorem mortalibus inijciet, ipseque solus erit instar numerosi exercitus terrificus, atque formidabilis, denique fortitudinis, & potentiæ ad inimicos suos, vel ipsa tantum voce perterrendos. Vnde etiam dicitur illum cum lucernis scrutari actiones omnium in illa die, iuxta illud Sophon. 1. *In tempore illo scrutabor Ierusalem in lucernis*. Quem locum de iudicij vniuersalis seueritate interpretatur D. Hieronymus.

Sophon. 1. 12 *D. Hieron.*

Operum exactissima examinatio in iudicio.

Quæ loquendi formula duo significat; primum exactissimam occultorum operum inquisitionem; nam qui domos rei alicuius inuestigandæ gratia scrutantur, accensam lucernam adhibent, ad quam omnia loca, & omnes angulos perferunt, & quo lumen solis penetrare non potest. Deinde in reddenda ratione esse rerum etiam minimarum, & quæ oculorum acie videntur subterfugere, cuiusmodi sunt non verba tantum ociosa, sed ociosæ etiam cogitationes: huiusmodi enim, hoc est, minutissima, & subtilissima esse solent, quæ in domibus accensa lucerna inuestigantur.

Malac. 3. 3. *Christus non solu vitia, sed virtutes in iudicio examinabit.* Iob. 9. 28. Psal. 93. 14. 15.

Hinc est, quòd non solum vitia, sed ipsas etiam virtutes iudicabit. Vnde Malach. 3. dicitur, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, &c. idest, distinctè examinabit iustos, qui per filios Leui, accipiuntur: terribile quidem verbum, & quum debeat maximum mortalibus timorem immittere, quemadmodum de seipsis confitetur Iob 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti*. Denique eamdem seueritatem expressit Regius Vates Psal. 93. dicens,

quia

quia *non repellet dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet. Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium*. Theodoretus hanc iustitiam ipsummet Christum interpretatur, iuxta illud 1. Cor. 1. *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Hæc enim Dei iustitia in primo quidem aduentu conuersa fuit in misericordiam, sed in secundo conuertenda est in iudicium. Verum communiter interpretes accipiunt de ipsa diuina iustitia, quam dominus in iudicio exerabit, hoc sensu futurum est, vt iustitia Dei quomodo dissimulat, & differt vindictam, conuertatur in vltionis iudicium, & ad executionem procedat, vt indicetur, modo iustitiam diuinam ferre quidem sententiam secundum præsentem iustitiam, sed ad executionem, interpellante misericordia, non semper progredi. Illo autem extremo die ad executionem processuram, hoc indicabat Iob 31. cum dicebat, *Et pondus eius ferre non potui*. Vbi licet diuersa sit expositio. Prima, idest, numquam me parem existimaui ad repugnandum Deo, & sustinendum illius impetum, & fortitudinem in me incurrentem: est autem onus, vel pondus, quòd sæpe prophetæ repetunt, videlicet, supplicium, & minæ ingentes, sub quibus videatur imbecillitas humana deijci, & comprimi. Eadem vox vertitur assumptio, tumor, eleuatio, celsitudo: quia enim pondus eleuatur, & attollitur sublime, solet pro ipsa celsitudine vsurpari. Alij ad Deum referunt celsitudinem, aut maiestatem eius, neque ferre, neque effugere possem. Videtur enim ille paratus bellum inferre, & ingentia mala grandinare, desuper pluereque fulmina super tyrannos, atque pupillorum, & viduarum oppressores. Cum quo facit lectio Septuaginta, *apprehensione eius non sustinebo*; quod Nicetas non solum ad tyrannidem refert, sed etiam ad obliuionem benemerendi de pauperibus, & imbecillibus, *si me*, inquit, *Deus per iniuriam quidpiam agentem, aut non benemerentem apprehendisset, intollerabile illius mihi ferendum esset supplicium*. Hæc ille. Ex quibus Nicetæ verbis colligitur quod dixi, immo tum ipse, tum Gregorius hoc diuini supplicij pondus de temporali accipiunt vindicta, quasi dicat, vix diuinam plagam illatam ferre, aut proferre possum, sed non minus commode intelligi poterit de æterno tyrannorum supplicio, deque extremi iudicij seueritate, quam qui mente, & cogitatione ponderat, videtur probare lapidem illum oneris,

Theodoret.
1. Cor. 1. 30.
Iustitia Dei in primo aduentu conuersa est in misericordiam.
Iustitia Dei in hac vita per misericordiam impeditur.
Iob. 31. 23.
Homo non potest Dei impetũ impedire.
Pondus in scriptura quid significat.
Deus pupillorũ, & pauperũ vindictam sumit.
Septuaginta.
Nicetas.

oneris, ad quem se exercebant robustissimi quique, de quo
Eccl. 6.22. scriptum est Eccles. 6. *Quasi lapides virtus probatio erit in il-
lis, & non demorabuntur proycere illam.* Loquitur enim
Sapientia grauis est. de sapientia, quæ nimium grauis videtur stultis; & pondus
eius ferre non possunt. Sic ergo pondus æterni supplicij, extremæque sententiæ esset nobis nunc probandum, & mente sustulendum, sicut faciebat Iob, atque cum impares nos inuenerimus, deberemus profecto continere nos in officio, neque prius aliquid audendum, quam nosmetipsos interrogauimus, vtrum pondus eius ferre, & habitare cum igne deuorante, & cum ardoribus sempiternis possemus?

Hinc est, quod apud Iob 5. dies iudicij dicuntur reprobi
Iob 5. 4. conteri in porta: *Conterentur in porta, & non erit qui eri-*
Reprobi in iudicio dicuntur conteri in porta. *piat:* Filij enim huius seculi ante portam elati sunt, sed in porta conterentur, quia, scilicet, amatores mundi in hac vita superbiunt; sed in ipso regni aditu æterna aduersitate feriuntur. Vnde & subditur: *Et non erit qui eripiat.* Illos quippe veritas ab æterna aduersitate eripit, quos in temporalium prosperis per disciplinam premit. Qui enim hic renuit premi, tunc non valet eripi, quia iniqui eum, quem per
Electi portam mortis lætanter intrabunt. disciplinam negligunt, habere patrem afflictionis suæ tempore per adiutorium non inuenient creatorem. E contrario hanc portam electi lætanter intrant, quia ibi eorum operum & laudem suscipient, & retributionem videbunt, iuxta illud
Prou. vlt. 31. Prouerb. vlt. *Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera eius.* Tunc quippe Sancti de fructu ma-
Sancti quomodo mercedem suorũ laborum accipient. nuum suarum percipiunt, cum eos ad percipienda cælestia laboris sui retributio attollunt, tunc eos sua opera in portis laudant, quando eis dicetur: *Esuriui, & dedistis mihi manducare.* Ad seueritatem huius diei spectat etiam illud Deu-
Deut. 32. 41. teron. 32. vbi dicitur: *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea,* quo loco posterior pars
Gladius symbolum iudicij finalis. priorem explicauit, vt Dei gladium iudicium eius esse intelligeremus. Vbi duo principaliter sunt notanda. Primum, qua re iudicium per gladium exprimitur? Secundum, cuius formæ erit hic gladius? Quo ad primum, quia sicut res commodius per gladium ab inuicem separantur; sic iudicium erit vniuersalis separatio bonorum à malis. Vnde dicitur,
Matt. 25. 32. *& separabit oues ab hœdis.* Præterea exprimitur per gladium propter ea, quæ præcedent, comitabunt, & sequentur ipsum iudicium: quæ præcedent erit multiplicitas signorum, iuxta

illud Psal. 64. *Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant* Psal. 64.9.
terminos à signis tuis. Et Matth. 24. *Sol oscurabitur, &* Matt. 24.29.
Luna non dabit lumen suum: & stellæ cadent de cælo. & Luc. Luc. 21. 25.
21. *Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis*. Et Apoc. 6. Apoc. 6.12.
Et ecce terræmotus magnus factus est, & Sol factus est niger 13.14.
tamquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum à vento magno mouetur, & cælum recessit sicut liber inuolutus. Quæ verba Ioanis communiter Interpretes ad tempora Antichristi, & ad finem mundi referunt. Sic volunt Riccardus de sancto Victore, Pannonius, Primasius, Ambrosius, Ansbertus, Vgo Cardinalis, eamdem expositionem commemorat Beda, Rupertus, Arethas, & sic exponitur vaticinium, Solem, Lunam, & Stellas non translate, sed proprie Solem ipsum, quem videmus, Lunamque, & sidera intelligamus: Quod igitur ad Solem attinet non sine mysterio, efficiendus dicitur niger tamquam saccus cilicinus ad tristitiam, vel ipso colore propter mundi finem iam vicinum exprimendum. Id enim, & nigredo significat, & sacci cilicini indumentum. Præterea sacco cilicino Sol induetur deposita veste eius, quæ fulgentissima, & pulcherrima est, quasi vestem mutans ob interitum principis huius mundi, quemadmodum famuli vestem mutare solent in morte dominorum, & nobilissimi quique in obitu Principis, ac Regis, & interdum sacco indui. Deinde tota Luna reddetur sicut sanguis, vt vel ipso colore sanguineo, quasi rubore vultus, significet se de fœdissimis hominum sceleribus erubescere: quod etiam ad saccum cilicinum Solis potest accommodari, quemadmodum disertis verbis prædixit Isaias 24. cum dixit: *Erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus Exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus*. Visis namque hominum sceleribus Sol, & Luna erubescent, quod talibus Dominis seruierint. Alij volunt declarari summum Christi regnantis splendorem, qui vsque adeò Solem, ac Lunam separabit, vt hæc duo fulgentissima sidera ad tanti luminis magnitudinem confundantur, & erubescant: nec præ confusione apparere audeant. Tertio, additur: *Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos*:

Riccardus de S. Victore. Pannonius. Primasius. Ambrosius. Ansbertus. Vgo Card. Beda. Rupert. Arethas.

Sol in iudicio obscurari quomodo intelligitur.

Luna quare in iudicio reddetur sicut sanguis.

Isai. 23.32.

Christi in iudicio splendor qualis erit.

D. Chryſ. homil. ad Neophitos. cuius rei myſterium hac ſimilitudine declarauit D. Chryſoſtomus homil. ad Neophitos, deſumpta ex Iſaia cap. 34. cum
Iſai. 34. 4. dicitur: *Et tabeſcet omnis militia cælorum*, ideſt, *ſtellæ*
Septuaginta. (quemadmodum tranſtulerunt Septuaginta) *cadent ſicut folia ex vite*, ſicut, inquit, vites cum vuarum fructibus prægrauantur, foliorum auxilium neceſſarium, vt protegantur, expoſcunt: cum autem depoſuerint fructum, neceſſe eſt, vt etiam folijs denudentur. Sic ſe habet hoc ſæculum, quamdiu habuerit in ſe humanum genus tenebit, & cælum ſtellas ſicut & vitis folia: nam nocte prætereunte ſine nobis ſtellarum vtilitas ſimul cum nocte deficiet. Verum, quod attinet ad litteralem ſenſum ſignificatur in fine mundi multas futuras in aere impreſſiones meteorologicas, in quibus ſtellæ cadentes numerantur. Groſſorum ſimilitudo illud ſignificat non interiturum eſſe mundum præ maturitate, non alio, quo amplius durare potuiſſet: ſunt enim groſſi ſicut immatura, ſed Deum propter hominum ſcelera ei citius impoſiturum eſſe finem, quemadmodum fecit in prima mundi per cataclíſmum euerſionem.

In die iudicij multas futuras impreſſiones meteorologicas.

Et rurſus myſticum ad ſenſum rediens, audite quid etiam
Apoc. 9. 2. D. Ioan. ait Apocal. 9. *Aſcendit fumus putei fornacis magnæ, & obſcuratus eſt Sol, & aer de fumo putei*. Magnum quidem eſt (ait ipſe) quod vidi. Et quid? Vidi, quod ab igne tantus exiuit fumus, tamquam qui à magna fornace egreditur, & Solem, Lunamque vna obſcurauit. Vbi, licet aliqui pro hoc fumo Dei cognitionem in hac vita intelligant, quæ cum nobis obſcura exiſtat, fumo comparatur, ſecundum
Iſa. 6. 4. Iſaiæ dictum cap. 6. *Et commoda ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo*. Et quam-
D. Hieron. uis Diuus Hieronymus hunc fumum pro Iudæorum cœcitate, & pro ſanctæ Trinitatis cognitione intelligit: clarum eſt etiam, quod pro cœcitate, & obſcuritate capitur, in qua clauſa erit in iudicio peccatorum, mens, atque anima. Vn-
Iob 41. 11. 12 de Iob 41. *De naribus eius procedit fumus ſicut ollæ ſuccenſæ, atque feruentis; Halitus eius, prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur*. Et iure quidem: culpæ enim ſubſequitur pœna. Et ſicuti dæmon (ait Diuus Gregorius
D. Greger. 33. moral. 38. 33. Moral. 38. iniquis perſuadens peccatoris animæ ſuggeſtionibus hac in vita eam inflammat, & obſcurat in peccatis: ſic in alia vita etiam in pœna obſcurabit eam. Offici-

Fumus in iudicio quid operabitur.

Dei cognitio in hac vita fumo comparatur.

nam

nam cuiusdam fabri accedite, carbonum cumulum inuenie- *Simile.*
tis, & ideò totam officinam nigredine, ac fumo resperfam,
& tandem nil aliud, quam ad artem eius pertinentia non
reperietis: *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne pru-* Isa. 54.16.
nas, & proferentem vas in opus suum, ait Isaias c. 54. Quis
nam hic faber est? Dæmon quidem. Quod nam est vas istud?
Peccatoris anima. Et quid ex eo agit? in opus suum ipsum *Dæmon instar*
redigit, scilicet, turpe, & horrendum; & iure: sicuti enim *faber se habet.*
prauæ peccatoris voluntatis officina hac in vita aliud, quam
obscuritatem, & cœcitatem non producit, sic etiam alia in
vita faciendum est.

Vel dicamus, quod obscuritas hæc pro furore, quem demonstrabit iudex contra hostes suos, qui tam in hac vita eum offenderunt, mystice intelligitur. Strenuus Dux, magnani- *Simile.*
musque miles humiles per ciuitatem vagantur, & ambulant, sine armis sibi ipsis attendentes, quidam immorigerati simul congregantur, & vniuntur, & verbis, gestisque eum tangere incipiunt, & ipse patiens manendo, eidem occasionem præbere ideò non desistunt: ipseque dissimulans id non cernere demonstrat: denique ab ipsorum temeritate motus, incitatus, atque coactus, irascens, ac vultus colorem mutans, armis tectus, ensem in manibus accipiens, cum ea, alios fugat, vulnerat alteros, quosdam alteros interficit. Hoc illud est, quod Sapient. 5. aiebat: *Induet pro torace iustitiam,* Sap. 5. 9.10.
pro galea iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile æqui- 21.
tatem; acuet autem duram iram in lanceam, &c. Scitote, ait, quod nunc Christus Dominus noster absque armis est; *Christus Domi-*
nam deposita iustitia, nisi misericordia vtitur. Homines, & *nus absque ar-*
mulieres non ideo eum offendere desistunt, & molestia affi- *mis in primo*
cientes hos carnalitate, illos auaritia, ambitione alios, de- *aduentu appa-*
mum omnes aduersus ipsum vniuntur: nihilominus iudicium *ruit.*
veniet, in quo deposita misericordia, ipse furore tectus, atque munitus colorem murabit: ideò omnia obscura, ac te- *Christus in iudi*
nebrosa erunt. Item hæc obscuritas erit infallibilitas iudi- *cio armatus ap-*
cij. Vnde Paulus 2. Corint. 5. *Omnes enim nos manifestari* *parebit.*
oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria 2.Cor. 5.10.
corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Item inexcusabilitas conscientiæ, iuxta illud Daniel 7. *Iudicium sedit,* Dan.7.10.11
& libri, scilicet, conscientiarum aperti sunt. Item incredulitas ipsius diei, quia tunc veniet, quando minus expectabitur. Vnde 1. Thessal. 5. *Cum enim dixerint pax, & secu-* 1. Thess. 5.3.

ritas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Postremo de his propterea, quæ sequentur ipsum iudicium. Et erit effectus sententiæ, per quam iusti statim ibunt in vitam æternam, improbi vero in ignem æternum, de quo igne, alijsque pœnis in sequenti lectione sermonem habebimus.

Sententia iudicij finalis præsta executio.

Quo ad secundum cuius formæ erit hic gladius; duas habebit punctas, iuxta illud Apoc. 1. *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*. Quia ad dexteram; & sinistram vindicabit, ex parte dextera hic gladius eius acumine ita carnes deuorabit, iam non sit caro, & sanguis, sed sint omnes carnis corruptione exuti, indutique incorruptionem, & immortalitatem, miroque modo permanente natura in alteram gloriam permutati. Vnde Paulus 1. Cor. 15. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.* Ad sinistram vero eius acumine deuorabit carnem, & spiritum, quia singuli in igne reproborum corpora; & animæ cruciabuntur. Præterea erit hic gladius ex vtraque parte acutus, ad ostendendam misericordiam, & iustitiam; quas iudex in iudicio demonstrabit: iustitiam in reprobis puniendis, misericordiam in electis præmiandis, quod typice fuit expressum 3. Reg. 10. in duobus illis leonibus in vtraque throni Salomonis parte efformatis, quemadmodum eleganter Rupertus suo 3. lib. in libris Reg. 31. obseruauit. Quo loco dicitur: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grande*, vbi ait: *Quis est iste thronus tam mirabilis, nisi altitudo maiestatis in illo die nouissimo magni, & tremendi iudicij? grandis thronus est, quia grande iudicium expectamus. Est autem thronus ex ebore, quia iudicium ex puritate constabili iustitia auro vestito, quia nimirum aurea diuinitatis iustitia reuelabitur. Sex illa habebat gladios, quia sex sententijs iudicium perficitur. Esuriui Matt. 25. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non me collegistis: nudus, & non me cooperuistis: infirmus, & non visitastis me: in carcere, & non venistis ad me. Duæ manus hinc, atque inde duo sunt terrores, hinc iustitia, inde misericordia; duo leones, iuxta manus singulas, quia vtrobiq. fortis, atque formidabilis erit iudicij veritas: etenim à sinistra omnis iniquus condemnabitur, & à dextera iustus vix saluabitur*, 1. Pet. 4. *Duodecim leunculi super sex gradus stantes, duodecim sunt Apostoli, post hunc thronū Salomon, idest, pacifici regis, Christi gloria, & diuitiæ sunt in domo eius,* tanta

Apoc. 1. 16.

1. Cor. 15. 53

Sententia Christi in iudicio instar gladij deuorabit, & separabit.

3. Reg. 10. 18 19. 20.

Rupertus 3. lib. in lib. Reg. 31.

Matt. 25. 42, 43.

1. Petr. 4.

tanta copia, quanta scriptura præsens significare non sufficit. Vnde subditur. Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomon, fecitque vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem quanta & lapidum, quia peracto iudicio in diebus illis æternitatis nullius pretij reputabitur argentum, quia nimirum prophetiæ euacuabuntur, & linguæ cessabunt, & nullus iam mittetur ad prædicandum, sed omnes perfecti erunt, in omnibus abundabit purissimum caritatis aurum. Hæc Rupertus. Vbi videtur vtramque iudicij partem tam id, quod ad misericordiam, quam ad iustitiam pertinet, instar gladij ex vtraque parte acuti, esse terribilem, atque formidabilem. *Iudicij duæ partes.*

Sed qua re in ore, & non in manibus, vel ad latus accinctus, vt consuetudo gestandi gladium postulare videbatur, apparuit? vbi est aduertendum, Christum triplici modo gestare gladium. Primo, accinctum; secundo, in ore; tertio, in manu; accinctum quidem Psal. 44. *Accingere gladio tuo, super femur tuum, potentissime:* in ore, hoc loco; denique in manu, Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & parauit illum.* Quo significatur Dei in puniendo progressus. Primum enim habet gladium accinctum, ostendendo potentiam, vt terreat; deinde gladium in ore ponit comminando, vt deterreat; denique cum neutrum sufficit gladium vagina exuit, ac vibrat, vt percutiat, iuxta illud Exod. 5. *Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Ezech. 5. *Et gladium euaginabo post eos*; sed in hoc loco aliter intelligitur, quia hic gladius mysticus est verbum Dei, & per consequens intelligitur Christi iudicis in extremo iudicio sententia. Hinc est, quod recte in ore proferuntur: nam congregatio fiet ministerio angelico, examinatio, perhibente conscientia: sed sententia per verba ex ore Christi prolata, & quia duas habebit partes; prima pertinens ad illos stantes ad dexteram: *Venite benedicti Patris mei.* Altera ad sinistram: *Ite maledicti in ignem æternum*; ideò gladius erit ex vtraque parte acutus, & gestabatur in ore. Vnde D. Augustinus explicans illa verba Psal. 7. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. Potest, inquit, ipse Christus gladius dici bis acutus, quem non vibrauit primo aduentu, sed tamquam in vagina humilitatis abscondit. Vibrabit autem eum in secundo aduentu, ve-*

Christus, quare in ore dicitur portare gladiū. Psal. 44. 4. Psal. 7. 13. *Christus quot modis affert gladium.* Exod. 5. 9. Ezech. 5. 13. *Gladius mysticus est Verbum Dei.* D. August. Psal. 7.

niens iudicare viuos, & mortuos in manifesto splendore claritatis suæ, iustis lumine suo, & terrore impijs corruscabit. Nam in alijs exemplaribus pro eo, quod est, gladium suum vibrabit, frameam suam splendificabit, positum est. Quæ verba conuenientissime significari arbitror, vltimum Domi*nicæ claritatis aduentum.* Hæc ille. Amen.

∴

TRIGESIMAPRIMA LECTIO.

De damnatorum pœnis.

IN QVA TRIA DE DAMNATORVM pœnis explanantur. Primum, de loco vbi morabuntur. Secundum, de pœnis, quas patientur. Tertium, de pœnarum æternitate.

PRIMA PARS.

POSTEA quam noſtri flabelli tres primas pennas hactenus demonſtrauimus; quæ quidem fuere mortis memoria, & ecce prima; paſſionis Christi reminiſcentia, ecce ſecunda; & tandem diei eſtremi iudicij recordatio, ecce tertia: ad quartam pennam, quæ pœnarum infelicium, ac miſerrimorum damnatorum memoria pariter eſt, me confero. Et in hac, quemadmodum in alijs, eumdem ordinem tenebimus, & obſeruabimus. Et ideò hanc circa materiam tria tractabimus, atque aperiemus: Locum, ſcilicet, vbi damnati exiſtent, & hæc prima; pœnas, quibus ibi ſunt afficiendi, & hæc ſecunda; & harum pœnarum æternitatem, & hæc tertia erit; duas primas in prima, & tertiam in ſecunda parte. Attendite. *Lectionis diuiſio in tria capita.*

ET primum, quod infernus reperiatur, vltra innumerabiles ſacræ Scripturæ, ac Patrum auctoritates ipſummet naturale lumen id clare oſtendit: nam malefaciens punitione dignus ab omnibus exiſtimatur; at, quia nonnulli impij hinc impuniti diſcedunt, atque emigrant; ergo in al- *Infernum reperiri probatur.*

terum mundum puniri eos necesse est; & ideo infernus est paratus; & si ita non esset, vniuersi ordo, Deique prouidentia auferetur: quia non esset differentia inter bona, malaque perpetrantem; & ipsemet Aristotoles in 5. Ethic. ait, quod propter iustitiæ conseruationem; peccato pœna correspondere debet; & Plato in Phœdone, & in Timæo idem confitetur: & Lactantius Firmianus, inquit, quod Zeno, alijque Philosophi infernum crediderunt; iure quidem cum idem lumen naturæ hæc doceat, quamuis quid alia indiget probatione, vbi Christi Domini nostri verbi pondus adest? Et ecce, quod in D.Matth. 11. ait: *Et tu Capharnaum numquid vsque ad cælum exaltaberis; vsque in infernum descendes*. Et in Luc. 16. *Mortuus est diues; & sepultus est in inferno*. Et in Apoc. 1. *Qui habet claues abyssi, & inferni*.

Arist. 5 Ethic.

Plato in Phædone, & in Timæo

Lactantius Firmianus.

Matt. 11. 23.

Luc. 16. 22.

Apoc. 1. 18.

Nec incongrue; nam, sicuti quatuor personarum genera inueniuntur, quo ad spiritualem animæ partem, quæ ad sepulcra varie ducuntur, atque portantur: sic quatuor conformia hospitia ipsis Deus gloriosus, atque omnipotens parat. Primæ sunt illi, qui licet in peccato fuere, tamen pœnitentiam satis peragentes, & quo ad culpam, & quo ad pœnam illud reliquerunt; & absque crimine omnino è vita discessere, & ijs Deus, cæli, ac paradisi habitaculum parauit, quod, inquam, vere tranquillitate, ac quiete plenus est locus. Secundæ, quæ, quamuis in peccato extitere, attamen ipsæ etiam pœnitentiam egerunt, & omiserunt ipsum, sed quo ad culpam tantum, & non quo ad pœnam: Et ijs Deus purgatorij locum apparauit, locum, inquam, tutum postea gloriam adipiscendi, atque fruendi, sed solicitudinibus, atque tormentis refertum, & cumulatum, quia ad purgandam, examinandamque peccati pœnam in igne manent. Tertiæ illæ sunt, quæ sæpe in peccatum incidunt, & sæpe etiam pœnitet eos, ac pœnitentia seipsos afficiunt, peccatumque deserunt: & his Deus huius vitæ habitationem prouidet, vbi completa non est quies, nec plena pœna existit. Quartæ sunt illæ: quæ, cum mortaliter peccauerint, pœnitentiam non egerunt, nec illud relinquendo in illo deciderunt; & his Deus inferni domicilium prouidit, locum quidem, in quo continuo solicitudo, angustiæ, tormenta, & pœnæ vigent, & experiuntur. Et hic tres primas omittentes, & de his vltimis loquentes, quæ ad nostræ lectionis rem faciunt, dico, quòd Deus eis prouidit hoc domicilium, sicuti eorum demeritis,

Personarũ quatuor genera.

Deus iustis paradisum præparauit.

Deus quibus præparauit purgatorium.

Deus quibus præparauit infernum,

meritis,

meritis, ac peccati proportionatum locum. Certum est, quod anima in peccato mortali viuentis mortua appellatur, non quod anima moriatur, & annihiletur; sed mortua dicitur, quia gratiam amisit, quæ cum pro semper veræ, æternæque vitæ, quæ Deus est omnipotens, & immortalis, coniungere debebat. Sed quia peccatum tres habet proprietates: est longinquum, ecce prima; est obscurum, ecce secunda; est frigidum, ecce tertia; & ordinem, seu regulam non habens, ecce quarta. Abest à Deo: *Peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum*. Est obscurum, quia sicut in D. Ioanne Christus ait: *Qui male agit ambulat in tenebris*: Friget, quia caret calore caritatis: *Carbones ignis congeret super caput eius*. Et tandem est absque ordine, nam peccator stabilem regulam non habet, & ideo, dico; os autem stulti confusioni proximum est, quod Deus post mortem proportionatum ei domicilium prouidit, quod est infernus, qui à Deo abest, hoc est à diuina amicitia; cum sit locus impiorum. Et propterea Sapiens aiebat Prouerb. 13. *Longe est Dominus ab impijs*. Est obscurum, quia à tota terra circumdatur; & ideo Christus inquit: *Mittite eos in tenebras exteriores*. Et friget, quia penetrare non valet ipsum solis calor: quod propterea idem addidit: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*; stridor dentium pro frigore. Et denique nullus est ordo, nam in eo semper confusio, indistinctio, atque chaos viget. Ad hoc fortasse, idem Iob alludere voluit cap. 10. cum dixit: *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Antequam vadam, & non reuertar*, ecce longinquitas: *ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine*, ecce obscuritas; *terram miseriæ, vbi vmbra mortis*, ecce frigiditas: & demum *vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, ecce confusio, indistinctio, atque chaos.

Anima in peccato viuens, mortua est.

Peccatum diuidit animã suã à Deo.

Isa. 59.2.

Ioan. 3.20.

Rom. 12.20.

Prou. 10.14.

Peccator non habet stabilem regulam.

Prou. 13.29.

Matt. 22.13.

Infernus nullum habet ordinem.

Iob. 10.21.

Antequam vadam, & non reuertar. Vbi aduerte, quod duplex potest esse huius sententiæ interpretatio. Et primo mortis, & status mortuorum circumlocutio esse potest: *Vadam, & non reuertar*, idest, abeam, non rediturus: sic enim vbi duo verba diuersæ significationis ponuntur, commode alterum in participium resoluitur, vel in aduerbium, antequam abeam irreuocabiliter non reuersurus ad similem vitam,

Mortis vim nullus impedire potest. tam, & eumdem statum, quem antea habuerim: indicatur etiam nullam esse in natura vim, cui parcat mors, & cui receptacula animarum obediant, reddereq. cogantur animam,
Sap. 16. 14. quam semel recipiunt, iuxta illud Sap. 16. *Cum exierit spiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta est.* Hæc est illa grauis; atque sapiens Dauidis responsio ad il-
1. Reg. 12. lam seruorum suorum expostulationem 2. Reg. 12. quod viuente adhuc puero ieiunasset, & fleuisset, mortuo tamen, lauisset, & vnxisset se, atque comedisset: nunc, inquit, quia mortuus est, quare ieiuno? Numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille verò non reuertetur ad me, atque hæc est inferni, mortis, & sepulcri pertinacia, atque duritia: neutrum enim, quod semel apprehendit, & recipit, numquam dimittit. Ideò inter illa tria insaturabilia numeratur infernus, qui dilatat animam, & ventrem, vt multum deglutiat, & capiat. Ita pari appetentia, quod semel deuorauit retinet, neque fieri, nisi ingenti miraculo, potest, vt quod semel deuorauit, reddat, & euomat.

Dauid qua re viuum puerum fleuit, mortuum autem non.

Infernus inter tria insatiabilia numeratur.

Quod si aliquando vomitus faciendus est à terra, inferno, sepulcro, mirum, vt torqueatur, & tremat; nam vomentibus tremores etiam, & conuulsiones fieri, atque omnino id malum esse medici dicent. Sic igitur cum vomit sepulcrum Christum Dominum propria virtute resurgentem: *Terræmotus factus est magnus,* Matth. 28. Tremor autem iste, & con-
Matth. 28. 2. uulsio ex vomitu inferno, & terræ malum, mortalium generi bonum, ad spem immortalitatis, & gloriosæ resurrectionis concipiendam. Itaque tota hæc res ad infernum, idest, subterraneam animarum stationem, carceremque describendum refertur, siue tantum pro ea parte, quæ lymbus dicitur, & qua sanctorum Patrum animæ detinebantur, siue in vniuersum pro toto inferno, & damnatorum ad æterna supplicia loco, qui huius loci commentarius placuit Augustino, Olympio, Philippo, Bedæ, D. Thomæ, Caietano. Et Philippus quidem ait: *Nulli dubium esse, quin terram infernorum descripserit.* Et August. *Vult,* inquit, *requiescere antequam eat in pœnas æternas.* Olympius: *Hæc,* inquit, *loquitur veritas, ne forte si cum cruciatibus, & tormentis vitam dimiserit, à diuino aspectu sit ablegandus omnino, atque cum impijs in inferno numerandus.* Hæc ille. Est quidem in hac exponendi ratione sententia hæc plena timoris æque, ac pietatis: quæ quasi exposita quadam suæ damnationis formidine

Christus resurgens terræmotus factus est.

Infernus pro parte subterranea.

August. Olympius. Philipp. Beda. D. Thom. Caietan.

dine, explicanda est, non alijs, quam ipsius Augustini verbis, *Vult requiescere antequam eat in pœnas æternas, ad hoc scilicet, vt non eat, quemadmodum si dicamus alicui: Corrige te antequam damneris: non enim cum se correxerit, damnabitur.* Hæc ille. August.

Ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Hæc est secunda condicio inferni, ad terram, regionem, plagam, tenebrosam propriè, prohibitam, videlicet, à lumine, *& opertam mortis caligine*, quòd alibi dicitur *vmbra mortis*, idest, lethalibus vmbris, immedicabilibus tenebris. Symmacus dixit *opertam morte*: mors enim terra est, & caliginosa obscuris, cæcisque luminibus omnem lucem aduersatur. Policronius refert ex Hebræo, *In terram tenebrosam super tenebras.* Est autem infernus, & tenebrosus ille damnatorum carcer subterraneus, mortis sedes & regia, sicut Sapient. 1. dictum est. *Non est inferorum regnum* (idest mortis regia) *in terra;* quasi dicat, supra terram, sed sub terra, in corde, penitusque reconditis terræ visceribus. Ergo sicut Princeps, sicut sol in mundo sui vultus splendore lucem affert regiæ domui, & ijs, qui coram illo sunt, sicut planè regium, & illustrissimum est regem ita nitere, vt sua etiam luce alios perfundat, sicut Suetonius scribit habuisse Octauium Augustum oculos claros, ac nitidos, quibus etiam æstimari volebat inesse quidam diuini vigoris; gaudebatque si quis sibi acrius intuentie, quasi ad fulgorem solis vultum submittet. Ita sanè orcus, mors, interitus, quasi rex obscurissimus suam regiam, suosque omnes, quibus imperat, obuoluit, & perfundit tenebris densissimis, illamque suam regionem operit mortis caligine, vt iam dubitare nemo possit, qua re dæmon dicatur Luc. 22. *Potestas tenebrarum*, & rector mundi caliginosi, quod si etiam dum tenebrosa dicitur terra, hæc ad rationem carceris alludatur, & ad vincula, quibus damnati detinentur, rectè cohærebit: nam non solum apud Hebræos, sed apud Romanos tenebrarũ appellatione carcer intelligebatur. Sic ille miser nõ habens vestem nuptialẽ, legatis manibus, & pedibus iussus est conijci in carcerẽ tenebrosissimũ, videlicet in tenebras exteriores: dicuntur autem exteriores, quòd fortè carcer extra vrbem, aut extra mœnia esset, vt colligitur ex Act. 12. nam eductus Petrus de carcere; Angelumque ducem sequutus, tandem peruenit ad portam ferream; quæ ducit ad ciuitatem. Dices igitur illum coniectum fuisse in tenebras exte-

Inferni secunda condicio.

Symmacus.

Policron.

Sap. 1. 14.

Suetonius.

Octauius Augustus oculos claros habebat.

Luc. 22. 33.

Dæmon dicitur potestas tenebrarum.

Tenebræ exteriores quare dicuntur.

Act. 12.

Iudas Apost. 1. 6. exteriores, idest, carcerem exteriorem. Sic Iudas Apostolus caliginem dixit carcerem dæmonum, aut vero vincula, quibus in æternum detinebuntur. *Angelos vero qui non seruauerunt suum principiatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni diei*: tunc enim, qui nunc extra carcerem vagantur in aere, aut in terra, in infernum detrudentur, numquam inde amplius egressuri: & sequitur, *vinculis æternis sub caligine reseruauit*, cui simillimus est locus 2. Petr. 2. Vbi dicitur, *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed radentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: vbi pro radentibus in Græco sunt catenæ caliginis, vel obscuritatis, idest, catenæ carceris obscurissimi, & tenebricosi. Et Sapien. 17. Non semel hæc à tenebris ad carcerem, & vincula translatio ducitur, vinculis tenebrarum, & longe noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui, perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. Et inferius. Catena tenebrarum omnes erant colligati. Translationis autem ratio est, quòd, ficut qui in vinculis est, ita sanè qui in tenebris se mouere nequit, vel etiam quod carcer esse soleat obscurus, & lugubris, cuiusmodi fuit illa carceris pars altera, quæ à Seruio Tullio robori (*is primus carcer erat*) addita fuit, illam enim sic describit Sallust. *Est locus in carcere, qui Tullianus appellatur, vbi paulatim ascenderis ad leuam circiter duodecim pedes humi depressus, cum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta, sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius facies est*. Hæc ille. Sic quoque apud Liuium lib. 38. *In carcere vir clarissimus inter fures, & latrones includatur, & in robore, ac tenebris expiret*. Hæc illè. Et lib. 6. *tum pati vinctum in carcere, in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam*. Hæc ille. Et quamuis Vlpianus l. aut damnum. 8. §. solent ff. de pœnis. statuet carceres ad continendos homines, non ad puniendos haberi debere: tamen stante quidem Republica, in carcerem damnati conijciebantur, ibique extremum de illis sumebatur supplicium. quare Cicero in Catil. 1. appellat vindicem nefariorum, ac infestorum, scelerum, non aliter, immo multo verius tenebræ illæ sempiternæ vindices sunt scelerum, & locus extremi supplicij, & æternæ mortis. Rectè igitur hac ratione tenebrosus locus, & regio appellatur infernus, immo potius tenebræ ipsæ: ideo addidit, *miseriæ, terram miseriæ*, quod verbum propriè, lassitudinem, deliquium, defectum, obscuritatem

Dæmonis carcer dicitur caligo.

2. Pet. 2. 4.

Deus Angelis peccantibus non pepercit.

Sap. 17.

Tenebræ sūt veluti vincula.

Seruius Tullius Sallust.

Tit. Liu lib. 38.

Idem lib. 6.

Vlpianus l. aut damnum. 8. § solent. ff. de pœnis.

Cicer. in Catil. 1.

Tenebræ vindices sunt culparum.

signi-

significat; nam omnia hæc coniuncta videntur, vt obscurari videatur cor hominis deficienti, & lasso, lumen quoque deficere oculorum, sicut dicebat Dauid Psal. 37. *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Hæc etiam secum affert mentis ægritudo, & grauis aliqua calamitas; sic ab illa radice dictum est à Dauide Psalm. 87. *Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria*: in Hebræo stat, propter caliginem, vel obscuritatem, in his meis tenebris, & obscurissima ærumnarum nocte, non video qui mihi adsit. respicio in adiutorium hominum, & non sunt: *tempora si fuerint nubila, nullus erit*, recte igitur coniunctum est *terram miseriæ, & tenebrarum.* Hinc animaduerte verissimam tamen rationem ex hoc colligi posse, quare miseriæ, & calamitates tenebrarum appellatione significentur: sicut enim extrema damnatorum miseria, & interitus cum æternis tenebris coniunguntur in inferno; sic quidquid miseriæ, & calamitatis apud nos est alterum tantum tenebrarum admixtum habet. Hinc est, quòd quater in hac sententia repetita est caligo, non tantum ex peculiari significatione vocis, quàm ex repetitione eiusdem rei omnibus vocabulis; synonimis, seu sententiæ amplificatio, & tenebrarũ obscuritas crescit. Cum autem infernus dicitur terra tenebrarum, indicatur profecto ibi tamquam in natiuo solo, obscuritas prouenire, sicut dicitur, terra auri, aut argenti, vbi hæres proueniunt, non aliter scriptura de inferni tenebris loquitur, tamquam de quodam tenebrarum pelago, ex quo aliquando ad Ægyptios, caligo, & obscuritas exundarunt. Vnde Sap. 17. Ægyptias tenebras vocat, impotentem vero noctem, & ab inferis, & ab altissimis inferis superuenientem, sicut voragines quædam eructantes sulphureas flammas, quos Vulcanos, inferni ostia, & fenestras vocamus, quo inferorum flammæ, & tenebræ excitatæ pertingant, & fauillas infestas, tenebrasque expuant; ad quam similitudinẽ dicitur Apoc. 9. *Et aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei*: & quidem sicut quidquid lucis est in inferiori mundo, cæleste illud est, & descendens à Patre luminum, & à ciuitate sancta, quæ sole non indiget, sic sunt tenebræ, & obscuritas, illa præsertim, quæ homini inimica, & infesta est, ab inferis ascendere ad nos intelligitur.

Psal. 39. 11.

Psal. 87. 19.

Damnatorũ miseria cum tenebris coniũcta est.

Infernus dicitur terra tenebrarum.

Sap. 17.

Apoc. 9. 2.

Vbi vmbra mortis. Hæc est tertia inferni condicio, nempe vmbra mortis, eadem quæ supra dicta est mortis caligo, Phi- *Inferni tertia condicio.*

lip.

Philippus. lip. pœnas intelligit, quæ cum morte coniunctæ ſunt, illamque comitantur, atque ſequuntur, ſicut vmbra corpus. *D Thom.* Diuus autem Thomas, *vmbra mortis*, ſimilitudinem mortis interpretatur, eo quod omnia, quæ illic geruntur, mortis præſentare, & referre videantur, & ſignanter frigiditatem, quæ frigiditas reſpondet, vt diximus, culpæ, & peccato. *Inferni cuncta mortem repræſentant.*

Vbi nullus ordo. Vox originalis pluralis eſt numeri, in quo ſi quid notandum ſit, illud tantum videtur dici, non eſſe ordines, perinde eſſe, ac ſi in vniuerſum diceretur, nullus in illa re ordo, omnia confuſa, & citra ordinem ſunt: ſicut enim vox ſingularis repetita diſtributionem plurium rerum ſignificat in ſacro ſermone, ita vox pluralis res omnes ſingulares per ſe ſumendas admonet. Plerique vero latini hunc ordinis defectum referunt ad perturbatas, & confuſas damnatorum conſcientias, & cogitationes numquam ſibi conſtantes, quod ingentem eſſe danatorum mentium cruciatum, docet hoc loco D. Gregorius. *Conſcientia dānatorum perturbata ſemper exiſtunt.* *D. Thom.* *Polycron.* *Eugubinus.* *Iſidorus.* Alij, vt Polycron, Eugubinus, Iſidorus referunt ad temporum, dierumque, & noctium ordinem, & viciſſitudinem ex illa terra, & regione ſublatam. Vnde plura breuiter complectitur commentarius Polychronij dicens: *Vox eſt ſolis ordo, nullus ſiderum ceterorum, vbi nullum licet rerum humanarum ſtatum intueri, nullam, inquam, præclara lege, atque ordine inſtitutam politiam.* Hæc ille. Fauet lectio Septuaginta; vbi *non eſt lux, neque eſt videre viam hominum*: quaſi dicat: Perpetua ibi nox eſt, ſicut e contrario, vbi perpetua lux eſt, dicitur non eſſe transmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio: ideſt, vmbra viciſſitudinaria: ſic ibi non eſt viciſſitudinis illuminatio. *Septuaginta.* *Nox perpetua eſt in inferno.* Sed exiſtimo hic ex proprio quodam perpetuoque tenebrarum effectu, amplificari illarum incommoda grauiſſima: ſicut enim lucis proprius eſſe videtur ordo, diſtinctioque rerum: ita tenebrarum nullus ordo, ſed multa ingentium rerum perturbatio, & confuſio, atque permixtio; ſic Reipublicæ perturbationem expreſſit Cicero pro Ror. dicens, *tamquam ſi offuſa Reipublicæ ſempiterna nox eſſet, ita ruebant in tenebras, omniaque miſcebant.* Hæc ille. *Lucis eſt ordo, tenebræ confuſio.* *Cicero pro Ror.* At in quo, inquit, hic ordinis defectus poſitus eſt? Cum veriſſimum ſit, quòd Gregorius obijcit dicens: *ipſa etiam ſupplicia, quæ ex lance diuina prodeunt, inordinata eſſe non poſſe*. Hæc ille. *Gregor.* Statuit enim Deus plagarum modum iuxta criminis menſurã, & quantum Babylon glorificauit ſe, & in delicijs fuit; tantum præcepit Deus dari illi tormentum, *Deus ſtatuit plagarum modum iuxta criminis menſuram.*

& lu-

& luctum, vt legitur Apoc. 18. & Matth. 13. etiam zizania in fasciculos ligari, & colligi ad comburendum, ordo quidam est, vt pares cum paribus pari pœna constringantur. De qua re non Gregorius solum, sed eleganter etiam S. Ephræm disserit lib. de vera pœnit. cap. 7. atque est illud verissimè à sapiente dictum, *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, vt suus cuique improbitati cruciatus respondeat: nam ille ignis cum paratus dicitur diabolo, & angelis eius, nescio quid, cuiusque sceleri ex æquo præparatum, atque conueniens significat, sicut & id. Isa. 30. *Præparata est enim ab heri Thophet à rege præparata profunda, & dilatata nutrimenta eius ignis, & ligna multa*. Vbi vox nutrimenta, instruem, seriemque lignorum significat, ordine quodam dispositorum, vt facile flammam concipere possint. Vox eadem cum verbo componendi, aut recto ordine disponendi iungitur Ezech. 24. *Compone quoque strues ossium*, quare eodem Ezech. cap. ait Deus *væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram*. Vides igitur accuratum, & exquisitum in damnatorum supplicij ordinem? Sanè: sed ille ne videtur ordo omnino deesse, vt nihil ab illis ordinatè fiat? An ille alius, quòd omnes incertis pedibus vagantur, & impares cum imparibus versentur, vt omnes sint pares in imparibus in vnum fasciculum colligati, atque quasi vna omnes catena colligati futuri sint: ita nullo inter illos dignitatis ordine seruato crucientur? sic scribit Sap. 17. De Ægyptijs, *vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati*, sicut plures racemi calcantur in torculari confusi, atque permixti. Est enim infernus torcular iræ Dei. An etiam naturalis rerum ordo ibi inuersus esse videatur; cum ignis non luceat, & aquæ niuium cum calore nimio, & cum sempiternis ardoribus, stridor quoque dentium vires suas retineant? An vero tandem hæc ordinis expers confusi multitudinem tormentorum simul conglobatorum significat, vt procella quædam miseriarum omnium perpetuo damnatorum capitib. incumbat? Sicut scriptum est, *in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur*. Apoc. 18. Hæc de primo capite dicta sufficiant.

Aoc. 18. 7. Matt. 13. 30.
D. *Ephræm. lib. de vera pœnit. cap. 7.*
Isa. 30. 33.
Ezech. 24. 9.
Ordo exquisitus in damnatorum supplicio.
Damnati quasi vnica catena constringentur.
Sap. 17. 16.
Ignis inferni non lucet.
Apoc. 18. 8.

SECVN-

SECVNDA PARS.

TRIA circa damnatos à nobis memoranda conclusimus, locum, scilicet, vbi manebunt, pœnas, quas passuri sunt, & earumdem pœnarum æternitatem. De primo capite iam in prima parte copiose disseruimus: nunc ad secundum, tertiumque accedamus. Et primum, quo ad secundum, hoc est, quod damnatorum pœnæ diuersæ simul, & multæ extent, hoc clarius nobis patet: quoniam non modo varij Patres, diuersique auctores id asserunt, sed veteres, nouæq. chartæ plenæ existunt, & leguntur. De quibus primum communi, & postea particulari sermone loquemur.

Damnatorũ duplex pœna. Communes illæ duæ sunt, quæ amplectuntur, & continent alias omnes, idest, pœna damni, ecce prima; & pœna sensus, ecce secunda. Pœna damni, hoc est, priuatio diuinæ faciei: pœna sensus, æterni ignis punitio. Et iure quidem: peccator enim peccando duo mala committit, ait D. Augustinus, malum auersionis, & malum conuersionis, auersione à Deo abest: conuersione autem creaturis coniungitur. Hoc illud est, quod idem Deus in Ieremia aiebat c. 2. *Duo mala fecit populus meus: dereliquerunt me fontem aquæ viuæ:* ecce auersio. *Et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*, ecce conuersio. Auarus ex Deo ad aurum conuertitur, ambitiosus ad dignitatem, carnalis ad inhonestatem voluptatis, & sic de ceteris. Et ideò cum pœnæ delictis correspondere debeant, oportet, vt duæ existant, vna respondens conuersioni ad creaturam, & auersioni à Deo altera. Ita, quod peccator, cum peccato ad creaturas se conuertit, ab ipsismet creaturis oportet, vt puniatur: & quia se à Deo alienauit, pro semper ipsomet Deo priuus, & exutus remanet. Hoc idem in Ioan. 15. Christus aiebat: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent. In ignem mittent*, ecce pœna sensus: *mittetur fora*, ecce pœna damni. Tamdem vna damnatum solicitat, altera Dei conspectu eum priuat. Modo quo ad istam, quæ pœna damni est, notandum, quod plus quam pœna sensus cruciat, solicitat, & angit. Ait D. Chrysostomus in homil. 22. in Matt.

Pœna damni, & pœna sensus quæ est.
D. August.
Ierem. 2. 13.
Auarus à Deo ad aurum conuertitur.
Pœnæ duæ correspondentes peccato.
Ioan. 15. 6.
Pœna damni & pœna sensus.

Matt. *Gloriæ amiſsionem multo amarius, quã ipſius gebennæ eſſe dico ſupplicium*: ſicuti enim bonum diuinæ viſionis ſatis exprimi non poteſt, ſic malum priuationis eius, linguã non eſt, quæ aperire narrareque poſsit. Quod quidem, & ſi locum non habeat in infantibus, qui in lymbo degent, ò docti, ſicuti illi, qui aliorum culpa peccarunt: locum tamen habet in adultis, qui in inferno ſunt, quemadmodum illi, qui propria culpa perierunt, & à Deo diſceſſere. Quo vero ad pœnam ſenſus, principalis eſt certe ignis, & flammã. Et quod verum extet, diues ille epulo in inferno exiſtens, ab Abraham petijt, vt Lazarum mitteret ad eum vnica aquæ gutta refrigerandum, ac ſubleuandum: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aqua, & refrigeret linguam meam*, ſicuti legitur Luc. 16. Denique damnati manent in inferno, in igne, flammaque ſeipſos aduruat, ac conflagrantur: & ita ardens eſt ignis, quod ipſius cineres, magis affligunt (vt ita dicam) quam non ſolicitant noſtræ prunæ. Quod autem hic ignis ſit corporeus, Diuus Gregorius Dialog. 4. affirmat, dicens: *Ignem gebennæ corporeum eſſe non ambigo*. Sed quo modo ignis inferni corporeus noſtras in animas pure ſpirituales peragat, & operetur, hoc pro nunc relinquo; nam alij dicunt, eas forti imaginatione pati, alij, eamdem animam, corpus ab eodem igne apprehendere, alij detentione locali, & intentionali ſimul affligi. Quomodocumque id ſe habeat vnum eſt, quod animam tormentat, cruciat, atque ſolicitat. Et ego duo hic animaduerto: Vnum quod cum igne crucietur, atrocius ſupplicium ad excogitandum poſsibile non eſt. Alterum quod nihilominus ſolum non erit; nam etſi cum ignis maxime actiuus ſit, ipſe principaliter inter omnia inferni ſupplicia nominatur; tamen clariſsimum eſt (ſicuti Diuus Baſilius ait, & Diuus Thomas in quæſt. 97. par. 3. refert) quod cum damnatus reliquerit Dei vnitatem propter creaturarum multitudinem, ab ijſdem creaturis pœna affectus erit. Et ſicuti purum ab impuro elementorum in die iudicij diuidetur, & tota rerum puritas beatorũ gloriam augebit; ſic totum impurum omnium elementorum, ac mixtorum etiam damnatorum pœnam amplificabit; & ideo Sap. 5. inquiebat: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos*. Et Dauid Pſal. 10. *Ignis, ſulphur, & ſpiritur procella-*

D. Chryſoſt. homil. 23. in Matt.

Pœna damni peior eſt pœna ſenſus.

Pœna ſenſus, in quo conſiſtit.

Luc. 16. 24.

Damnati manent in inferno in igne.

D. Greg. Dial. 4.

Ignis inferni quomodo agit in animam.

Ignis non erit ſolus ad tormentandum in inferno.

D. Baſil.

D. Thom. in q. 97. par. 3.

Damnatus reliquit Dei vnitatẽ propter creaturas.

Sap. 5. 21.

Pſal. 10. 7.

Iob 24. 19. *cellarum pars calicis eorum*. Et Iob 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius*, vltra horridum dæmonum aspectum, & tristium simulacrorum, quæ ante damnatorum oculos semper in illa caligine, horrendisque tenebris apparebunt. Et Iob in præallegata auctoritate ipse etiam innuit, cum post inferni obscuritatis descriptiouem (sicut in prima parte audiuistis) conclusit: *Sed sempiternus horror inhabitat*. Cuius figura, tenebræ extiterunt, quæ, propter hebræorum defensionem, Ægyptios solicitarunt. Quæ etiam sic à Sapientia 17. amplificantur, dicente: *Personæ tristes illis apparentes, pauorem illis præstabant, & ignis quidem nulla vis poterat lumen illis præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus, & timore percussi illius, quæ non videbatur, faciei existimabant deteriora esse, quæ videbantur*. Quidquid igitur in inferni tenebris videtur horrificum est, terribilia simulacra, & imagines mortis tristissimæ defunctorum animæ, vt Poeta dixit Æneid. 6.

Dæmonum terribilis aspectus in inferno.

Tenebræ contra Aegyptios figura tenebrarum inferni extiterant.

Sap. 17.

In inferno quidquid videtur horrificum est.

Aeneid. 6.

Vmbrarum hic locus est, somni, noctisque soporæ.

Quæ autem videntur, non plene, & clarè videntur, sed multa nebula, & caligine offusa vix interlucentia, vt ab Ænea in inferno Æneid. 6. dicitur.

In inferno quæ videntur nō clare videntur.

Vt primum iuxta stetit, agnouitque per vmbram
Obscuram, qualem primo qui surgere mense,
Aut videt, aut vidisse putat per nubila Lunam.

Spectra autem, & horrificus bestiarum sæuissimarum frequens aspectus obuersabuntur semper ante damnatorum oculos, sicut scriptum est Isai. 13. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis*. Ad hunc terrificum damnatorum conspectum spectat illa Chysostomi sententia homil. 1. 2. Cor. 1. longe grauissima, vbi dicit: *Si cum in carcerem quemdam ingressi sumus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes, alios in tenebris clausos conspicimus, animo commouemur, ac perhorrescimus, nihilque non facimus, vt ne in eum locum incidamus, cum ad gehennam, obtorto collo trahamur. Qui nam*

Isai. 13. 21. & 22.

Damnatorū conspectus horrificus.

D. Chrys. hom. 1. 2. Cor. 1.

futuri sumus? Immortalem meum, & quæ nam lingua exprimere posset quid damnati passuri sint? O Dei iustitia, ò Dei iustitia. Angeli è cælo expulsi fuere, Adam ex terrestri Paradiso, totus mundus inundatione punitus extitit, igne Sodoma, Amalecitæ armis, lepra Maria, Dathan, & Abyron terræ hiatu, mare Ægyptij, Israelitæ ignitis serpentibus; nunc morte quinque millia Assyrij, nunc Angeli ense, seu gladio, Iezi lepra fuit aspersus, modo Assyriam totus populus hebræus conductus, modoque Babyloniam, Holofernes interfectus, Anthiocus doloribus dilruptus, Nicanorus trucidatus, Anania, & Saphyra statim necati, Herodes à vermibus corrosus extitit. Desunt fortasse flagella? Et tamen omnia hæc, & cetera similia cum illis inferni comparata non sunt flagella, sed quasi flagella. Et quemadmodum taurus dum ad lanienam ducitur, stimulatus (dici potest) ab aciculis, & ad eam peruentus securibus percutitur: sic in mundo, aciculæ sunt flagella, sed intus infernum veræ secures erunt. O te pauperem, homo, si teipsum damnas, ò te pauperem, mulier, si te perdis: quia infernus tuum sepulcrum erit ardor ignis, atque flammarum, glacies, vermis, flagella, exilium, seruitus, stridores, tenebræ, fumi, lacrymæ, dolores, claui, anxietas, sitis, fetores, angores, tuæ deliciæ erunt; & ibi assidua tormenta experieris, æternas pœnas, perpetua supplicia, ardentes flammas, ignes indeficientes, miserrimos vlulatus, terrificæ cruces, dæmonum horrores, proprias, ac peculiares desperationes, vermes semper corrodentes, semper verberantes, resonantesque catenæ, olea continuo ebullientia tua crimina vindicabunt. Vbi semper in odoratu sulphur habebis, in visu diabolos, in auditu blasphemias, in gustu fames, in tactu vermes, & vbique tandem omnia malorum genera senties, atque percipies. Hoc, ò homo, hoc ò mulier, paululum excogita, paulatim mente reuolue. Et, si nunc ita mollis, ac tener es, quod non solum ignis scintilla, quæ te tangat, sed culex, musca, pulexque te angit, & aspere solicitat, ò te miserum, ac miseram quid quid in ardentissimo igne perages? Vnicum tangamus, quæso, D. Augustini verbum, scilicet, quot tormenta martyres, vel rei ex Adami die vsque ad præsens tempus passi, & quot ad mundi consummationem vsque etiam passuri, & experturi sunt, meditare, perpende, atque scrutare, & clare

Pœnas damnatorum nemo exprimere potest.

Pœna inferni omnes pœnas antecellunt.

Simile.

Pœnæ huius mundi sunt quasi pœna respectu pœnarum inferni.

Pœnæ inferni in quibus consistunt.

D. August.

Pœnas omnes mundi à principio vsque ad finem superat pœna inferni.

cognosces, quod omnia hæc semihoræ ignis, tormentorumq. inferni coëquata, nihil sunt. Et quod hoc ex veritate emanet, reminiscimini, inquam, quo ad ignem diuitem Epulonem, exclamantem: *Quia crucior in hac flamma*; & quo ad alia tormenta de ipso etiam dicitur: *Cum esset in tormentis, &c.*

Damnati illicò quod ad infernũ peruenerũt, passuri sunt pœnas. Quid plura? Non modo damnati, illicò ad infernum peruenti, tormenta sentient, sed maiori eorum pęna, antequam etiam eum ingrediantur, peracto iudicantis Christi iudicio, easdem statim percipient. Et quod verum, certumque sit, Apocalyp. cap. 1. audite: *Et plangent se super eum omnes tribus terræ*. Vbi nota, quod non placet quorumdam sententia existimantium hoc loco sermonem esse tantum de Iudæis, quamquam enim paulo ante Ioannes de Iudæis locutus fuerat, qui dixit: *Et videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt*: Quod ad Iudæos spectare clarum est: quia tamen simul de vniuersis hominibus dixerat: *Videbit eum omnis oculus*, non cogimus eum, cum adiunxit: *Et plangent super eum omnes tribus terræ*. Ad Iudæos tantum restringere, eo vel maxime, quod his verbis videatur respicere ad locum illum Matthæi 24. vbi Christus ait: *Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ*. Vbi Dominum non de solis Iudæis locutum fuisse perspicuum est. Idemque modus ipse vniuersè loquendi de omnibus terræ tribubus non obscure confirmat; qui non satis explicatur de Iudæis, qui ex omnibus tribubus toto orbe dispersi sunt, cum non dictum sit à Ioanne: *Omnes tribus in terra*; sed *omnes tribus terræ*: quod fusiorem significationem habet. Nec verò illud magni est ponderis, nomen tribus solere in sacris Litteris Iudæis attribui tam in Græco, quam in Latino codice, cum ex primaria impositione, accomodatione, & vsu non ad solos Iudæos pertinet; nam quod impositionem spectat, Athenienses populum in duodecim partes diuidebant, quarum vnamquamque tribum nominabant. Quo ad accomodationem verò, & vsum, non solis Iudæis hoc nomen attribui palam est ex Genesi 22. vbi Dominus loquens de omnibus gentibus, quæ in Christo erant benedicendæ, dixit Iacob patriarchæ: *Benedicentur in semine tuo cuncta tribus terræ*. Et Psal. 71. (Vbi etiam est sermo de omnium gentium ad Christum conuer-

Apoc. 1. 7.

Matt. 24. 30.

Tribus in scriptur intelligũtur vniuersaliter.

Gen. 22. 18.

Psal. 71. 18.

conuerſione) dicitur: *Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ*. Qua re arbitramur loqui Ioannem de omnibus in vniuerſum reprobis tam ex Iudæis, quam ex gentibus, qui vel Chriſti Fidem recipere noluerunt, vel eius præcepta non ſeruarunt. Hi omnes conſpectu Chriſti in extremo iudicio, maieſtate, & iudicandi poteſtate, quaque ipſorum damnatione intellecta, antequam ad infernum deſcendant, acerbiſsimo, & grauiſſimo dolore torquebuntur, infelicemq. ſuum ſtatum lamentantes, *plangent ſe ſuper eum*, hoc eſt, ſeipſos plangent, atque de ſeipſis conquerentur *ſuper eum*, hoc eſt, propter eum, vel non creditum, vel non dilectum, græce eſt pro plangant *præ doloris impatientia corpus dilacerare*, quod magis adhuc explicat reproborum dolorem. Eſt locus ſimilis apud Zachar. 12. quamuis non de omnibus reprobis, ſed de Iudæis tantum reprobis loquetur, vt patet ex ipſo contextu, qui in extremo iudicio Chriſtum iudicem intuentes, peculiarem præ ceteris gentibus habebunt dolendi cauſam: *Et plangent*, inquit, *eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebũt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti*. Solet Scriptura ſacra planctum maximum, ei, qui fit in morte vnigeniti comparare, veluti Amos 8. vbi dicitur: *Ponam eam quaſi luctum vnigeniti, & nouiſſima eius quaſi diem amarum*. Recte igitur dicitur, plangent ſe, quia ſeipſos Iudæi plangent, ſeu de ſeipſis conquerentur. Quod Septuaginta expreſſerunt transferentes, *plangent ſuper ſe planctum*. Cum autem Chriſtus eorum primogenitus appelletur, ſignificatur originem à Iudæis traxiſſe. Ceterum nota circa hoc aliquas obſeruationes. Prima obſeruatio eſt Ruperti; non tamen hic, ſed in locum Zachariæ citatum: *Recte hunc planctum comparari planctui ſuper vnigenitum, quia infeliciſsimum*, inquit, *erit amiſiſſe Saluatorem vnicum, & vnigenitum*. Hæc ille. Ita, vt iam nec ipſum, nec alium expectare integrum ſit, quo omnes imitentur ad ſalutem procurandam: quippe quæ ſemel amiſſa finaliter, vt loquuntur Scholaſtici, iterum recuperari non poteſt. Secunda obſeruatio eſt in illo modo loquendi: *plangent ſe ſuper eum*: ſeipſos enim reprobi plangent ſuper Chriſtum, quia, videlicet ſua morum culpa eum recipere, & amare noluerunt, iuxta illud Oſææ 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*, ideſt, tu es auctor tuæ perditionis, & tuarum omnium calamita-

Damnati conſpectu Chriſti in extremo iudicio, acerbiſſime torquebuntur.

Zach. 12. 10.

Amos 8. 10.

Iudæi in iudicio ſeipſos plãgent.

Septuaginta.

Rupertus in Zachar.

Salus ſemel amiſsa recuperari non poteſt.

Oſææ 13. 9.

tum tibi causa extitisti: qua re non est cur mihi succenseas; nam quod ad me attinet, ego seruare te volui, & omnibus in rebus tueri: hic enim sensus colligitur ex Paraphrasi Chaldaica, quæ sic habet: *Cum vos deprauatis opera vestra, ô domus Israel, dominantur in vos populi, sed quoties conuersi estis ad legem meam, verbum meum fuit vobis præsidio.* Quamquam Diuus Hieronymus aliter interpretetur, hoc sensu: *Infelix Israel, & dignus maledictione perpetua, qui in tantum impietatis descendit profundum, vt solius Dei saluetur misericordia. Quo significatur nihil meriti esse in Israel, vt saluus fiat; sed vetera merita nouis peccatis diluisse.* Hæc ille. Et ad meam redeundo rem, dico, quod hic pœnarum inferni magnitudinem considerare potestis: nam antequam experiri eas incipiant, earum maximum horrorem, dolorem, & angustiam sentiunt, atque percipiunt: ita, quod amarissimis lacrymis, atque suspirijs damnati ad inferna condemnabuntur, atque trahentur.

Paraphras. Chaldaica.

D. Hieron.

Pœnarum inferni magnitudo consideranda.

Et (vt finem imponamus) quoad ad tertium, quod vobis fui pollicitus, & quo ad tertium huius lectionis caput, & meditari, & mente reuoluere oportet, quod, licet inferni pœnæ ita numerosæ, & atroces sint, insuper additur, & adest (& hoc illud est, quod omnia superat) ipsas æternas esse, atque indeficientes; & propterea dicitur, quod *in inferno nulla est redemptio.* Origeni hic adscribitur error, scilicet, quod inferni pœnæ semper permansuræ non sint. Sed ne vera tegam, quisquis sit se allucinetur, nec tantum potens malum excogitare, res interpolat non quo modo sunt, sed quo modo vellet, vt essent; nam tandem nimirum clara est lux veritatis; & ecce Isai. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et Apoc. 14. *Et fumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum.* Ter dicitur in D. Matth. 25. quod Christus in finali sententia dicet. *Ite maledicti in ignem æternum.* Et diuiti epuloni dictum fuit: *Magnum chaos est inter nos, & vos, quia post mortem nequeunt merita mutari*, ait interlinearis Glossa; & ideò pœnæ, æternæ futuræ sunt. Et iure D. August. ait epist. 49. quæst. 4. & in 21. de Ciuit. Dei cap. 18. & alibi: *Qua re pœna finire debet si culpa non finit?* Et damnati semper inimici, Deumque blasphemantes remanebunt. Itaque

Pœnas inferni æternas esse nihil dubiũ est.

Isai. 66. 24.

Apoc. 14. 11.

Matt. 25. 41.

Glossa interlin.

D. Aug. ep. 49. q. 4. & 21. de Ciuit. Dei c. 18.

Itaque si ipsis peccandi potentia non deesset, voluntas quidem numquam eos deficeret. Qua re Deus pœnam terminare debet vbi culpa terminum non reperit? Immò: *Miserationes eius super omnia opera eius:* quod infinite intensiue, & extensiue eos punire debens, solum extensiue castigat, & facit, quod semper pœna permaneat. Et profectò ignis aliquando in hoc mundo ardere desistit, quia ligna ei desunt, vel combustibile aliquid deficit; quod si perpetua existeret combustibilis materia, proculdubio perpetuò etiam ignis arderet. Sed quæ nam infernalis ignis sunt ligna? nisi culpæ? nisi malæ alterius voluntates? Sed quia hæ prauæ voluntates in damnatis semper persistunt; & ideò mirum non est si etiam perpetuo permanet ignis. Vidistis ne vmquam lusores ita obstinatos, ac male assuetos, qui quoad seipsos vsque ad mediam noctem ludere quidem remanent, quia, nescio quo modo fax eis deest, vel lucerna: sed, quo ad se, si lumen ardebat, voluntas ludendi profectò non deficiebat? Et sic tu peccator nempe peccare forsan cessabis, quando tibi vitæ lumen deerit, cum amplius viuere non possis, te ideò male operandi voluntas non derelinquendo: & propteperea mirum non erit, si te supplicium non omittet, & tam iniquæ voluntatis pęna. Sed interim odire diues hæc omnia auribus percipiens quomodo pius, ac misericors non euades, & pauperi auxilium non præstas? Heu mihi (ait Diuus Chrysostomus homil. 27. in varijs locis in Matth.) tu diues epulas, ac cibos mundi lautiores ingurgitas, ac deuoras, & pauperi parum alimenti denegas. Tu ex cunctis animalibus, & lanam, & pellem, vt te illis induaris, extrahis, & diligenter quæris; & pauperi parum lanæ, & lini, vt nudus non incedat, denegas. Tu domi tuæ nihil, præter porfidi, marmoris, cedri, & (quod magis refert) argenti, aurique vides, & cernis: pauper verò ante ianuam tuam pro cubili terra, pro operimento cælo vtitur? & tamen scis, quod, tam pro te, quam pro illo pauper ille, cui auxilium non præstas, est homo similis tibi; nonne fortasse est etiam ille, cuius causas cæli firmati sunt, dilatatum mare, super aquas terra fundata, pro quo oritur, & occidit Sol, Luna augetur, stellæque micant? Pro quo aues, animalia quæcumque, agri, vineæ, siluæ formatæ sunt? Sed pauca loquor. Pro quo filius Dei sanguinem fudit? Et ideò ipsemet ait,

Damnatorũ voluntas peccandi numquã deficiet.

Deus punit dãnatos solum extrinsece.

Simile.

quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: Ita, quod tu canem tuum fameſcere cernis, & cibum illi miniſtras, & pauperem in Dei Filio eſurire cognoſcis, & pietatis argumentum non oſtendis? Et ideò mirum non eſt, ſi in die iudicij miſericordiam poſtulare ab illo non audebis, cui pietatem denegaſti.

TRIGESIMA SECVNDA LECTIO.

De Beatorum condicionibus.

IN QVA QVINQVE CONDICIONES explanantur. Prima de lautissima cœna, quam Deus Beatis præparauit. Secunda, de inuitatorum multitudine, & varietate. Tertia, de loco, vbi hæc cœna celebratur. Quarta, de huius cœnæ ministrorum dignitate. Quinta, & postrema de inuitantis ad hanc cœnam hilaritate.

PRIMA PARS.

ET ecce iam (ò Roma) quod gratia Dei ad vltimum peruenimus, vltimumq. attinximus, quod vobis fui loquutus, & ad quintam pennam nostri flabelli, quæ nil aliud innuit, quam memoriam, quæ à nobis perpetuo conferuari debet, magnitudinum, ac excellentiarum, quas omnipotens Deus Beatis, eiusque electis parauit. Penna, inquam ad quamlibet curam terrenam, infandumq. cogitatum quodcumque repellendum profecto aptissima. Et iure; nam illi, qui mortis, finalis iudicij, inferni pœnarum timore: & passionis Christi pietate, ad hoc sanctum facinus adimplendum se non excitauerunt: à dulcedine tamen, ac suauitate beatitudinis, & gloriæ inuitati, capti, & allecti seipsos moueant, ipsumque adimpleant: ad instar illorum immanium leonum, qui, licet reperiantur sub prius eos dominantis, & mansuefacientis disciplina; nihilominus ita morosi, *Simile.*

rosi, superbique existunt, quod quamquam minetur, eisque flagellum demonstretur, non mouentur, & domino non obediunt, vbi etiam si ab ipsomet dominante, & mansuefaciente bolum, ac cibum eis suauem, ac gratum porrigit, vel iacitur, stant, mouentur, & denique domini eorum nutibus obtemperant, & credunt. Et tu homo, tuque mulier, si vsque adhuc à mortis, iudicij, ac inferni terrore non es mota, à dulcedine saltem gloriæ, ac beatitudinis excitare. Et, vt id cumulate adimpleas, ecce, te quinque prærogatiuas doceo, vt mediteris, & contempleris eas. Quarum prima est lautissima cœna, quam Deus omnipotens beatis præparauit. Secunda, domus, ac amœnissimus locus, in quo hæc cęna parata est. Tertia, multitudo, & varietas illorum, qui ad hanc cęnam & inuitati, & introducti sunt. Quarta, dignitas, ac magnitudo ministrorum, qui huic cęnæ inseruient. Quinta denique, iucundus vultus, & aspectus illius, qui ad cęnam inuitauit. De omnibus his quinque in hac lectione loquemur. Attendite.

Homo saltē gloriæ dulcedine debet peccatum relinquere.

Lectionis diuisio in quinque capita.

Gloria, cænæ comparatur.

Luc. 14. 16.

Apoc. 19. 9.

ET primum, quod gloria iustè cęna appellari possit, & cęna, inquam, lautissima, nulli dubium accidit, nam ipsemet Christus de ea loquens, inquit in D. Luc. cap. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam*. Et in Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*. Immò D. Lucas sequitur: *Misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis*. annuere volens, quod si ad æternam refectionem sancti congruo tempore aduocantur: quæ cęna, & refectio varijs similitudinibus in sacra exprimitur Scriptura. Nam Apocal. 7. comparatur cuidam fonti viuo, in quo greges sitientes saturantur, dicens: *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*. Ad quod alluxit Regius Vates Psal. 41. cum dixit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Vbi commemoratur illud ceruorum grauatum cornibus, & ætate serpentem narium afflatu à cauernis extrahere, illum deglutire, & vi veneni extuantem ad fontem currere, & potare, & sic totum immutari, & florescere. Et Psal. 35. alia exprimens similitudinem, dixit: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*. Quæ similitudo meritò illi cęnæ aptatur duplici de causa. Prima propter torrentem, qui suo impetu, & copia

Sancti ad cænā gloriæ vocantur.

Apoc. 7. 17.

Psal. 41. 2.

Ceruorum natura.

Psal. 35. 9.

Gloria quare torrenti cōparatur.

copia, omnia obstacula secum deuoluit: ita superna voluptas omnia delectationi contraria in æternum destruit. Postrema ratio propter verbum illud *inebriabuntur*, vbi dicit Augustinus significari tantum vim dulcedinis, vt quemadmodum homines cum vinum inordinate bibunt, potestate mentis deturbantur: ita cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia humana mens à cælesti dulcedine inebriata, & absorta, quodam modo deficere videatur. Hoc idem exprimere volebat Micheas 4. cum aiebat. *Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam. Et non erit qui deterreat, quia os domini exercituum locutum est.* Per quas metaphoras, ficus, & vitis pro vulgata sacrarum litterarum phrasi, qui eius iucundus, tranquillus, & pacificus exprimi solet status æternæ felicitatis. Ideo dicit Propheta, quod quilibet beatus sedebit sub ficu, atque sub vite sua. Ratio, quia cum in illa æterna felicitate sit inexplicabilis dulcedo, iuxta illud Eccles. 24. *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum.* & iucundissima voluptatum omnium ebrietas iuxta illud Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ* (vt diximus) his duobus arborum generibus ea fuit exprimenda, quandoquidem ficus ob suorum fructuum suauitatem, dulcedinem sibi vindicet præ alijs arboribus, vitem autem vinum proferre, quod & Deum, & homines lætificet, inebrietve, colligitur ex illis eius verbis Iud. 9. *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat* Deum, *& homines?* Porro cum dicitur vinum lætificare Deum, intelligendum est de vino æternæ felicitatis, quo solo, Deus lætificatur, iuxtá illud Matth. 26. *Dico autem vobis*, Non bibam *amodo de hoc genimine vitis*, idest, de hoc vino, quod ex vite generatur, quodue est fructus vitis, *vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno* Patris *mei*, quę verba quamquam diuersimode exponi soleant; congruentissime tamen ex sententia antiquorum Patrum de vita beata sumuntur. Et quidem cum æterna felicitate vinum nouum optime congruit: Hebræorum enim phrasi nouum id dicitur, quod & præstans, suaue, & iucundum est, cum soleant Hebræi, quorum phrasim Christus sequutus est, quidquid præstantius est, atque suauius nouum illud appellare, vt sæpius in Psal. 95. dictum reperimus, videlicet, *Cantate domino canticum nouum*, idest, eximium, maximeque suaue: vnde apparet, quòd à Domino facta parabola vitis terrestris; ac si dixisset.

D. *August.* *Gloria dulcedo.*

Micheas 4. 4.

Ficus, & Vitis pro gloria vsurpatur.

Eccl. 24. 27.

Psal. 35. 9.

Vinum Deum, & homines lætificat.

Iudic. 9. 13.

Vinum pro æterna felicitate accipitur.

Matt. 26. 29.

Vinum nouum cum æterna felicitate optime congruit.

Psal. 95. 1.

quam-

quamuis admodum suaue sit vinum quod gignitur de vite terrena; non bibam tamen amplius de illo: multoque suauius bibam vinum felicitatis æternæ, quod ex cælesti, diuinaque vite producitur. Hinc sponsus Cantic. 2. loquens de felicitate, atque beatitudine sponsæ, ait: *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.*

Cant. 2. 13.

Ciborum varietas in æterna felicitate.

In qua cęna Deus tantum præparauit ipsis beatis ciborum varietatem, & ferculorum diuersitatem, idest, præmiorum, & gaudiorum multitudinem, quod omnes Arithmetici huius mundi non possent ea numerare, omnes Geometræ non possent mensurare, omnes Grammatici, Rhetorici, Dialectici non possent ea sermonibus explicare. Ideo merito de eis dicitur, *quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Vnde Isa. 35. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.* Et D. Bernardus ait. *Gaudium erit iusto intus, & extra, gaudium sursum, atque deorsum, gaudium circumcirca, vbique gaudium plenum.* Hæc ille. Vnde de his ferculis dici potest illud, quod dictum fuit Genes. 1. De toto vniuerso post rerum creationem: *Vidit, scilicet, Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; quæ verba licet, vt dixi, de singulis creaturis in exordio earum formationis dicta sint, vbi perfectio à Deo ipsis creaturis insitas describatur, hoc sensu, vidit Deus, idest, se cum voluptate ad videndum conuertit, cuncta, quæ fecerat, idest, ornate, subtiliter, ingeniosè, eleganter effecerat, & ad solutionem perduxerat. *Et erant valde bona*, idest, aspectu iucundissima, & ad omnem vsum, & vtilitatem comparata. Verbum vero *fecit* in Hebræo hunc sensum retinet; nam 2. Reg. 19. Vbi dicitur: *Descendit in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba*, Hebraicè est, *Non fecit pedes suos, & non fecit barbam suam*, idest, non præparauerat, neque ornauerat barbam suam, neque ornauerat se: integer Hebraismus est; ideo eleganter Septuaginta dixerunt, *non curauerat pedes suos, neque fecerat vngues, neque fecerat barbam suam*, idest, non aptauerat, neque concinnauerat. Ad hoc attinet illud Iob. 10. cum dixit. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Allegoricè tamen ad beatorum gaudia in patria referenda sunt, cum non solum valde bona, sed optima sunt censenda; non solum, quia essentialiter bona, sed quia veluti diuersæ creaturæ, diuersa sunt.

1. Cor. 2. 9. Isa. 35. 10.

D. Bernard.

Genes. 1. 31.

Creaturarũ perfectio.

2. Reg. 19. 24

Facere pro præparare accipitur.

Septuaginta.

Iob. 10. 8.

Beatorum gaudia allegoricè describuntur.

Est & alia huius cœnæ præstantia, nempe illius diuturnitas,

tas, & æternitas: vnde Regius Vates Pſalm.5. *In æternum*, inquit, *exultabunt, & habitabis in eis*. Et Ioann.Apocal. 7. *Et ſeruient ei die, ac nocte in templo eius*, vbi illud die, ad nocte, non indicat in cælo eſſe dierum, ac noctium viciſſitudines, cum 22. dicat idem Ioannes nullam ibi noctem eſſe, ſed linguæ Hebrææ idiotiſmo continuationem, & perpetuationẽ ſignificat abſque vlla intermiſsione: quo ſenſu idem cap. 4. de animalibus aiebat, quòd non haberent requiem die, ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Et Pſal. 1. *Et in lege eius meditabitur die, ac nocte*. Et Iſa. 62. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt*. Vnde Hieronymus lib. 3. in Zachar. explicans illa verba cap. 14. *Et erit dies vna, quæ nota eſt domino, non dies, neque nox, & in tempore veſperi erit lux*, ait *In beatitudine vna dies, atque perpetua, nequaquam ſibi luce, tenebriſque die, ac nocte ſuccedentibus, ſed ipſe dominus erit lux omnium*. Hæc ille. Ideo Apoc. 2. dicitur. *eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; nam quod beatitudo ſit corona, & corona aurea, dicemus poſtea: nunc probandum eſt eſſe vitæ coronam: cuius rei duplex eſt ratio; prior eſt, vt alludatur ad vitam quam ſancti propter Deum neglexerunt ſtrenue mortem pro eius honore appetentes. quam rationem innuit Ricardus de Sancto Victore, & Ioachimus dicit, *Corona vitæ promittitur, quia ij, qui donant vitam Deo cum triumpho pretioſæ mortis præueniunt ad veram vitam, quoniam vt conſeruare poſſent in regno, eam in exilio perdiderunt, iuxta illud Ioan. 12. qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*. Hæc ille. Significatur ergo ſanctus pro Chriſto non amiſiſſe vitam moriendo, ſed eam in meliorem commutaſſe. Immo illa poſtea tamquam corona, quam amiſiſſe videbantur, coronari. Poſterior ratio eſt, ad noſtrum faciens inſtitutum, vt fiat alluſio ad flores, ex quibus gloriæ corona contexitur, & ſignificatur ſempiternæ gloriæ duratio. Quo ſenſu appellatur corona vitæ, quia ſemper viuent, hoc eſt, numquam langueſcent, aut demorientur flores, ex quibus conficitur. quo proculdubio videtur alluſiſſe Petr. 1. ſua epiſt. cap. 5. cum eam appellauerit *immarceſcibilem*: quam eamdem ob cauſam ſtatus beatorum comparatur veris tempori: quo tempore campus omni florum genere veſtitur: & arbores in gemmas erumpunt, iuxta illud Cant. 2.

Apc. 7. 15.
Diei ac noctis continuatio æternitatem ſignificat.
Apoc. 22.
Apoc. 4. 8.
Pſal. 1. 2.
Iſa. 62. 6.
Hieron lib. 3 in Zachar.
Zach. 14. 7.
Apoc. 2. 10.
Beatitudo corona dicitur.
Ricard. de S. Victore Ioachimus.
Ioa. 12. 25.
Sancti pro Chriſto vitam amittendo in meliorem commutauerũt.
Beatitudo corona vitæ dicitur.
1. Pet. 5. 4.
Cant. 2. 11.

Iam

Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra. Huiusmodi igitur corona fideli, idest, perseueranti vsque ad mortem promittitur. Id, quod etiam aliter sequentibus versibus explicatur, cum dicitur. *Qui vicerit non lædetur à morte secunda*. Vbi per mortem secundam intelligitur æterna damnatio: quæ mors secunda dicitur tum comparatione mortis corporalis, qua anima à corpore separatur, tum comparatione culpæ, quæ mors prima est, & causa huius mortis secundæ.

Mors secunda, æterna damnatio dicitur.

Postrema huius cœnæ pretiositas est quietis securitas, & firmitas. Vnde Isa. 32. *& sedebit populus meus in plenitudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta*. Hinc est, quòd Ioannes Apoc. 21. describens ciuitatem illam cælestem, posuit pro primo fundamento muri, Iaspidem pretiosum, gemmam, quæ aduersus timores dicitur esse præstantissima. Vnde Prosper de vita contemplatiua loquens de illa beata vita, ait, *Vbi est certa securitas, secura tranquillitas, felix æternitas, æterna felicitas: vbi est amor perfectus, timor nullus*. *Vnde Regius Vates* Psal. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Hæc ille. Sed luculentius idem Regius Vates Psal. 147. id expressit, cum dixit, *Lauda Ierusalem dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te; qui posuit fines tuos pacem*. Etenim hunc psalmum multi de cælesti Ierusalem, & gloria Beatorum anagogicè interpretantur, voluntque duplicem similitudinem firmitatem eius fuisse expressam, vna, cum dicitur. *Confortauit seras portarum tuarum*, vt nullus iam hostis eas possit infringere, & felicitatem beatis eripere. Altera cum subiungitur, *qui posuit fines tuos pacem*. Quid enim iam timendum restat illi ciuitati, cui pro finibus, & pro membris ipsa est pax securissima, & inexpugnabilis tributa? Idem quoque fuit figuratum in Mosayco illo tabernaculo, quod quia propter pelles hiacynthinas ipsum cooperientes, cælum à longe aspicientibus representabat, vt auctor est Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 7. iure optimo cælestis gloriæ symbolum censeri potest, iuxta illud Psal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria domini*. Quemadmodum igitur illud tabernaculum ex lignis Sethim, quæ imputribilia fuisse Hebræi docent, & cedros interpretantur, fuit iussu domini fabricatum: ita beatorum gloria

Beatitudinis securitas.
Isa. 32. 18.
Apoc. 21. 11.
Beatitudinis primum fundamentum.
Prosper de vita contemplatiua.
Psal. 90. 10.
Psal. 147. 2.
Beatitudinis securitas.
Beatitudinis duplex similitudo.
Beatitudinis figura.
Ioseph lib. 3. antiquit. c. 7.
Psal. 83. 1
Beatitudo expers omnis corruptionis.

gloria corruptionis omnino expers eſt, atque adeo in eodem ſemper ſtatus in omnem æternitatem firmiſsima permanens.

Secunda condicio eſt diſcumbentium multitudo, & varietas, quæ tanta erit, vt meritò Ioan. Apoc. 7. dicat. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, &c. Vidi turbam magnam*, ecce multitudo: *ex omnibus gentibus*, ecce varietas. quo ad multitudinem nihil dubij eſt magnam afferre beatis pulchritudinem, vt in omni genere rerum pulcherrimarum cernere licet; quod quidem Chriſtus expreſsè Matth. 8. dicens: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, &* Iacob *in regno cælorum*. Et Apoc. 6. dicitur de beatis. *Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec impleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi*. Vbi quæritur quænam ſint illæ ſtolæ ſingulæ, quæ ſingulis animabus datæ ſunt, & licet communis expoſitio eſt, intelligendam eſſe glorificationem animæ: quæ ſanctis ante reſurrectionem corporum tribuitur; ita hic tenent Riccardus de S. Victore, Beda, Ambroſius, Anſbertus, Haimo, & reliqui. Tamen Primaſius intelligit ſummam quamdam lætitiam, quam ex ea reuelatione conceperunt, cum eis dictum eſt multos adhuc præterea martyres, & ſanctos futuros eſſe, quorum conſortio frui deberent. Vnde illud meritò colligas multum ad gloriæ accidentalis rationem pertinere ipſam ſanctorum multitudinem, & ſocietatem: immo & in hac vita mortali multorum iuſtorum conuentum cuiuſmodi eſt in ſanctis Religionum ordinibus, ſpecimen quoddam eſſe felicitatis ſempiternæ, ſiquidem in gloria ipſa beatorum conuictus, & ſocietas ad accidentalem eorum felicitatem ita pertinet, vt ex eiuſmodi multitudine, & communione dicantur hoc loco ſancti mirificâ quadam perfundi iucunditatate; quam per ſtolas exprimi vult Primaſius. Rectè igitur cecinit Regius Vates Pſal. 132. *Ecce quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*: quod magis adhuc explicauit, duplicem addens ſimilitudinem, vnam deſumpta ex vnguento illo aromatico ex varijs odoribus myrrhæ, cinnamomi, & balſami confecto, quo ſummus ſacerdos vngebatur. *ſicut vnguentum*, inquit, *in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. quod deſcendit in oram veſtimenti eius*. Alteram deſumptam ex rore, qui montes aſpergit, & fecundat

Iudæę

Beatitudinis ſecunda condicio.

Apoc. 7. 9.

Multitudo magna affert beatis pulcritudinem.

Matt. 8. 11.

Apoc. 6. 11.

Beatorum ſtolæ quæ ſint.

Ricardus de S. Victore.

Beda.

Ambroſ.

Anſbertus.

Haymo.

Primaſius.

Societas magnā affert beatis gloriam accidentalem.

Pſal. 132. 1.

Iudææ: *Sicut ros Hermon*, inquit, *qui descendit in montem Sion*. Alij volunt ex hebræo, qui mons est prope Iordanem Libano vicinus, cum sit perpetua niue conspersus, continuo vapores ascendere, qui in rorem concreti, montem Sion fecundissime aspergunt. Sic multitudo beatorum illam beatam patriam fecundam reddit.

Beatorum multitudo fecundã redduunt gloriã.

Quo verò ad discumbentium varietatem spectat, hoc etiam ad cælestem illius patriæ gloriam, & præstantiam maxime pertinet, quamuis per se singuli sancti pulcherrimi sint,& admirandi: ipsa tamen varietas multo maiorem pulchritudinem, & excellentiam continet. Hinc est, quod Matth. 5. Christus octo connumerauit genera beatitudinum, in quo numero singula virtutum genera comprehendit, vt in his beatorum admirabilis varietas pateret, & quod maiori admiratione dignum est, in tanta multitudine, & varietate maximam reperiri concordiam. Quam consensionem Glossa ordinaria vult fuisse typice indicatam 3. Reg. 6. cum de Cherubim à Salomone rege fabrefactis dicitur mensura vna vtriusque fuisse. Atque has omnes tres beatorum proprietates, multitudinem, videlicet, varietatem, & concordiam expendit D. August. in Commentar. Psal. 150. quod totum de beatis intelligit. Etenim vult beatos ibi esse expressos in tubis, psalterijs, cytharis, tympanis, cordis, organis, & cymbalis bene sonantibus: In quibus omnibus multitudo, & varietas cum summa harmonia, concentuque coniuncta reperitur: H*abebunt*, inquit, *etiam tunc sancti differentias suas consonantes, non dissonantes, idest, consentientes, non dissentientes, sicut concentus suauissimus fit ex diuersis quidem, sed non aduersis sonis*. Hæc ille.

Beatorum varietas pulcritudinem ipsis affert.
Matt. 5. 3.
Glossa ordinaria.
3. Reg. 6.
D. *August. in commen ps.* 150.
Beati per quid exprimuntur in psal.

Tertia conditio huius cœnæ est domus, vbi celebranda est, nempe cælum empireum. Vnde Paul. 2. Cor. 1. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur domum non manufactam æternam in cælis*; ideò de illa amœna regione cælesti dicit Bernardus: *O beata regio Paradisi, ò beata regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lacrymarum, vbi sapientia sine ignorantia, vbi memoria sine obliuione, vbi intellectus sine errore, vbi ratio sine obscuritate fulgebit*. Hæc ille. Hoc etiam annuere volet Regius Vates Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum*. In quo loco dicit Chrysostomus homil. 9. ad populum Antiochænum: *Quo modo*

Beatorum tertia conditio.
2. Cor. 1. 1.
Quod ædificatione ex Deo habemus.
D. *Bernard.*
Psal. 18. 1.
D. *Chrysost hom 9 ad populum Antiochænum.*

modo cæli enarrant? Per ipsum aspectum tacet cælum; sed eius aspectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures nos docet, in hunc pariter librum, & idiota, & sapiens intueri possunt: quod idem Propheta intuens, dixit: Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum, idest, à quibus, non audiantur voces eorum: idest, non est gens, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non possit. Hæc ille. Quę expositio germana sic enim transferri posset ex hebræo: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quibus, idest, à quibus non audiantur voces cælorum.* Vbi nota primo, quod, cum dicimus cælos enarrare gloriam Dei, non intelligimus, vt intellexit Caietanus, illos animatos, nam idem Doctor exponens illa verba Iob 21. *Numquid Deum docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat.* Ex quo loco existimat colligi posse, quod apud antiquos credebatur cælos esse animatos. Præterea, quod hoc loco dicatur Deus iudicare cælos, multos satius alij exponentes Deum dici iudicare cælos, idest, iudicare in cælis, vel quod in cælis sedere iudicatur supremus iudex; quasi in scabellis, iuxta illud Iob 16. *Ecce enim in cælis testis meus, & conscius meus in excelsis*, vel excelsus iudicat, idest, homicidas, qui sunt potentiores, vel Angelos, quos damnauit, vel iudices, qui in sublimi sedere solent: vel, vt Diuus Thomas ait, *excelsos*, idest, potentissimos homines, & epulentissimos. Nota secundo, Philosophi, sex cæli positiones admittunt, sursum, & deorsum, ante, & retro, dexteram, & sinistram: quas omnes non aliter in cælo statui oporteret quam ex analogia quadam, & comparatione cælestis motus ad animalium motum, & partes: ex quibus sex positionibus quatuor tantum Scriptura vsurpat; sed consideratione, & ratione nominibus diuersas, videlicet, ante, & retro, dexterum, & sinistrum, quod istæ præcipue sunt, & vsu, atque ore hominum frequentiores; ante, idest, oriens; retro, idest, occidens; dexterum, idest, meridies, quo itur ad polum antarticum, & quo porrigitur dextera hominis capite, conuersione, & gestu sumpta est. Namque Hebræi, Arabesque ad orientem adorabant, & ad ortum oculos, faciemque conuertebant. Ergo cum caput in oriente figerent dexterum relinquebant meridiem, sinistrum aquilonem. Hinc Scriptura pars antica orientalis, postica accidentalis, australis dextera, aquilonaris sinistra. Igitur cum plures cælum habeat positiones, plures etiam mansiones habet, iuxta

Cæli quomodo enarrant gloriã Dei.

Caietani error circa cælorũ materiam.

Iob 21.22.

Cælos esse animatos apud antiquos censetur.

Iob 16.20.

D. Thom.

Cælorum sex positiones secundũ Philosophi.

Cælorum diuersæ positiones.

Ioan. 14.2. illud Ioan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*: vnde & Pythagoræ sententia orta est, mundum musica ratione esse compositum. Ratio, quia sicut musica pluribus componitur vocibus, totque diuersis, sic cælum plures, totque diuersas habet positiones: ideò Psal. 18. dicitur: *In omnem terram exiuit sonus eorum*, quo significatur cælorum musicam ad lineam, & amussim fuisse coniunctam, atque hinc orta quoque est multorum opinatio existimantium corpora cælestia concentum edere. Sic enim affirmauit Philo hebræus lib. de sonis. D. Ambros. præfat. in Psal. Boetius lib. 1. de music cap. 2. Isidor. lib. 3. Ethim. cap. 16. D. Ansel. de imag. mund. Plinius lib. 2. hist. natur. cap. 3. Macr. lib. 2. in somnium Scipion. Cælius Rhodig. lib. 5. lect. antiqu. cap. 15. immò & Plat. lib. de republ. docet singulis orbibus cælestibus singulas syrenas insidere: quod idem refert Georgius Venetus problem. in sacr. Script. lect. 5. num. 321. Nec multum abhorrent ab hac sententia diuinæ Litteræ, cum dicatur Iob 38. *Quis enarrabit cælorum rationem? & concentum cæli quis dormire faciat?* Itaque cælum domus quædam est non solum musica plena, sed ipsamet harmonia, quæ summa cum iucunditate beatis habitationem præbet. Id, quod affirmat D. Basilius homil. 1. in Examer. vbi mundum appellat doctrinæ, & institutionum domicilium summarum mentium. & homil. 11. eiusdem operis: *Vniuersa*, inquit, *hæc mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus, palam contestans, & prædicans gloriam* Dei, *illiusque augustissimam maiestatem*. Hæc ille. Quousque adeo verum existimauit Origenes in Commentarijs super Gen. super illa verba c. 1. *Vt sint signa*, quemadmodum refert Eusebius de præparat. Euang. lib. 6. cap. 9. vt perperam asseruit stellas positas esse in cælo, vt significarent vniuersas, & singulas rerum humanarum causas. Quia nimirum Deus in stellis disposuisset rationes omnium rerum futurarum, & supernorum spirituum virtutes, in eis, veluti in lib. legerent quæcumque hominibus citra vllam liberi arbitrij coactionem per singula temporum momenta essent euentura: & inde aliquam huius scientiæ partem, quæ humani negotij vires superet, hominibus siderum obseruatoribus reuelarent. Iuxta quem sensum existimauit intelligendam esse sententiam quamdam ex libro, cuius titulus est, narratio Ioseph, olimà multis catholicis receptus, in quo Iacob patriarcha inducitur in filios

suos,

Pythagoræ sẽtentia circa mundi armoniam.

Psal. 18.3.

Cæli musicam continent.

Philo Hebr. D. Ambros. Boetius. Isidorus. D. Anselm. Plin. Cælius Rhod. Plato. Georg. Venetus.

Iob 38.

D. *Basil. hom. 1. in Examer. & hom. 11. eiusdẽ operis.*

Origen. in commẽt. super Gen. Genes. 1. 14. *Euseb. de præp. Euang li. 6. c. 9.*

Deus in stellis rationes omniũ rerum disposuisse, aliqui affirmauere.

ſuos, hæc dicens: *Legi in tabulis cæli quæcumque euentura ſunt vobis, & filijs veſtris*. Sed hic eſt vnus ex erroribus illius. Interim ſufficit nobis ex dictis cælorum domus, & habitationis maximam præſtantiam colligere.

Hinc eſt, quod Chriſtus Dominus illam regnum nuncupauit Matth. 13. *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori habenti bonas margaritas*. Et in die iudicij, ſuis dicet electis Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum*. Et quidem, auditores (ſi id recte perpendimus) Deus quatuor regnorum Dominus eſt, quæ in ſeipſis omnia comprimunt, & amplectuntur. Primum quorum eſt, & appellatur regnum ſuperius, ſecundum inferius, tertium interius, exterius quartum. Primum eſt regnum Eccleſiæ triumphantis, ſecundum Eccleſiæ militantis, tertium animæ virtute præditæ, ſacræ Scripturæ quartum. In primo regno beati manent, in ſecundo fideles, in tertio deuoti, Theologi in quarto. Hæc affabre ſunt quatuor regna magni, & omnipotentis Dei immortalis; & qui nam ſcit, an hoc illud eſt, quod ipſemet Chriſtus in D. Lucam innuit cap. 13. cum dixit: *Videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei*. Quatuor heroum genera nominantur, Abraham primus, ſecundus Iſaac, tertius Iacob, quartus Prophetæ. Iſaac, qui riſum innuere vult; vnde in Geneſ. 21. dicitur *Vocauit nomen filij ſui Iſaac, dicens: Riſum fecit mihi Deus*, repræſentat cælorum regnum, gaudio, lætitiaque plenum. Abraham, qui pater appellatur multarum gentium, militantis Eccleſiæ fidelibus plenæ regnum nobis repræſentant, præcipue populi Gentilis. Iacob, qui ſignificare vult ſupplantator, animæ noſtræ regnum repræſentat: qui vna cum idololatria dæmonem à ſe expulit. Et tamdem Prophetæ ſacræ Scripturæ regnum demonſtrant, ſicuti illi, qui eam ſcripſere, ac compilauere. Deus igitur in omnibus his quatuor regnis, veluti verus, legitimuſque Rex reſidet, & imperat. Vnde Pſal. 67. dicebat: *Regna terræ cantate Deo*. Primo in quarto regno regnat (vt ab vltimo incipiam) ideſt, in ſacra Scriptura, veluti in ſecreto conſilio, vbi tantum principales, intimioreſq. ſui regni conueniunt, & vbi omnia ſecretiora, atque occultiora eius myſteria peraguntur. Et ideò cap. 4. Micheas aiebat: *Regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion*. In tertio regnat in anima noſtra, ſicuti in thalamo, vel cubili perbelle ornato lu-

Caleſtis habitatio regnū nuncupatur. Matt. 13. 45. Matt. 25. 34. *Deus Rex quatuor regnorum.* Luc. 13. 28. *Heroum genera quatuor in Scripturis.* Geneſ. 21. 7. *Abraham, ideſt, multarum gentium pater.* *Iacob ideſt ſupplantator.* Pſal. 67. 33. *Deus regnat in ſacra Scriptura veluti in ſecreto concilio.* Micheas 4. 7 *Deus regnat in anima noſtra,*

veluti in thalamo. mine fidei, tantiſque gratuitis donis. Et ideo 3. Reg. 2. de Salomone dicebatur, qui huius figura extitit: *Salomon ſedit ſuper thronum Dauid patris ſui, & firmatum eſt regnum eius.* In ſecundo regnat in militanti Eccleſia ſicuti in pulcherrimo exercitu peroptime ordinato, de quo Ieremias cap. 22. aiebat: *Regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Regnat (vt fine vtar) primò in cælo tamquam Rex magnificus in lautiſsimo, ac opulentiſsimo conuiuio. Vnde Luc. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Quid plura? Non ſolum regnum ſimpliciter dici poteſt gloria, ſed regnum, quod complectitur, & amplectitur omnia alia. Primo, ſcripturæ regnum complectitur, quia hic cumulate omnia eius arcana declarabuntur. Secundo, animæ noſtræ, quia hic completam quietem, ac tranquillitatem acquiremus. Tertio, militantis Eccleſiæ, quia hic cum triumphanti coniungetur. Videte igitur vos, qui nam eſt locus iſte, vbi magna gloriæ cœna celebrabitur. Nunc duo alia capita remanent declaranda, de quibus in ſecundam partem dicemus. Quieſcite.

[Margin: 3. Reg. 2. 12. — Deus regnat in militanti Eccleſia veluti in exercitu. — Ierem. 23. 5. — Luc. 14. 16. — Deus regnat in cælo veluti in lautiſsimo conuiuio. — Arcana Dei in Scripturis declarantur.]

SECVNDA PARS.

Ex quinque tandem animaduerſionibus, & contemplationibus, quæ haberi oportet circa Beatorum gloriam, tres ſatis iam aperuimus. Quarum prima fuit lautiſſima, ac vberrima cœna, quam Beatis ſuis Deus præparauit: Secunda, Beatorum multitudo, ac varietas: & denique tertia, ſcilicet, domus, vbi hæc cœna celebrari debet. Duæ aliæ remanent, magnitudo, videlicet, ac dignitas miniſtrorum huius cœnæ: & bonitas illius, qui præpraraui cœnam hanc. Et de his duobus in hac ſecunda parte loquemur. Attendite.

[Margin: Miniſtrorum dignitas in cælo. — Angeli tribus in locis nobis ad miniſtrant.]

Et primum, quo ad miniſtrorum dignitatem, & excellentiam, qui ſunt Angeli, à vobis notandum eſt, quod tribus in locis inſeruiant, & adminiſtrent iuſtis, Deique familiaribus. Primum in vita, ſecundo in morte, tertio in patria poſt mortem. Primum adminiſtrant, & inſeruiunt in hac vita;

ideò

ideò veniunt ad iustorum defensionem in morem castrorum, iuxta illud Psal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eum*. Quo loco pro *immittet*, Septuaginta transtulerunt, *castrametabitur*. Et D. Hieronymus ex hebræo vertit: *Circumdat in gyro*, vt apponatur hic Angelus dæmoni illi, qui etiam dicitur, *tamquam leo rugiens circuire*. Itaque significatur hunc Angelum, nempe Michaelem, qui alijs præsidet alios Angelos in more exercitus instruere ad fidelium defensionem: quod enim in star militum in acie Angeli nos tuentur, ostendit locus ille Genes. 34. vbi cum Iacob Angelos vidisset, dixit: *Castra Dei sunt hæc*. & 4. Reg. 6. *Mons erat plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei*. Et Christus Matt. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Constat enim legionem esse militiæ. Est igitur hic Angelus supremus angelici exercitus pro Deo imperator, sicut lucifer dæmonum; nam quod etiam dæmones in morem exercitus ordinentur aduersus homines, probat Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 20. ex verbis illis Luc. 8. vbi dæmon quæsitus à Christo quod nam sibi nomen esset; respondit, *legio*: quod nomen, vti diximus, militare est: *Cum inuenis*, inquit, *in vno homine multitudinem dæmonum, legionem se professam, disce Christum expugnatorem spiritualium hostium, spiritualiter armatum, spiritualiter bellicosum intelligendum, atque ita ipsum esse, qui cum legione quoque dæmonum erat dimicaturus, vt & de hoc bello intelligi possit illud Psal. 23. Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*. Hæc ille.

Psal. 33. 8.
Septuaginta.
D. Hieron.
1. Petr. 5. 8.
Michael Angelus, alijs Angelis præsidet.
Gen. 34. 32. 2
4. Reg. 6. 17.
Matt. 26. 25.
Legio, militiæ nomen retinet.
Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 20.
Luc. 8. 30.

Hinc est, quod, sicut Angeli sunt incorporei, attamen in figura humani corporis apparere leguntur, & sic etiam depinguntur. Vnde & varia membra corporis etiam in diuina Scriptura per quamdam similitudinem eis attribuuntur: in quibus varias actiones eorum inuisibiles exprimuntur. Depinguntur siquidem Angeli primo cum longa coma, & reflexis capillis, vt per hoc eorum mentales affectiones, & ordinatæ cogitationes intelligantur: nam capilli cogitationes significant, & etiam affectiones, quæ nascuntur ex radice mentis, iuxta illud Isai. 33. *Angeli pacis amare flebunt*. Item nares eis pictores attribuunt, quia peccata velut fœtida fugiunt; & virtutes, quasi quædam odorifera

Angeli licet sint incorporei tamen in corpore interdum apparent.
Angeli quomodo depinguntur.
Isai. 33. 7.
Angelis, quare diuersa mẽbra attribuuntur.

 dili-

diligunt, & inter munda, & immunda, fœtida, & aromatica sagacissime dijudicant, & distinguunt, iuxta illud Tobiæ 6. *Repone tibi cor, iecur, & fel*: item ora, linguas, labia habere etiam sæpius nominantur, quia diuina secreta quasi nobis loquendo proferunt, & diuinis laudibus continue intendũt, iuxta illud 4. Reg. 1. *Angelus autem Domini loquutus est ad Eliam*. Item imberbes depinguntur, vt quasi iuuenes, neque viribus, neque senio deficere ostendantur, iuxta illud eiusdem Tobiæ 5. *Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum*. Item dentes habere dicuntur, quia gratiam, quam à Deo accipiunt, alijs communicare, idest, quasi commolendo, diuidere consueuerunt: vnde in dentibus eorum, potestas actiua, & communicatiua merito designatur, iuxta illud Genes. 19. *Ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azima, & comederunt*, iuxta illud Psal. 103. Tamdem (& ad nos pertinet) brachia, & manus habere, quia virtute sua actiua, & permansiua nostras sustinent infirmitates, & vsque in finem ob electorum defensionem, & protectionem non desistunt, iuxta illud Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Secundo, deseruiunt eis in morte; nam animas beatorum de corporibus exeuntes, ad illius cœnæ cælestis dulcedinem perducent, vt habetur Luc. 16. vbi dicitur: *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ*. Tertio, & postremo deseruiunt illis in patria post mortem illos admirando, & contemplando, cum viderint eos tanto à Deo dilectos, vt corona ipsorum, Isai. 28. dici velit: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exaltationis residuo populi sui*. Quæ enim maior gratia esse potest, quam Deum ipsum coronam esse pulcherrimam, & sertum ornatissimum beatorum? vt creata omnia, immò ipsimet Angeli, ipsos tamquam reges, ac principes, & quasi quosdam Deos, vt puta, Deo ipso, veluti corona insignitos, reuereantur, & obseruent? Quid enim aliud facerent regni proceres, si cernerent regem suum ipsius coronam regalem capiti alicuius imponere? Quemadmodum Esther 6. contingit Mardochæo. Ideò dicitur hæc corona aurea, cuius figuram inuenies Exod. 28. vbi dicitur: *Arcam de lignis sethim compingite*, & infra sequitur, *& deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris: faciesque supra coronam auream per circuitum*. Sic enim beati-

Marginal notes: Tob. 6. 5. — *Angeli nobis diuina secreta aperiunt.* — 4. Reg. 1. 3. — Tob. 5. 5. — *Angeli gratiam quam à Deo accipiunt, alijs communicant.* — Genes. 19. 3. — *Angeli nostras sustinent infirmitates.* — Psal. 90. 11. — Luc. 16. 22. — *Angeli deseruiunt nobis in patria.* — Isa. 28. 5. — *Deus dicitur corona beatorum.* — Esther 6. — Exod. 28.

beatitudo primo arca est bonorum omnium, thesauros, ac diuitias continens. Secundo, coronam habens per circuitum, quia suo ambitu omnem durationem complectitur. Tertio, aurea, quia pretiosissima instar coronam omnium gemmarum genere exornate reperitur, iuxta illud Psal. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. Quæ gemmæ, vt ex sacris Litteris colligitur, duodecim sunt. Prima est sanitas sine ægritudine, iuxta illud Isai. 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum*. Secunda, plenitudo sine defectu: idem Isaias 49. *Non esurient, neque sitient amplius*. Tertia, refectio sine fastidio, Eccles. 24. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*. Quarta, scientia sine ignorātia 1.Cor.13.*Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem*. Quinta gaudium sine tristitia, Psal.35. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos:* nam modo comedimus agnum cum lactucis agrestibus, vt dicitur Exod. 2. Sexta, pax sine perturbatione Psal. 36. *Delectabuntur in multitudine pacis*. Septima, securitas sine timore Psal. 90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano*. Octaua, adimpletio omnium desideriorum Psal.102. *Qui repelet in bonis desiderium tuum*. Nona, lætitia de iustitia Dei, & pœna malorum, Psal.57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris*. Decima, gaudium de societate, & congregatione iustorum, quod fuit typice expressum in illo conuiuio, quod fecit Ioseph Genes. 45. omnibus fratribus suis simul congregatis. Vndecima, gaudium de consideratione bonorum, quæ quisque fecerit: in hanc enim sententiam potest exprimi illud Apoc. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos*. Duodecima, & postrema, gaudium de considera tione malorum, à quibus Deus vnumquemque beatum liberauit Psal. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ijs duodecim gaudijs, quasi duodecim gemmis pretiosissimis gloriæ corona constabit.

Beatitudo, area est bonorum omnium.

Corona beatorũ aurea quare vocatur.

Psal. 20.4.

Beatitudinis gẽmæ duodecim sunt.

Isa.25.8.

Isa.49.10.

Eccl.24.29.

1. Cor.13.12

Psal. 35.9.

Exod.2.

Psal. 36.11.

Psal.90.5.

Psal. 102.5.

Psal. 57.11.

Genes.45.

Gaudium beatorum de consideratione bonorum.

Apoc.14.13.

Psal.88.1.

Hinc duo oriuntur dubia. Primum, erunt ne tot homines beati, qui hanc merebuntur coronam, quot Angeli ceciderunt? Secundum, an sit maior numerus Angelorum, qui remanserunt, quàm hominum? Quo ad primum, vtrum tot præcisè homines assumendi sunt in gloriam, quot Angeli ceciderunt? iuxta illud Psal.109. *Iudicabit in nationibus, implebit*

Angeli an sunt in numero plures, quam homines.

Psal. 109.6.

D. Thom. 1 par. q.23 art.7. *plebit ruinas*. Et quidem fuerunt plerique (vt docet D. Tho. 1. par. q.23. art.7.) qui existimarunt tot præcisè ex hominibus esse prædestinatos, quot ex Angelis corruere: Cuius sententiæ videtur fuisse D. Bernardus serm. 68. in Cantic. & Auctor lib. de diligendo Deo cap. 3. potestque confirmari ex verbis prædictis Psalmi, scilicet: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas*: quibus videtur indicari illos tantum homines esse prædestinatos ex hominibus, quam sint reprobati ex angelis. Sic enim existimauit D. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo, cap. 18. Ad quam sententiam accedit D. Augustinus in Enchir. cap. 29. lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 1. Alij denique putarunt tot esse homines prædestinatos, quot Angeli remanserunt; quod disertis verbis affirmat D. Gregorius homil. 34. in Euang. vbi ait: *Suprema illa ciuitas ex Angelis, & hominibus constat, ad quod tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contingit electos Angelos remansisse*. Hæc ille. Verum hac in re nihil certe definiri potest, melius est cum D. Thoma loco citato, vt ipsa etiam Ecclesia confitetur soli Deo esse cognitum, scilicet, numerum electorum.

D. Bernar. ser. 63. in Cant. *Auctor. lib. de diligendo Deo cap. 3.* *D. Anselm li. 1. cur Deus homo c. 18.* *D. Aug. in Enchirid. c. 29 lib. 21. de Ciu. Dei c. 1.* *D. Greg. hom 34 in Euang.* *D. Thom.*

Homines an sint in maiori numero quam Angeli Apoc. 12. Quod verò spectat ad secundam dubitationem, an Angeli sint in maiori numero, quam homines vniuersi, qui sunt, fuerunt, & erunt? Et quidem, si cum Ioanne Apocalyp. 12. confiteri volumus, tertiam partem Angelorum cecidisse videtur, confici multo plures esse homines vniuersos, quam omnes Angeli. Nam, si tot homines, vt nimirum sunt prædestinati, quot Angeli corruerunt, cum tertia pars Angelorum ceciderit, iuxta hanc sententiam, multo minor est, quam tertia pars hominum. Cum tertia pars Angelorum, quæ cecidit suppleatur non ex tertia, immò nec ex decima parte hominum: dicendum tamen videtur multo maiorem esse numerum Angelorum. Quamquam Molina in comment. 1. par. quæst. 50. art. 3. disp. 2. nihil in hac re audeat statuere, & argumenta vtriusque partis dissoluat. Verum Angeli in maiori esse numero, quam homines, qui sunt, qui fuerunt, & erunt, præterquam quod ipsa Angelorum præstantia videtur postulare non obscure significari videntur locis illis sacræ Scripturæ, qui de Angelorum multitudine disserunt, veluti Daniel 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Et Iob 25. *Numquid est numerus militum eius*? Et Matt. 26. *Exhibebit mihi modo*

Homines an sint tot prædestinati quam Angeli. *Molin. in comm.* *Angeli sunt in maiori numero quam homines.* Dan. 7. 10. Iob. 25. 3. Matt. 26. 53.

modo plusquam duodecim legiones Angelorum. Et Apoc. 5. *Et vidi,& audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium.* Quibus in locis ponitur numerus certus pro incerto: & proculdubio significatur innumerabilis quidem Angelorum multitudo. Vnde Gregorius lib. 7. Moral. cap. 9. *Numerus*, inquit, *supernorum ciuium infinitus est, & definitus exprimitur, vt qui Deo est numerabilis demonstretur.* Hæc ille. Accidit & non leuis ratio, quoniam communis est Theologorum sententia, Angelorum custodes singulorum hominum esse ex infimo ordine, quemadmodum docet D.Thomas 1.par. q.113.ar.3. Vnusquisque homo, siue fidelis, siue infidelis habet suum custodem Angelum, vt auctor est D. Heronymus in illud Matt. 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* Hoc idem confirmant D. Chrysostomus homil. in Matth. & Auctor imperfecti operis homil. 40. D. Basilius lib. 3. ad Eunomium in Psal. 48. homil.2. de laudibus ieiunij, & super illa verba: *Dominabuntur eorum iusti in matutino.* Et D. Isidorus lib. de sum. bono,cap. 12. Nec verò videtur dicendum vnum,& eumdem Angelum successione temporis esse custodem plurium hominum: quamquam hoc certum non sit: tunc sic conficitur argumentum: omnes Angeli custodes sunt ex infimo ordine; & tot sunt Angeli custodes,quot sunt homines: dices eumdem Angelum successu temporis multorum hominum curam suscipere, adhuc eadem argumenti vis perseuerat, cum Angeli custodes non egrediantur infimum ordinem, vt est communis sententia, atque adeò supersunt reliqui omnes Angelorum ordines, dæmonesque vniuersi. His ergo constitutis plane dicendum est non corruisse præcise tertiam partem Angelorum, alioquin omnino demonstratur multo maiorem esse numerum hominum,quam Angelorum, vt est perspicuum ex dictis; nam cum tertia pars, quæ cecidit, supplenda sit ex hominibus prædestinatis; non seruatur autem tertia pars hominum, immò nec decima, plane multo plures esse homines, quam Angelos: ad hunc autem locum Ioannis primum respondemus, non esse sermonem de Angelis; sed de fidelibus in fine mundi, quorum tertia pars dicitur Antichristo seducenda, & tamquam stellæ de cælo in terram, hoc est, à fide Ecclesiæ in errorem trahenda, & quamquam dicimus ad Angelos posse transferri, respondendum adhuc est, tertiam partem non significari mathematico more,

Apoc. 5.11.

Numerus certus pro incerto.

Greg.lib.7 mor. cap 9.

Angeli custodes sunt ex infimo ordine.

D. Thom. 1. p. q.113.ar.3.

D. Hieron. Matth.18.

D.Chrys homil. in Matth.

Auctor Imperfecti operis hom. 40.

D.Basil. li 3 ad Eunom. in ps.48 homil 2. de laudibus ieiunij.

D Isidor lib. de sum. bono c. 12.

Angelus idē,an successu temporis multorū hominum curā suscipiat.

Angelorum an tertia pars ceciderit.

Antichristus an tertiam partem hominum seducet.

more, sed magnam partem: hoc enim sensu sæpe Ioannes Apoc.8. tertiam partem nominat, velut in illo loco, tertiam partem terræ combustam, tertiam partem arborum concrematam, tertiam partem maris conuersam in sanguinem, tertiam partem creaturarum, quæ viuebant in mari, interijsse, tetiam partem Solis obscuratam. Itemque tertiam partem Lunæ, immo & tertiam partem stellarũ, vt eamdem omninò phrasim in eisdem verbis licet agnoscere. Quibus in locis communiter interpretes, tertiam partem, non tertiam partem præcisè, sed magnam partem interpretandam esse volunt.

Apoc. 8.

Pars tertia in Scripturis pro maiori parte vsurpatur.

Quinta, & vltima condicio est inuitantis hilaritas. Vnde Deus dicet beatis, dum ad cœnam intrabunt illud Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Et illud Luc. 22. *Et ego dispono vobis, sicut dispo suit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam*. Et illud Apoc. 7. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, quod miram dulcedinem, & blandiciem indicat, ducta similitudine à matribus, vt vult Pannonius, quæ paruulos plorantes amplecti solent, blandicijs delinire, eiusque lacrymas abstergere, & vbera porrigere. Ita enim sanctos, qui ex hac vita plorantes discedunt propter laborum asperitatem, Deus in cælo benignè excipit, & instar blandissimæ matris consolatur. Eam namque ob causam Deus matri se comparat Isa.49. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*. Et 66. *quomodo si cui mater blandiatur: ita ego consolabor vos*. Quod autem sancti in hac vita plorare dicuntur, à persecutoribus vapulent, demonstret locus ille Psalmi 125. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua*, eamdem sanctorum in patria consolationem ijsdem fere verbis prænunciauit Isai. 25. dicens: *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*, quamquam Euseb. Cæsariensis lib.4. demonst. Euang. c.12. hunc locum Isaiæ interpretatur de redemptione mundi, facta per Christum, in qua Christum nostrorum peccatorum maculas abstersisse; sed sine dubio potest etiam referri ad statum gloriæ; concinit cum hac Ioannis, & Isaiæ sententia illud, quod ostensum fuit Ezech. c.10. nam cum primo capite monstrata ei fuissent illa quadriformia animalia, quorum singula quatuor facies habebant, leonis,

Beatitudinis quinta condicio.

Matt. 11.19.

Luc. 22.29.

Aoc.7.17.

Pannonius.

Deus excipit sãctos in cælo, veluti mater infantem plorantem.

Isa. 49. 15.

Isai. 66.13.

Sancti in hac vita plorare dicuntur.

Psal. 125.6.

Isa.25.8.

Euseb. Cæsar. lib 4. demonstr. Euangel. c. 12.

Christus nostras maculas abstersit.

Ezech. 19.

nis, hominis, bouis, & aquilæ. Decimo tamen capite, vbi eadem visio replicatur pro facie bouis, facies Cherub apparuit. quo fit, vt bouis facies in faciem Cherub conuersa fuerit, certè ad hoc ipsum, de quo agimus, exprimendum. Sanctorum enim facies in hac vita mortali, facies bouis est in area laborantis, & sudantis; quæ tamen in faciem Cherub pulcherrimam commutabitur, abstersis, videlicet, lacrymis, deterso puluere, denique in immortalitatis gloriam conuersa. *Bouis facies, quare in faciē Cherub cōuersa fuit.*

Hæc est illa remuneratio, quam D. Paulus expectare, & accipere pro suis laboribus à Deo aiebat, Romanorum. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc, non solum autem ille, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum* Dei *expectantes*. Hoc est: Non solum omnes creaturę expectant nostram remunerationem operantes fore, vt tunc iam renouentur, sed etiam nos ipsi pressi laboribus gemimus, & persecutionum pressuris, & doloribus fatigati, ipsam filiorum Dei adoptionem, & gloriam parturimus. Itaque iustus, cum se pressum laboribus viderit, cogitet se quasi fœtum gloriæ in ventre gestare, quem illis doloribus parturit. Hanc nimirum ob causam sancti omnes in hac vita appellantur à Zacharia 9. *Vincti spei*; sic enim legimus: *Tu, quem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua, conuertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi*, quasi dicat Propheta, Christum alloquens. Tu Christe rex potentissimè sanctos illos Patres, qui in lymbo, tamquam in lacu, & carcere, tenebantur, sanguine tuo, per quem fędus inter homines, ac Deum initum fuit, ad libertatem vindicasti; conuertimini igitur ad munitionem, seu locum munitum, hoc est, ad Christum ò victi spei. Et vincti spei non solum Iudæi intelligendi sunt, vt plerique volunt, sed sancti omnes, quia hac vita labores pro Christo tolerant, qui vincti spei appellantur; quia dum vinciuntur, dum conijciuntur in vincula, ibi adhuc sperant fore, vt e carceribus educti, hostibusque debellatis, duplo maiora præmia accipiant, quàm sint ipsi labores, vnde sequitur, *duplicia reddam tibi*. Aduertendum est autem eleganti periphrasi appellasse prophetam mortales omnes, vinctos spei, qui semper spe melioris fortunæ in suis laboribus sustentantur, quasi sint ipsi vincti, & veluti captiui ipsius spei, cui nimirum seruiunt, & à qua, tamquam ab hæra, & domina sustentantur, potissimum vero sancti, vincti spei

Rom. 8. 22.

Paulus quam remunerationem expectabat.

Sācti quare vincti spei appellātur.

Zach. 9. 12.

Christus inter homines & Deū fœdus statuit.

Sancti in laboribus sperant.

Sancti vincuntur à spe nō coacti sed voluntarie. cti spei dicuntur, non inuiti, sed voluntarij, quia ipsi se vltro ob vnam spem gloriæ in carceres, & vincula conijciunt. Nec minus elegans est illa Pauli similitudo, cum Sanctorum spem inter persecutionum discrimina anchoram appellauit Hebr. 6.11. Hebr. 6. dicentis: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Sicut enim an- *Spes Sanctorum veluti anchora est.* chora in medio fluctuum nauem retinet, ne à vento, & fluctibus abrepta dispereat: ita spes, Sanctos omnes immenso vitæ huius Oceano, procellosisque laborum fluctibus ita retinet, vt firmi, securique permaneant. Quam anchoram propterea Apostolus in cælum iacere præcipit: immò in ipsa Sancta Sanctorum cælestia, tamquam in locum tutissimum, vbi Deus ipse absterget lacrymas ab oculis Sanctorum. Amen.

* *
*

TRI-

TRIGESIMA TERTIA LECTIO.

De recti Colloquij condicionibus.

IN QVA TRIA EXPLANANTVR. Primum, vt ante loquutionem verba considerentur. Secundum, quæ loquentur, veritatem retineant. Tertium denique, quæ loquentur, sint vtilia.

Neque stultum aliquid contra Deum loquutus est. Iob 1. 22.

PRIMA PARS.

IAM vobis explanaui, quod quemadmodum hæc postrema clausula huius primi capitis nostri Iobi in duas stringebatur, ac secabatur partes, quarum prima est: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis*. secunda: *Neque stultum aliquid contra Deum loquutus est*: ita etiam continebat omnem bonitatem, & sanctitatem omnem Iobi amplectebatur, & quam iustus habere debet. Omnis bonitas hominis, ac mulieris, in corde, in lingua, in cogitationibus, & verbis consistit, scilicet, semper bene cogitare, beneque loqui: nam hinc deinceps veluti à fonte riuuli etiam operationes emanant, atque scaturiunt bonæ, ac sanctæ. Quo ad cogitationes, & quo ad cor: *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis*. Et de hac materia satis locuti sumus in quinque transactis lectionibus. Quo ad linguam, & ad verba, *Neque stultum aliquid contra Deum locutus est*. De quæ materia in præsente lectione agemus. *Neque stultum*

Bonitas hominis in quibus cõsistit.

ſtultum aliquid, &c. Sed quid præcipuè hic textus intelligat, & à quibus ſtultis verbis ſanctus Iob ſe animaduertebat, hic magis intereſt; quia alij ad Deum referunt, alij ad ipſummet Iobum. Et ideo textus Hebræus, & Græcus ad Deum id referentes, aiunt; *Non dedit inſipientiam Deo*. Et Olympiadorus ait, quòd in Hebræo legi debet, *Non incuſauit Deum*; vel *non eſt conqueſtus de Deo*, quod idem eſt, videlicet, non audiuit, nec male loquutus eſt de diuina prouidentia, de Deo non eſt conqueſtus, quod cum ſit ſupremus Princeps, ſupremusque iudex, parum ſapienter eum fuerit perſequutus: itaque verbum *ſtultum*, & quo ad ſcientiam, & quo ad prouidentiam ad Deum referunt. Et iure quidem: verbum enim *Deum* in Hebræo eſt, vel ſtat pro *Heloim*, quod dicere vult Iudicem, vel gubernatorem. D. Chryſoſtomus etiam hac differentia ad Deum refert, ſcilicet, quòd vbi illi pro ſapientia ipſum accipiunt, & intelligunt, aut interpretantur: hic pro iuſtitia habet, & innuere vult. *Neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt*, ideſt, Deum iuſtitia aliqua non condemnauit. Quomodo homines ſolent, qui à iudice condemnati, & adiudicati, de ipſo conquerentes, iniuſtitiã eum redolere dicunt; & ideo, Iob, inferre vult, de Deo non eſt conqueſtus, nec eum accuſauit de iniuſtitia; ita vt, inquam, quòd vbi Hebræus textus ad prouidentiam, D. Chryſoſtomus ad iuſtitiam Dei refert. Attamen in tertio loco Origenes ad ipſummet Iobum refert, & ait, quòd hæc verba ad illa quæ ſatanæ circa Iobi ſimplicitatem, & bonitatem Deus locutus eſt, relationem habent, & quòd talem ſe reddidit, & oſtendit, qualis à Deo fuit nominatus, & celebratus. Et hæc expoſitio noſtro Latino interpreti conformior eſt, in quo cernitur, quod ſtultitiam hanc non ad Deum, ſed ad ipſummet Iobum refert, & dicere vult: In tot ærumnis, tantisque calamitatibus nec verbum quidem ſtultum loquutus eſt, aut protulit, ideſt, inconſideratum, vel inſipiens; & hic ſenſus magis fini quadrat, qui Iobi bonitas eſt, magisque conſonat eidemmet verbo; nam ſtultum nil aliud eſt, quàm linguæ defectus, qui innuere vult inconſideratam, vel temerariam loquutionem. Sicuti denique prima huius clauſulæ pars, bonitatem Iobi reſpicit, & attendit quo ad cogitationum rectitudinem, vti dixi; ſic iſta ſecunda reſpicit, & attendit eiuſdem bonitatem quo ad verba. Et de hac materia in hac lectione verba faciemus. Et dicemus, quod, vt hanc Iobi bonitatem in lingua, & in verbis habea-

Textus Hebræus, textus Græcus. Olympiadorus.

Deus in Hebræo por Heloim ſignificatur.

D. Chryſoſt.

Homines à Iudice condemnati, conquerũtur.

D. Chryſoſt. Origenes.

Iob in ſuis calamitatibus nihil ſtultum loquutus eſt.

Stultitia eſt linguæ defectus.

habeamus, & excitemus, vt eloquia nostra tres cōdiciones habeant, oportet, quarum prima sit, quòd antequam loquatur, rectè illud animaduertatur, quod proferendum, aut dicendum est. Secunda, quòd illud, quod dicitur, veritatem retineat. Tertia, quòd sit res, quæ vtilitatem, & non detrimentum afferat.

Lectionis diuisio in tria capita.

Et primum antequam verba ex ore prodeant, quid dicere debamus diligenter præmeditari nobis opus est. Hoc deprecabatur Regius Vates Psal. 140. cum dicebat. *Pone Domine custodia ori meo: & ostium circumstantia labijs meis*. Quam locum D. Gregorius lib. 7. moral. cap. vlt. & 3. par. curæ pastoral. admonit. 15. de seruanda silentij prudentia, intelligit, rationemque huius similitudinis afferens, ait: *Quia nimirum ostium, & aperitur, & clauditur; quia ergo*, inquit, *ori suo poni non obstaculum, sed ostium petijt, apertè docuit, quod, & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursus congruo taciturnitas claudat*. Hæc ille.

Verba præmeditanda sunt. Psal. 140, 3.

D. Greg. lib. 7. moral. cap. vlt. & 3. par curæ pastoral admonit. 15.

Quæ ratio etiam affertur à D. Chrysostomo in comment. super Psal. 40. vbi addit rationem esse clauem huius ostij. *Os*, inquit, *nostrum perpetuo custodiamus, rationem ei tamquam clauem adbibentes*. Hæc ille. Dicitur autem huiusmodi ostium circumstantiæ, hoc est, circumstans, quia discretio, & prudētia debet totum os ambire, apponendo temporis, loci, personarum circumstantias, vt merito ostium circumstantiæ dici possit. Est & alia vis in eadem similitudine, quòd sicut in domum, quæ nullo clauditur ostio, patet sine delectu aditus vniuersis, qui ingredi, egredique voluerint: ita per os, quod nullo discretionis ostio clauditur, egrediuntur turmatim, ac temere incondita verba quæcumque in buccam venerint. Secundo, non satis est hoc ostium clausum esse, nisi etiam vectibus, & repagulis diligenter obseretur: hoc enim etiam maximè commendant sacræ litteræ, veluti Eccles. 28. *Ori tuo facito ostia, & seras*. Tertio tanta est bene loquendi, silentijque suo tempore seruandi difficultas, vt, ne ostio quidem vectibus, & repagulis obserato, fidere quis debeat: sed præter ostium, & vectes adhibenda sit diligens custodia, & concubiæ ad custodiendum ostium, ne quis illud absque necessitate detractis seris aperiat. Iccirco enim Regius Vates Psal. 140. dixit, vt supra; *Pone Domine custodiam ori meo*: Sicut enim obsessam vrbem non satis est claudere; sed prætera opus est ad portarum custodiam præsidium adhibere: idcò

D. Chrysost. in comment. super Psal 40.

Os dicitur Ostiū circumstantiæ.

Ore quod per discretionem non clauditur nociua verba egrediuntur.

Os nō solum claudi debet sed vectibus obserari. Eccles. 28. 28

Os debet cum magna vigilantia custodiri. Psal. 140. 3.

Simile.

Lingua custodia debet adhiberi. *D.Chrysost.* ideò non sufficit arca cordis, quæ continuo à dæmone obsidetur clauso ostio seruare: sed prætereà adhibenda est vigilantissima custodia, quam D. Chrysostomus loc. cit. vult esse memoriam mortis, quam ipse pingit quasi feminam præferentem manu ignem inferni. Hanc, inquit, adhibe ianitorem, & custodem intentantem minas conscientiæ, & hanc portam numquam intempestiuè aperies, iuxta illud Eccles. 7.

Eccl. 7. 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Deinde aduertit non sine mysterio mentionē fieri, & ostij, & custodiæ, vt intelligamus huiusmodi ostiū, *Oris ostium non semper debet esse opertum, nec semper clausum.* nec semper debere esse apertum, nec semper clausum, sed interdum aperiendum, interdum etiam claudendum, iuxta il-

Eccl. 3. 7. lud Eccl. 3: *Tempus tacendi, & tempus loquendi, si enim,* in-

D.Chrysost. quit D. Chrysostomus, *oporteret ora perpetuo patere, non facta essent portæ: si autem perpetuo clausas esse, non opus esset custodia.* Hæc ille. Hinc est, quòd natura labijs, tamquam *Natura dedit linguæ portas, nempe labia.* portis, ora clausit. Primo, quia labia sunt temperatiuæ duritiei dentium: & ideo facta sunt mollia, & carnosa, vt verba, quæ de ore exeunt, sint mollia, & dulciter prolata, quia sic

Prou. 15. 1. temperant iram furentis. Vnde Prouerb. 15. *Responsio mollis*

Eccl. 6. 5. *frangit iram.* Et Eccl. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Secundo, quia labia sunt vocis articulatę formatiua, & in hoc instruimur, vt loquamur verba pen-

Prou. 14. 23. sata. Vnde Prou. 14. *Vbi autem verba sunt plurima, ibi fre-*

Labia sunt calidi, et frigidi temperatiua. *quenter egestas.* Tertio sunt labia aeris frigidi, vel calidi interceptiua: nam aeri frigido, vel calido se opponunt, & ipsum retinendo deputatum interioribus reddunt, in quo in-*Verba inflammantia ad iram debemus euitare.* struimur, quòd verba inflammantia ad iram, vel inducentia ad frigus malitiæ, qua homo retrahitur à bonis, si audiamus, non debemus referre: sed potius nos opponere: & si referre oporteat, pauciora, & placabiliora reportare. Quarto denique (& ad nostrum facit institutum) labia sunt dentium custoditiua; vt, scilicet, ille, qui vult loqui, verba sua custodiat

Malach. 2. 7. ad tempus opportunum: Vnde Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient sapientiam.*

Ori frænum adhiberi debet. Quarto principaliter frænum etiam adhibere iubemur oris quasi indomito, & effrenato equo, iuxta illud Eccles. 28. *Fa-*

Eccl. 28. 29. *cito frænos ori tuo rectos*: hoc est, vt interpretatur D. Am-

D. Ambros. lib. 1. offic. c. 3. brosius lib. 1. offic. cap. 3. Restringatur lingua habenę vinculis, frenos habeat suos, quibus reuocari possit, eademque

Iacob. 3. 2. similitudine vsus est Iacobus Apostolus in epist. sua canonica

cap. 3:

cap. 3. cum dixit: S*i quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. *Potest etiam fræno circumducere totum corpus*; quibus verbis significat eum, qui linguam nouit, frænare: reliquum omne actionum suarum corpus posse gubernare, sicut totus equus fræno ori adhibito regitur, quemadmodum statim subiungit: *Si equus fræno in ora mittimus ad consentiendum nobis, vt omne corpus illorum circumferamus*. Quinto, & vltimo: non tantum frænos in ore, sed etiam stateram in manu, cum loquimur, vt habeamus, admonemur, iuxta illud Eccles. 28. V*erbis tuis facito stateram*. In quem locum D. Ambrosius loco proxime citato: P*roferunt*, inquit, *sermones ad mensuram labia examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus*. Hæc ille. Et D. Chrysostomus super Psal. 140. eumdem locum exponens, stateram, & lancem docet faciendam linguæ; vt non solum verba, quæ oportet, efferamus, sed etiam in ea, qua par est, cautione, veluti ponderantes, expendamus: S*i enim*, inquit, *hoc facimus in auro, multo magis faciendum est in verbis, vt nihil desit, nihil redundet*. Hæc ille. Diuus verò Ambrosius legit: O*ri tuo fac iugum, & stateram*: per iugum intelligit humilitatem, & subiectionem, vt lingua sit subiecta rationi, eiusque iugum libenter subeat.

Lingua frænata totũ corpus frænatur.

Eccle. 28. 29.

D. Ambros.

D. Chrysost. super Psal. 140.

D. *Ambros.*

Hinc emanat, quod in sacra Scriptura interdum silentium laudatur, & eloquium improbatur: & è conuerso silentium aliquando detrahitur, & verba exaltantur. Et primo, sex modis silentium approbatur, & improbatur eloquium. Primus modus ad prudentiæ, secundus ad sapientiæ, tertius ad patientiæ, quartus ad mortificationis, quintus ad compunctionis, sextus, & postremus ad intelligentiæ virtutem pertinet. De primo, qui ad prudentiæ virtutem refert, aiebat Amos cap. 5. P*rudens in illo tempore tacebit, quia tempus malum est*, videlicet, homo, & mulier prudentes, cognoscentes quod tunc loquendi nec locus, nec tempus est, tacent, atque silent. De secundo ad sapientiæ virtutem pertinente, inquiebat sic Dauid propheta Psal. 38. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti*, idest, ego in meis persecutionibus tacui, quia è manu Dei scaturire sciebam. De tertio ad patientiæ virtutem æque pertinente etiam ipsemet Dauid in eodem Psalmo ita inquiebat, scilicet: O*bmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est, cum consisteret peccator aduersum me*. idest, cum

Silentium in sacra Scriptura interdum laudatur, & interdũ vituperatur.

Silentiũ sex modis approbatur.

Amos 5. 13.

Silentium aliquando ad prudentiam pertinet.

Psal. 38. 1

ego iniurijs fui affectus, humiliabar, & tacens non respondebam, *& silui à bonis*, & licet iuste respondere poteram, tamen id non agebam: quod quidem maxime patientiæ argumentum existit. De quarto, ad mortificationis virtutem attinente, sic aiebat Ieremias Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se*, hoc est, pœnitens semetipsum mortificando, ab omnibus separatus, ad Dei arcana meditanda incumbebit. De quinta ad compunctionis virtutem pertinentem dicebat Isaias cap. 47. *Sede, tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum*, idest, tu peccator de perpetrato crimine te non excusabis, sed tuæ conscientiæ densitatem ingredere, taciteque peccatum tuum cognosce. De sexto, & postremo ad intelligentiæ virtutem concernente, inquiebat Daniel 10. *Deieci vultum meum in terra, & tacui*, idest, ego inclinaui in terram faciem meam, vt bene Dei arcana perscrutarer, quæ mihi Angelus reuelabat. Ecce ergo quot modis bonum est silentium. E conuerso variæ inueniuntur noxiæ taciturnitates, & quinque profecto sunt. Prima ad imprudentiæ, secunda negligentiæ, tertia malitiæ, quarta iniustitiæ, quinta, & postrema ad impœnitentiæ vitium pertinet. De prima ad imprudentiæ vitium concernente aiebat Eccl. 20. *Est tacens non habens sensum loquelæ*: & est cum homo nec tempus, nec locum cognoscere scit, in quibus loqui debet. De secunda, ad negligentiæ vitium pertinente, inquiebat Isai. 62. *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem terræ*, idest, ne ad Deum orare negligenter omittatis, qui vobis vbique, & semper opus est. De tertia ad malitię vitium pertinente dicitur in D. Luc. 14. *Si licet Sabbato curare? at illi tacuerunt*. idest, quando homo ob malitiam, & iniquitatem veritatem tegit. De quarta ad iniustitię vitium attinente aiebat Ieremias cap. 4. *Non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea*, idest, ego non tacebo, quidquid ex proprio officio meo dicere, & patefacere debeo. De quinta, & vltima, ad impœnitentię vitium pertinente, aiebat Eccles. 4. *Non confundaris confiteri peccata tua*, idest, noli silere peccata tua abscondendo; sed potius omnia tua crimina confitere. Ecce igitur, sicuti dixi, quod quo modo clauis aperit, & claudit ostium, illo modo etiam de ore nos facere debemus, hoc est, quando opus est, aperire ipsum, & cum non oportet, idem claudere.

Silentium aliquando ad mortificationem pertinet.

Thren. 3.28.

Isa. 47.5.

Silentium aliquando ad compunctionem pertinet.

Dan. 10.15.

Silentium aliquando ad intelligentiam pertinet.

Taciturnitatis vitia diuersa.

Silentium aliquando est signũ imprudentiæ.

Eccl. 20.6.

Isai. 62.6.

Silentium aliquando est signũ negligentiæ.

Luc. 14.4.

Silentium aliquando est signũ malitiæ.

Ierem. 4.19.

Silentium aliquando est signũ iniustitiæ.

Eccles. 4.31.

Et ideo ad secundum, & tertium caput, ad secundam, & tertiam rem, quam vobis significaui, me confero, idest, ne in errorem in hac materia incidamus, de duobus in loquendo nos cogere oportet. Quorum primum est, semper vera detegere. Secundum de vtilibus, ac necessarijs rebus loqui. Et primo; si tu homo, & mulier errare tuis in sermonibus non optas, semper veritatem fateri conare. Hoc illud est, quod de semetipso Christus aiebat, scilicet: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ioan. 8. 46.

Vera semper detegere debemus.

Et primum, scire oportet quid est veritas? Veritas illa est, quę nihil falsi mixtum habet; & duplex est; Prima est veritas increata; secunda veritas creata. Increata veritas ipsemet Deus est: vnde Christus Dominus noster de semetipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. Et iure quidem, quia Deus non habet, nec habere potest extra seipsum mixtum quid, cum idem sint essentia, & esse ipsius. Creata veritas duplex est, vitę, scilicet, & linguę. Vitæ est veritas moralis, & morum; de qua Ieremias aiebat cap. 2. *Ego autem plataui te vineam electam, & omne semen verum.* Linguæ autem in verbis: de qua inquiebat Psal. 118. *Non auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudicijs tuis supersperaui.* Et Psal. 50. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Et iure: odibilius enim Deo, & hominibus mendace, vel vaniloquo nihil profectò est: hominibus, nam ait Salomon, quod potius diligendus est fur, quam assiduus in mendacio: Deo, quia, sicuti ait Dauid in Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium,* nec ideò ab re, primum, quia aliquid eo plus odibile est, quo plus vitio adhæret. Sed cui nam latet, vitium proprij dæmonis esse mendacium? Vnde Christus Ioan. 8. dixit: *Ipse mendax est, & pater eius.* Et hoc accidit, quia ipsa principalis extitit mendacij inuentor, & origo, cum nostris primis parentibus, dixit: *Nequaquam morte morìemini.* Vlterius, quia causa est multorum malorum: nam omnium mundi rerum magis fidem, quam scientiam proculdubio habemus; credimus quod sic aliquid existat, quamquam ignoremus qua re ita existat, vel sit. Et nisi rebus fidem non præstaremus, eis non vteremur, & consequenter omnia confunderentur. Sed quod nam est fidei fundamentum, & credendi? Nil, præter veritatem, aliud profectò est: absque veritate Fides non tenet, nec locum habet,

Veritas quid est.

Ioan. 14. 6.

Dei essentia, & esse, idem est.

Ierem. 2. 21.

Psal. 118. 43.

Psal. 50. 8.

Mendaces odibiles Deo, & hominibus.

Psal. 5. 7.

Ioan. 8. 44.

Mendacium proprium dæmonis mendacium.

Gen. 3. 4.

Fidem magis, quam scientiā de rebus habemus.

Veritate subla-

ta omnia confunduntur. habet. Subferte, amouete, vel abrogate igitur veritatem; Fidem, credereque auferetis, atque remouebitis, & Fidem, demite, ac semouete, ecce vniuersum châos factum. Tertio loco mendacium ipsimet mendaci detrimentum affert, primum quo ad corporalia, & externa; quoniam respectum, & reuerentiam, quæ ei tenetur ipsi aufert; sciens enim se mendacium proferre, nullus est, qui æstimet eum. Accipite vos duo scuta, falsi auri vnum, & boni aliud: maximi facietis hoc, illud autem nihili æstimabitis. Et ideò ad hanc rem Prouerbia cap. 10. dicebant: *Argentum electum lingua iusti: cor autem impiorum pro nihilo.* Ac si dicerent. Verum est, quod homines, ac mulieres veracis maximi penduntur, sed mendax omnino pro nihilo ducitur. Et denique ipsimet animæ mendacis nocet: Nihil enim, magis animam interficit, quam mendacium. Et quod à veritate non abeat, Sapientiam audite cap. 1. *Os autem, quod mentitur, occidit animam.*

Mendacium ipsimet mendaci detrimentum affert.

Prou. 10. 20.

Mendacium interficit animam.

Sap. 1. 11.

Et, si tu à me petis: Postquam veritas tam bonum est, ac pulcrum, qua re ergo ab omnibus expellitur, vel saltem à maiori parte gentium? nam ille melior est mercator, mercimoniaque sua melius peragere scit, qui maiora ac plura mendacia dicere non ignorat. Ille magis est expertus in curia, qui veritatem numquam loquitur. Ad hoc vobis respondeo, quod eminus tria omnibus pulchra vidētur, sed prope, quamuis sint, tamen maiori gentium parti turpia apparent, & sunt. Primum Deus omnipotens, secundum iustitia, & tertium veritas. Et quod veritate non careat, dum Deus à Synagoga aberat, ita pulcher erat, ac videbatur hebræis, quod assidue exclamabant: *Ostende faciem tuam*, Psal. 79. *Pulcher es dilecte mi, & decorus*, Cant. 1. Sed cum inde se incarnando, ipsis ostendit, & propinquus fuit, ita turpis visus est eis, quod talem vocem extollebant, scilicet: *Vidimus eum, & non erat ei aspectus*, Isai. 53. Immò dæmonium habentem eum appellabantur: *Tu dæmonium habes*. Idem cernitur de iustitia: omnes quidem laudent eam, cuncti aiunt esse bonum, ac sanctum, sed interim nemo domi suæ peroptat, ac vellet. Et demum veritas. Omnes eam extollunt; pauci vero eadem vtuntur. Et hoc aduenit, quia Deus Incarnatus prope vitia arguebat hebræorum: iustitia etiam prope impiorum vitia castigat. Et tandem veritas

Veritas quare ab omnibus expellitur.

Tria de longe pulchra videntur, de proximo autem turpia.

Psal. 79. 4.
Cant. 1. 15.
Isa. 53. 3.
Ioan. 7. 20.

Iustitia ab omnibus laudatur, sed ab omnibus repellitur.

ritas vitia prope detegebat: & quia maior mundi pars vitijs affecta est, ideò mirum non est, si summopere veritatem odit.

Quinque inimicos veritas habet, primus auaritia est. Ite ad auarum, & dicite ei, quod eleemosynam det infirmo pauperi, pauperculęque puellæ, &c. se minimum quidem quatrantem habere dicet, quamuis area scutis plenas possideat. Et ideo aiebat Iob cap. 12. *Adducet consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem.* Secundus inimicus est praua consuetudo, & à dicendis mendacijs inueteratus habitus. Vnde Eccl. 34. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Tertius est arrogantia, & superbia: nam inueniuntur illi, qui, etsi veritatem noscunt, attamen eam confiteri nolunt. Et ex istis tempore Diui Stephani erant, quibus inquiebat: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto restitistis.* Quartus est verecundia. Multi etiam in confessione veritatem celant, verecundię, atque erubescentię causa. Et de his aiebat Psalmus 45. *Scuta comburet igne*, idest defensione malitię. Quintus, & postremus est inuidia; quoniam multi sunt, qui in altero virtutem laudare audientes, quamuis cognoscant, quod veritas dicitur, nihilominus inuidia affecti eam negant, eique contradicunt. Et propterea inquiebat Psalmus 37. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.*

Veritas quinque inimicos habet.

Iob. 12. 17.

Auaritia inimica veritatis.

Eccles. 34. 2.

Arrogantia inimica est veritati.

Act. 7. 51.

Psal. 45. 10.

Verecundia est inimica veritatis.

Psal. 37. 21.

SECVNDA PARS.

PRIMVM peroptime illud excogitare oportet, quod, antequam ad loquendum aliquis se accingat meditari debet. Præterea conari debemus, vt semper veritatem aperiamus: Tertio, & vltimo, ne loquamur nisi vtilia, ac necessaria. Et iure quidem: non enim sufficit sermonem nostrum esse verum, sed esse etiam vtilem, & nobis, & proximo. Et ideo ad hanc rem D. Paulus aiebat Ephes. cap. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed, si quis bonus est, ad ædificationem*. Et D. Hieronymus aiebat. In verborum pondere probatio consistit vitæ humanæ. Hinc oritur, quod antequam verba emittere nos valeamus, necesse est, vt per sex loca transeat. Primo à pulmone incipit, & hic vnus est locus. A pulmone pergit ad cor, & est secundus. A corde ad guttur, & est tertius. A gutture ad linguam, & est quartus. A lingua ad dentes, & est quintus. Et à dentibus ad linguam, & est sextus. Non aliam, inquam, ob causam, nisi, vt sciamus, quod verba vento dari non debent: sed ea opportunis temporibus aliqua vtilitate proferre, vel propria, vel proximi. Pergit aliquis, & è terræ visceribus extrahit, vel haurit summo labore aurum, & argentum: & ideò de eis, nummis, vel alijs rebus compositis, multa diligentia, multaque animaduersione ea impendunt: *Verba autem prudentium statera ponderabuntur*. Sapiens non ignorat, quod ex intimo, & visceribus verba hauriantur, non quidem vento largiri debentur, sed ea multo pondere, multaque diligentia proferri, atque emitti.

Vtilia aliqui debemus.

Ephes. 4.29.

D. Hieron.

Verba quare per sex loca trāseunt.

Simile.

Ecclef. 21.28

Nulli dubium est, quod quemadmodum inter omnes creaturas nulla inuenitur, quæ ad loquendum linguam habeat, nisi homo, & mulier: sic è conuerso ob quatuor causas Deus ei dedit. Primum, vt mentis conceptum ipsi exprimerent, atque aperirent: quod alia animantia efficere nequeunt. Secundo, vt vnus alterum, artes, ac scientias doceret; ideò D. Paulus aiebat Galat. 6. *Vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis*. Tertio, vt inuicem vnus alteri solatium præstet, atque refrigerium: *Consolamini inuicem*

Creatur alia præter hominem non habet loquelam.

Loquela ad quid data est.

Galat. 6. 1.

uicem in verbis istis. Quarto, & vltimo, vt laudetur Deus, Deoque gratiæ agantur. Tres primæ solum ob vsum, ac seruitium huius vitæ elargitæ sunt; sed quarta, & vltima propter vsum, & seruitium alterius vitæ. Tres primæ tantum ob vsum, ac seruitium huius vitæ, inquam, datæ sunt, quia in cęlo conceptum animi exprimere minime opus erit. Nam mediante lumine glorię cunctaque beatis videri licent in essentia diuina patebunt, & manifesta erunt. Vnde D. Paulus 1. Cor. 4. inquiebat: *Tunc manifestabit consilia cordium*. Vt vnus alterum doceat lingua non erit necesse; nam in cœlo omnes in diuinæ essentiæ visione docti erunt. Et ideò Ieremias 31. aiebat: *Non docebit vir vltra proximum suum*. Nec quo ad tertium vsum lingua opus erit, vel necesse, vt inter seipsos inuicem consolentur: omnes enim erunt voti compotes, atque satisfacti. Vnde Isaias cap. 35. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus*. Attamen quartus linguæ vsus remanebit, laudandi, scilicet, ac Deo gratias agendi: & propterea aiebat Ecclesi. 51. *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum*. Et Psal. 83. *In secula seculorum laudabunt te*. Hinc emanat, quod cum lingua primum ad hunc finem sit facta, & tantum ad hunc vsum remansura sit, in hac magis, quam in alia re, homo, vel mulier seipsam, & exercere, & laborare deberet. Patricius aliquis ad Regis, vel Imperatoris curiam suum filium missurus est, prius, vt ille artificium discat, atque officium, seu onus, quod postea exercere, vel sustinere debet, operatur: & in ipso perbelle eum primo assuescit, & exercet, vt bene administrando, ibi libentissime habeatur, & accipiatur. Sic quidem homo, & mulier agere debent; sperantes enim se ad cælum profecturos esse, vbi aliud sibi non supererit, præter quam omnipotentem Deum laudare, atque benedicere, primum necesse est, quod in hac vita assidue suis in laudibus, & in gratiarum actionibus se exerceat, atque assuescat: & propterea D. Bernardus egregie inquiebat: *Discamus in terris quas facturi sumus laudes in cælis*. Magister peroptat, quod discipulus in scientijs, quibus studet, habitum faciat: & quid facit? Multa discenda, ac studenda ei dat, veluti, themata, exemplaria, quibus scribendi normam discat, lectiones ediscere, textum declarare facit, & demum eum occupatum, ac exercitio fungentem semper tenere quærit, vt habitum ita faciendo, vel ita se ipsum

Lingua ad quid data est.

1. Cor. 4. 5.

Ierem. 31. 34.

Isai. 35. 10.

Ecclesi. 51. 30.

Psal. 83. 5.

Lingua in cælo ad aliud non seruiet, nisi ad Deũ laudandum.

Simile.

Homo, & mulier semper hic Deum laudare debent.

D. Bernardus.

Simile.

Psal.150. 2. habituando,& sapiens, & doctus euadat. Vnde Psal.150.*Laudate Dominum secundum multitudinem magnitudinis eius*. Animaduertite, ait Dauid Propheta in Psal. 150. quod oportet Deum laudare secundum eius perfectionem, atque magnitudinem. Sed e conuerso,quomodo id fieri poterit?Quamquam omnes herbæ, plantę,petrę, animalia, pisces,aues;immo si omnes arenæ maris minutulæ,omnes aquæ guttæ, stellæ omnes,& tandem quodcumque creatum,vel magnum, vel paruum in linguas verterentur, secundum suam perfectionem Deum laudare (hoc clarissimum est, atque compertissimum) minimè quidem possent:omnia enim, quæ in Deo sunt, idem Deus est, & consequenter immensa, & infinita extant. Et quia omnes creaturæ vna finitæ sunt, cum Dei rebus non ęquantur. E conuerso, scitis ne, quare Propheta loquitur, scilicet, quod Deum laudare debeamus secundum suam perfectionem? Vt sciamus, quod in omni opportunitate, & loco, & facultate Deum laudare debeamus, & ita in hac scientia nos occupare, atque exerceri debemus, quòd in altera vita postea eum in æternum laudare digni, atque idonei remaneamus.

Creata omnia non possunt laudare Deum veluti est.

Deum quomodo laudare debemus.

Eccl. 1. 2. Hanc Salomon nostram mundanam molem contemplans ait in Eccl. cap. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. Ac si diceret. Scitote, quòd omnia huius vitæ vanitate referta sunt, idest, infructuosa; Et e contrario quidem scimus, quod creata suum effectum producunt: arbores suo tempore fructus reddunt, herbæ suos flores, suum finem sortiuntur petræ, atque metalla: elementa ad generationem concurrunt, & ad mixtorum conseruationem; quomodo igitur verum est quod omnia sint vana, atque frustratoria? Inquam ego: Dicite vos, quod artifex aliquis pulcherrimum Horologium construat,quo ad intuitum omnium oculorum: tamen cum ad eius pulsationem peruenitur, vel non sonat, vel si sonat, non sonat adamussim, nec proportionatè, nec iustè: tunc proculdubio dicitur, frustratorium,ac vanum extitisse artificis artificium, quoniam in meliori deficit, quod suus finis est. Verum est, quòd omnes creaturæ suum fructum producunt,suosque effectus peragunt,sed hi fines, hique fructus ab homine perfectionem extrahunt, propter quem factæ sunt. Dum igitur homo in Dei laudibus non bene resonat, omnia vana, ac frustratoria remanent, atque supersunt. Et iure profecto, ait Salomon. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Salomon quare hanc machinam nuncupauit vanitatem.

Simile.

Creatura quando dicitur plena vanitatis.

tas. Et quidem si mundum esse vanitate plenum dici potest, hoc in sensu modo dicere possumus, vbi tanta negligentia, ac tepiditate Dei laudes cantantur, quòd nil amplius. Vix quatuor globuli precatorij recitantur, quòd homo, ac mulier lassatur, atque deficit; &, si officium, ad quod tenetur, aliquis ore recitat, corde tamen alibi manet, ac sistit. Vidistis ne Ecclesiam ingredientes? Vix digiti extremitate aquam benedictam tangunt, sed cum vultum abstergunt, flumen consumere vellent, sic nostrorum temporum christicolæ in Dei laudibus vix digiti extremitate vtuntur, velociter percurrere inquiunt; in vanitatibus vero, & mundi cantilenis ita exercentur, & occupantur, quod tempus eis deest, deficit dies, etiam noctem consumunt. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*, Regius Propheta, ait Psal. 118. 54. Psal. 138. Quasi diceret, dum rabiosam persecutionem Saulis Regis aufugiebam, quid nam agebam? quid operabar? in vanitatibus fortasse mundi me occupabam, & exercebar? prophanis in cantibus? Minimè, minimè quidem: sed *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ*. In Dei laudibus, in mei Creatoris encomijs, in illius canticis, cui verè debeo, exercebar, inquam, & me occupabam. Idemmet legitur de meo Patre sancto Francisco, qui dum itinerabatur, Gallica lingua Deo laudes decantabat, & cum postularetur ab eo quid nam diceret, respondit, *Præco sum magni Regis*, Ego factus sum in mundo, vt omnes in locos, cunctaque in tempora, laudum, ac encomiorũ mei magni Dei sim declarator, nomenclator, atq; præco. Solinus in lib. de mirabilibus mundi narrat, quod in Alesa, regione sic appellata, flumen admodum placidum, ac quietum currit, & tali ordine, quòd auribus audientis ipsum solatium, atque concentum gignit: nihilominus si aliquis se ad ripam applicat, auenam, vel cytharam sonans, statim, ait, quod crescentes aquæ, foris abundant, & e suo lecto egrediuntur; & hoc contingit, quod fluminis concentus cum exteriori se iungere vellet. Sed dicite mihi, quod nam est flumen? Anima nostra est, à Deo tanto artificio, tantoque ordine facta. Qui cytharæ sonus? laus, & oratio, quæ Deo debentur. Hæc, si continua erit, quid aget? Animam e suo thoro extrahet, & cum cælesti concentu ipsam iunget. Hinc est, quòd Sancti per orationem vsque ad cælum tracti sunt, atque rapti. *Scio hominem raptum vsque ad tertium cælum*, ait D. Paulus 2. Cor. 12. Et meus Pater D. Franc. sæpe sæ-

Hominũ, ac mulierum vanitas in hoc tempestate in Deo laudant.

D. Franciscus in Dei laudibus, et occupabat cõtinuo.

Solinus lib. de mirabilibus mũdi.

Exemplum.

Anima nostra est quedam flumen.

Sãcti media oratione vsq; ad cælum profiterãt.

2. Cor. 12. 2.

pius

pius noctu, suo socio, fratre Leone, in loco orationis, & abstractus, & à terra raptus reperiebatur, non ob aliud, inquam, nisi, vt sciatis, quod homo ideo est factus, vt assiduè Deum laudet, Deoque gratias agat. Quidam domum construit, tecto eam tegit, vt à rebus eam seruet, quæ desuper contingunt, vtpote, à pluuia, à niue, & à similibus; & inde ostium componit, & aptat, vt eam defendat, & tuetur à rebus, quæ subter scaturiunt: absque his duobus remedijs domus nulla esset, atque ruere posset. *Occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio*, ait Isaias 60. idest, scitote, quod tectum, & ostium ea sunt, quę domum perfectam reddunt: sed quæ nam est ista domus? Anima nostra est. *Vos enim estis templum Dei*, ait D. Paulus, quis à contrarijs desuper eam seruat? Deus omnipotens, qui ipsam protegit. Quis subter? Oratio assidua, laudes, quæ Deo debentur; & ideo perbellè inquiebat Isaias 60. *Occupabit salus muros tuos*: ecce diuina protectio: *& portas tuas laudatio*. ecce Dei laudes.

Simile.

Isa. 60. 18.

Oratio est porta domus.

2. Cor. 6. 16.

Isa. 60. 18.

Hinc est, quòd Ioannes dixit, se vidisse in cælo Ecclesiam amictam sole, *Apparuit signum magnum in cælo, mulier amicta sole*. Quo in loco cum pro muliere ecclesiam intelligant, omnes ferè interpretes, relinquitur cælum hoc loco non ipsam ecclesiam significare, nam, sic ecclesia in seipsa apparuisset. quare existimamus illud hoc loco indicari ecclesiam cælestem esse; hoc est, e cælo descendisse per electionem diuinam. Et Ioannes alio loco dixit vidisse se sponsam agni descendentem de cælo. Præterea, vt vult Pannonius, apparuit in cælo mulier, quia ecclesia cælestem vitam agit, vnde & in terris quasi peregrina versatur. Id, quod eleganter dixit Tertullianus in Apologetico cap. 1. *Nihil*, inquit, *gens Christiana de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. Scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facili inimicos inuenire. Ceterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cælis habere, vnum gestit interdum, ne ignorata damnatur*. Hæc ille. In tribus vero potissimum Ecclesia se ostendit de cælo esse, moribus, affectu, & lingua. Hac enim triplici ratione potissimum, cuius sit, quispiam dijudicari solet. Primo mores ostendunt, cuius nam patriæ quispiam sit, quemadmodum significauit Apostolus, Philip. 3. *Nostra conuersatio in cælis est*, idest, nostri mores cælestes sunt. Secundo affectus terrarum, & regionum maximè in hominibus dominantur, & ex ijs vniuscuiusque regio dignoscitur, qua re ex affectu,

Apoc. 12. 1.

Ecclesia quare visa est amicta sole.

Pannonius.

Tertullianus in Apologetico c. 1.

Ecclesia in tribus esse calestem cognoscitur.

Philip. 3. 20.

Homo, et mulier ex quibus cognoscitur.

ctu, & amore rerum cælestium ostendit Ecclesia se cælestem esse. Propter hanc igitur vtramque rationem ecclesia in cælo visa est, atque in vtriusque typum tabernaculum illud Mosaycum coopertum erat pellibus hyacintinis, hoc est, cælestis coloris. Vnde Auctore Iosepho lib. 3. antiq. cap. 7. à longe aspicientibus cælum repræsentabant; eamdem ob causam ecclesia dicitur Sapphirina. Eo quo sapphirus gēma sit coloris cælestis, & aureis quibusdam punctis colluceat, quæ stellas referunt; quo sensu accipiendum est illud Exod. 24. *Ascenderunt Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cælum cum serenum est.* Hinc fit, quòd cum ecclesia cælestis planè sit, idcirco firmamenti, siue stelligeri cæli nomine significatur, vt habetur Ezech. 1. super firmamentum, quod erat imminens capiti animalium. Ex quo colligitur, quòd sicut in firmamento lucent sidera, & constellationes variæ ex sideribus conflatæ: ita in Ecclesię firmamento sancti sunt veluti sidera, & pulcherrimæ virtutum connexiones quasi constellationes nobilissimæ. Vnde D. Greg. lib. 9. moral. cap. 6. ad Ecclesiam refert illud Iob. 9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Austri.* Quo loco per Arcturum septem stellis fulgentem, accipit ecclesiam, septem candelabris in Apocal. rutilantem. Per Orionas vero martyres, quia sicut Orionæ in ipso pondere temporis hyemalis oriuntur, suoque ortu tempestates excitant, & maria, terrasque perturbant: ita martyres dum ecclesiam ad statum prædicationis erigunt, pondus persequentium, molestiasque passuum ad cæli faciem, quasi in hyeme veniunt; ijs etiam ortis, mare, terraque turbantur, quia Gentilitas videns mores suos destrui, apparente martyrum fortitudine, doluit. Denique Hyadæ doctores interpretantur, quia nimirum Hyadæ à pluuia nomen acceperunt, eo, quod ortę proculdubio imbres ferant. Sic enim Doctores ad statum vniuersalis ecclesiæ, quasi in cæli faciem deducti super arentem humani pectoris terram sanctę prædicationis imbres fundunt, iuxta illud Deuteron. 32. *Concrescat, vt pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Hæc ille. Quid? Nonne duodecim Apostoli signa sunt Zodiaci, id est, vitalis circuli, in firmamento ecclesiæ constituta? Quemadmodum subtiliter tractat Georg. Venetus in

Ioseph. lib. 3. Antiq. cap. 7.

Exod. 24. 9.

Ecclesia tota cælestis est.

Ezec. 1. 26.

Sācti sunt in ecclesia veluti stellæ in firmamento.

D. Greg. lib. 9. moral. c. 6.

Iob. 9. 9.

Martyres per quid intelliguntur.

Doctores per quid intelliguntur.

Deut. 32. 2.

Georg. Venetus in sua Harmonia Cant. 1. to. 7. cap. 8.

ſua Harmonia cant. 2. tomo 7. cap. 8. Denique tertio, & vltimo principali, & ad nos ſpectante, per linguam etiam dijudicare ſolet quiſpiam vnde ſit: ideo à Domino, Ioan. 3. dictum eſt, *Qui de terra eſt, de terra loquitur*. Et Petro. *Galilæus es tu, nam & loquela tua manifeſtum te facit*, & in eodem loco Ioan. citato. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur*. Sunt autem quidam peregrini, qui loquuntur mixto quodam idiomate, quod ex proprio, ſcilicet, & peregrino conflatur, vt habes 2. Eſdræ 13. *In diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas, & filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & neſciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi*. Sic etiam ſunt plerique in Eccleſia, qui nec cœleſtes omnino ſunt, nec planè terreni, ſed vtrumque iungentes, & de cœlo, & de terra loquuntur, & (vt his finem imponam) peiores ſunt, qui ſemper de infernalibus loquentes, de blaſphemijs, ſcilicet, ac detractionibus, regionis eſſe inferni demonſtrant: damnati enim in inferno aliud non faciunt, quam blaſphemias emittere, & maledicere, ſecundum id, quod Iſaias ait cap. 8. *Cum eſurierit iraſcetur, & maledicet Regi ſuo, & Deo ſuo*. Ita è contrario, illos, qui bene loquuntur, & in Dei laudibus ſe occupant, & exercentur, dicite quidem, dicite, prouinciæ eſſe cæleſtis, & eorum domum fore Paradiſum. Ite in pace. Amen.

Ioan. 3. 31. Matt. 26. 43. *Loquela iudicat hominem.* 2. Eſdr. 13. 23 *Terreni de terra loquuntur cæleſtes de cælo.* Iſa. 8. 21.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM
NOTABILIVM.

A

lo Deus

C

carne

cæle-

Chri-

non

cogi-

cordis,

D

Dei

deo

deus

dena-

domi-

vt

ignis

ad

L

Lam-

Oo mali-

medi-

mur-

nomi-

O

offen-

P

para-

pecca-

pote-

Q

Ra-

ctus

S

in spe-

spumæ

T

tem-

tenta-

tanas

Va-

V

Ver-

per

in

Rr 2 vi-

vni-

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ.

EX GENESI.

nudius

EX EXODO.

priora

EX LEVITICO.

Neque

EX NVMERIS.

EX DEVTHERONOMIO.

In dex-

Num.

Pater

EX TOBIA.

EX IVDITH.

EX ESDRA.

EX IOB.

Dies

Vide-

EX LIBER PSALMORVM.

Peryt

Inebria-

Magna

Cum

EX

INDEX LOCORVM

EX PROVERBIIS.

Corona

EX CANTICA.

Fiuus

Pone

EX SAPIENTIA.

EX ECCLESIASTICO.

Tt 2 Ori

EX ISAIA PROPHETA.

In si-

Seruie-

EX THRENIS.

EX BARVHC.

EX EZECHIELE.

Aufe-

EX DANIELE.

Excel-

EX OSÆA.

EX IOELE.

EX AMOS.

EX ABDIA.

EX IONA.

EX MICHÆA.

EX NAHVM.

EX ABACVCH.

EX SOPHONIA.

EX

EX AGGÆO.

EX ZACHARIA.

EX MALACHIA.

Et orie-

EX MACHABÆIS.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LVCA.

Et erat

EX IOANNE.

Omnis

EX ACTIS APOSTOLORVM.

EX EPISTOLIS D. PAVLI. AD ROMANOS.

AD CORINTHIOS.

Infirma

Nescio

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

Soliciti

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

AD THESSALONICENSES.

AD TIMOTHEVM.

AD

AD TITVM.

AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA D. IACOBI.

Qua

EX EPISTOLIS D. PETRI.

EX EPISTOLA D. IVDÆ APOST.

EX APOCALYPSI.

Apparuit

F I N I S.

Regeſtum.

† †† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx.

Omnes ſunt quaterniones, præter † †, & X x, qui ſunt duerniones.

R O M AE,

Ex Typographia Spadæ, apud Stephanum Paulinum. MDCXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.